7/7/1982

S.1301A

DECURIÆ
ANNORVM TERTIÆ
MISCELLANEORUM MEDICO-PHYSICORUM
Sive
EPHEMERIDUM GERMANICARUM
ANNUS SEPTIMUS
ET
OCTAVUS.

MISCELLANEA CURIOSA
SIVE
EPHEMERIDUM
MEDICO-PHYSICARUM
GERMANICARUM
ACADEMIÆ
CÆSAREO-LEOPOLDINÆ
NATURÆ CURIOSORUM
DECURIÆ III.
ANNUS SEPTIMUS
ET
OCTAVUS
Anni MDCXCIX & MDCC.
Continens
Celeberrimorum Virorum
Tum Medicorum tum aliorum Eruditorum in Germania & extra eam
OBSERVATIONES
Medico-Phyſico-Anatomico-Botanico-Chirurgicas
Cum
APPENDICE
&
Privilegio Sac. Cæſ. Majeſtatis

Edita 1702.
Sumtibus Joh. Michaëlis Rüdigeri, Berolini, Francof. & Lipſiæ apud eundem
Norimbergæ, Literis Chriſtiani Sigism. Frobergii.


NAT URÆ
CÆSAREO-LEOPOLDINÆ
CURIOSORUM ACADEMIÆ
NUN QUAM OTI OSUS
Ephemeridum Phyſico-Medicarum
Decadis III.
ANNUS VII et VIII.

IMPERATORI
CÆSARI
LEOPOLDO
MAXIMO

PIO IVSTO MVNIFICO
VICTORI AC TRIVMPHATORI
SEMPER AVGVSTO
RESTITVTORI REIPVBL.
LIBERTATIS ADSERTORI
AC VINDICI

ACADEMIA NATVRÆ CVRIOSORVM
OPTIMO PRINCIPI
L. M. Q. D.

Suſcipe ſervorum, CÆSAR, devota tuorum
Munera, quæ ſacras ponimus antê pedes.
Quod porro triplicis naturæ inviſere regna
Pergimus aſſidui, munus id omne Tuum eſt.
Aurato *nuper recreaſti providus* imbre,
Arens & ſiccum quod fuit ante, ſolum.
Inde adeo cultis dedimus quæ ſemina campis,
Uberius largo fenore reddit ager.
Hincque TIBI inſumpti documentum exile laboris,
Seque ipſam pietas noſtra, ſuosque dicat:
Mox ubi devicto reſonabunt hoſte triumphi,
Orbisque edomitus mille tropæa feret,
Nos & præteriti memores, plenique futuris
Ducemus feſtos, turba beata, choros;
Surgentesque inter, quas nunc victoria palmas
Apparat, hæc noſtræ ſymbola vocis erunt:

Auxilio Excelſi Iuſtiſſimus Omnia Vincens,
Aeternumque Explens Imperium Orbe Viget.

SERE-

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO
DOMINO

FRIDERICO

REGI BORUSSIÆ

MARCHIONI BRANDEBVRGICO
S.R.I. ARCHICAMERARIO ET ELECTORI
PRINCIPI SVPREMO ARAVSIONENSI
MAGDEBVRGI CLIVIÆ JVLIACI MONTIVM
STETINI POMERANIÆ CASSVBIORVM
VENEDORVM AC IN SILESIA
CROSNÆ DVCI
BVRGGRAVIO NVREMBERGENSI
PRINCIPI HALBERST. MINDÆ ET CAMINÆ
COMITI HOHENZOLLERÆ MARCÆ
RAVENSBERGÆ LINGÆ MEVRSII
BVRÆ ET LEERDAMI
MARCHIONI VERÆ ET VLISSINGÆ
DYNASTÆ BREDÆ ET RAVENSTEINII
VT ET CLIENTELARVM LAVEMBVRGI
AC BVTOVIÆ
ET QVÆ SVNT RELIQVA
REGI AC DOMINO SVO CLEMENTISSIMO

ACADEMIA LEOPOLDINA
DEVOTISSIMI CULTUS ET OBSEQVII
MONUMENTUM
D. D. D.

SERENISSIME AC POTENTISSIME

REX

DOMINE CLEMENTISSIME

SI, quos ſupremo rerum faſtigio Divina Bonitas impoſuit, devoto ſemper officio venerari liceret iis, quorum parata ſunt ad nutum atq; omni tempore exprom-

prompta obſequia, neutiquam ſane hoc primum die MAJESTATI TVÆ demiſſa animorum ſubjectione litaremus, qui jam diu ex immenſa gratulantiũ turba proferri deſiderantes, Regalem, quam miro univerſo orbis applauſu ſuſcepiſti, purpuram eo pridem cultu proſequimur, quo nec expectari à nobis major poteſt, neq; a quoquam ſanctior offerri. Aſt vero cúm non deceat ad ſublimem, in quo nunc emines, thronum licentius adrepere non vocatos, aut nullo alio, niſi præſtandi officii, prætextu animum a gravibus & pro publico omnium bono vigilantibus curis divertere, novo utique devotionis genere ad hoc opus eſſe nobis deprehendimus. In cujus anxia meditatione dum ſumus, quibusvis aliis ex veterum aut noſtræ ætatis ingenio uſuve exquiſitis, &, ut inferioribus tanta Magnitudine TVA, rejectis ad unum illud lucubrationum ac ſedulitatis noſtræ penſum de-

nuo confugimus, cujus generis jam aliquod ſpecimen ante hos undecim annos humillima ſubmiſſione a nobis oblatum præter expectationem ac meritum, gratiam inveniſſe læti utique recordamur, ut vel eam ob cauſſam hoc ipſum, quod nunc publicamus, volumen nemini Imperantium alteri, niſi MAJESTATI TVÆ æqvum cenſeamus exhiberi. Pretium quidem exigui muneris ex habitu æſtimare non jam in noſtra, ſed Clementiſſimi TVI Judicii poteſtate eſt, cujus idcirco Indulgentiam, ne quid heic porro deſit nobis, ſupplices imploramus. Neque interim naturæ in hoc magis abſcondita atque arcana, quam intimi animorum devotiſſimorum ſenſus aperiuntur, & dum quisque iis, quibus poteſt, munuſculis probare geſtit ſtudium ſuum, ſumma, quæ in noſtro opere deprehenditur, rerum varietas, noſtri tamen conſenſus & in TE fidei eſt argumentum.

Cum

Cum enim more majorum receptum ſit rara quæq; & inuſitata adſpectui REGVM offerri, & in Pruſſiæ quidem TVÆ Regno ſubjectisque ceteris Ditioni TVÆ provinciis tot paſſim occurrant naturæ nunquam otioſæ miracula, non inferiora heic agnoſces REGVM SAPIENTISSIME. Majorem videlicet non ſecus, ac minorem mundum TVA ſuperbum MAJESTATE, TVISQ. nunc laudibus reſonantem, Bonitatis & Omnipotentiæ Divinæ fontes inexhauſtos, gazamque cumulatiſſimam; denique ipſam adeo rerum naturam plerisque ſaltem eminus conſpectam, heic propius videndam in operibus ſane mirandis, niſi quod nobis quidem nihil, præterquam Nominis TVI Splendidiſſimum Decus, quod noſtro operi præfulget, ſeſe heic jam offerat commendandum. Agnoſces in his pariter conſortii noſtri effuſam lætitiam, ubi non arti

duntaxat ſalutari eamque profitentibus nova conſtituta præſidia cognovimus in Regia TVA Berolinenſi, illorumque ordinem legibus ſanctiſſimis munitum, ornatumque præclaris privilegiis habitu nunc incedere haut paullo, quam ante hac, auguſtiori; ſed & cumprimis ob conditam jam & cœptam Auſpiciis TVIS novam Scientiarum atque Artium Academam, quam celeberrimi noſtrisque etiam conatibus faventiſſimi Viri Godefridi Guilielmi Leibnicii ductu conſiliisque innifus non alienum duxiſti a MAJESTATE TVA ſtabilire, ſubjectorumque feliciſſimo Imperio TVO ſalutem ac incolumitatem non armis magis, quam pacis ſtudiis, quæ ſublimi iſthac mente comprehenſa tenes, tutari ac protegere. Geſtit itaque ſodalitium noſtrum, ut florentem hanc & conſpicuam maxime Academicorum TVORVM ſocietatem tanquam con-

tu-

tubernalē & arctiori neceſſitudinis vinculo ſibi coñexam conveniat, & junctis utrimq; dextris, pacto ſollemni federe fidem ſuā pariter tradat & duraturam noſtram in TE pietatē. Erunt hæc ſane nobis firmiſſima famæ inſtrumenta & æternitatis, quibus veluti clypeo & parma adverſus injurias oblivionis & temporum armati, recens quod non ita pridem illuxit, ſæculum intramus, in poſterorum etiam, ſi qua futura ſint, laudem & commendationem facile hoc pacto penetraturi. Quæ tam ingentia bona, TIBI, REX MAXIME, cumprimis deberi a nobis & nunc grati agnoſcimus, & nunquam deſitura celebratione ſumus commemoraturi. Et nunc quidem cogitationem Clementiæ TVÆ & Benignitatis, quæ verba nobis unice ſuggerit, vix dimittimus, in animis noſtris & votis æternum manſuram. Quorum ſummam, ſi momento adhuc in his morari fas eſt, ſed bre-

vem

vem illã, ſed ſinceram, & quæcunq́; Cariſſima TIBI ſunt complexam poſtremo accipe. DEVS TE nobis conſervet, Auguſte, ut intolerabilem, quam melior orbis pars inſperato GVILIELMI Regum Optimi Maximi obitu his diebus paſſa eſt, jacturam TVA jam Virtute, cui Gloriæ pariter ac Provinciarum Domus Arauſionenſis ceſſit hereditas, ſentiamus omnibus modis reſtitui atque compenſari. DEVS Auguſtam Thori Sociam, Reginam & Formæ Dignitate ac Gratia, & Virtutum Decoribus Eminentiſſimam tueatur. DEVS Vobis pariter ac Sereniſſimo Principi Regalis Purpuræ Heredi, Imperii, Poſterorum & Pacis largiatur æternitatem; ac ſi, quæ noſtra ſunt, liceat iñectere TVIS, hunc omnino propenſum in nos Animum, hanc Indulgentiã & Benignitatem TVAM, quibus nulla majora aut agnoſcimus, aut requirimus, ornamenta perpetua manere nobis ordiniq; noſtro patiatur.

CA-

CATALOGUS

EXCELLENTISSIMORUM VIRORUM.

qui pro Septimo & Octavo hoc Tertiæ Decuriæ Anno Ephemeridum Phyſico-Medicarum, Obſervationes communicarunt.

Dn. D. SYLVESTER SAMUEL ANHORN, ab Hartvviſs, Archiater Sangalenſis, Academicus Curioſus.

Dn. D. JOHANNES CHRISTOPHORUS BAUZMANNUS, Medicus in Ducatu Bremenſi Regius.

Dn. D. CONRADUS BARTHOLDUS BEHRENS, Medicus Hildeſienſis, Academicus Curioſus.

Dn. D. MATTHÆUS BLAW, Medicinæ in Univerſitate Friburgenſi Profeſſor Publicus, Academicus Curioſus.

Dn. D. JOHANNES CONRADUS BRUNNERUS, Conſiliarius & Archiater Sereniſſ. ac Patentiſſ. Dn. Electoris Palatini &c. &c. Academicus Curioſus.

Dn. D. DANIEL BSCHERER, Phyſicus Norimbergenſis Academicus Curioſus.

Dn. D. GOTTLIEB BUDÆUS, Archiater Ducalis Saxonicus, & Phyſicus Provincialis ordinarius Marchionatus Loſatiæ Superioris, Academicus Curioſus.

Dn. D. RUDOLPHUS JACOBUS CAMERARIUS, Medicinæ in Univerſitate Tubingenſi Profeſſor Publicus, Hortiq; medici Inſpector, Academicus Curioſus.

Dn. D. DANIEL GRUGER, Seren. ac Potentiſſ. Regis Boruſſiæ & Elector. Brand. Archiater, nec non Poliater Stargardienſis, Academicus Curioſus.

Dn. D. GEORGIUS DETHARDING, Senior, Seren. Ducum Megapolenſium Archiater.

Dn. D. JUSTUS FRIDERICUS DILLENIUS, in Univerſitate Giſſenſi Medicinæ Profeſſor Publ. ordinarius, Facult. Med. Decanus, Academicus Curioſus.

Dn. D. GEORGIUS TOBIAS DURR, Ser. ac Potent. Elector. Palatini, & Maximiliani Ducis Bavar. Conſiliarius & Archiater, Phyſicus Auguſtanus, Academicus Curioſus.

Dn. D. JOHANNES ÆGIDIUS EUTH, Diverſorum Principum Conſiliarius & Archiater, Practicus Hagienſis.

Dn. D. JOHANNES LAURENTIUS FEHR, Phyſicus Suinfurtenſis, Academiæ Nat. Cur. Adjunctus.

Dn. D. PHILIPPUS FRAUNDORFFER, Civitatis & Circuli Brunnenſis in Moravia Phyſicus Cæſareus Provincialis, Academicus Curioſus.

Dn. D. PYRRHUS MARIA GABBRIELLIUS, in Senenſi Univerſitate Lector Medicinæ primarius, Academicus Curioſus.

Dn. D. GUSTAVUS CASIMIRUS GAHRLIEP von der Müllen/ Seren. ac Potent. Regis Boruſſiæ, atque Elect. Brandenb. Archiater, Academicus Curioſus.

Dn. Lic. CHRISTIANUS FRIDERICUS GARMANNUS, Poliater Chemnicenſis, Academicus Curioſus.

Dn. D. MARCUS GERBEZIUS, Poliater Labacenſis, Academicus Curioſus.

Dn. D. EBERHARDUS GOCKELIUS, Archiater Würtenbergico-Weiltingenſis, & Phyſicus Ulmenſis, Academicus Curioſus.

Dn. D. SAMUEL GRASSIUS, Practicus Vratislavienſis, Academicus Curioſus.

Dn. D. JOHANNES CASPARUS GRIMM, Seren. Duc. Saxon. Iſenac. Archiater, & Poliater Lipſienſis, Academicus Curioſus.

Dn. D. JOHANNES GEORGIUS GRUBELIUS, Archiater Elector. Saxon. Academicus Curioſus.

Dn. D. JOHANNES BENEDICTUS GRUNDELIUS, Com. Palat. Cæſar. Incl. Styriæ Statuum Phyſicus, & Marpurgi Practicus, Academicus Curioſus.

Dn.

Dn. D. PHILIPPUS JACOBUS HARTMANNUS, Medicinæ & Hiſtoriarum in Univerſitate Regiomontana Profeſſor Publ. Academicus Curioſus.

Dn. D. MICHAEL HEILANDUS, Anat. Chirurg. & Botanic. in Academia Giſſenſi olim Profeſſor ordinarius.

Dn. D. CHRISTIANUS HELWICHIUS, Practicus Vratislavienſis, Academicus Curioſus.

Dn. D. JOHANNES GEORGIUS HOYER, Poliater Molhuſanus, Academicus Curioſus.

Dn. D. CHRISTIANUS LAHME, Practicus Hafnienſis.

Dn. D. JOSEPHUS LANZONUS, Profeſſor Botanices Ferrarienſis, Academicus Curioſus.

Dn. D. SAMUEL LEDELIUS, Phyſicus Nobilitatis & Civitatis Grünbergenſis Sileſiæ Infer. Academicus Curioſus.

Dn. Lic. ROSINUS LENTILIUS, Archiater Oettingenſis & Geyerenſis, Poliater Stuttgardianus, Academicus Curioſus.

Dn. D. GEORGIUS ABRAHAMUS MERCKLINUS, Reverend. & Sereniſſ. Ducis Palatini, ſupremi Teutonici ordinis Magni Magiſtri Medici Conſiliarius Medicus, & Reip. Norimbergenſ. Phyſ. ordinar. ejusdemque Collegii p. t. Decan. Academ. Curioſus.

Dn. D. GEORGIUS BALTHASAR MEZGER, Phyſicæ & Medicinæ in Univerſitate Giſſenſi quondam Profeſſor Publicus, Academiæ Nat. Cur. Adjunctus.

Dn. D. JOHANNES THEODORUS MOEREN, Aulæ Electoralis Colonienſis Medicus, Academicus Curioſus.

Dn. D. MICHAEL PAULI, Practicus Vratislavienſis, Academicus Curioſus.

Dn. D. SALOMON REISELIUS, Seren. Ducis Würtenbergici Conſiliarius & Archiater, Academicus Curioſus.

Dn. D. VITUS RIEDLINUS, Reipublicæ Auguſtanæ Phyſicus, Academicus Curioſus.

Dn. D. PETRUS ROMMEL, Reipublicæ Ulmenſis Phyſicus.

Dn. D. LUCAS SCHRÖCKIUS, Archiater & Comes Pal. Cæſar. Nobilis, Phyſicus Auguſtanus, Academiæ Nat. Carioſ. PRÆSES.

Dn. D. MARTINUS SCHURICHIUS. . . . .

Dn. D. JOHANNES HENRICUS STARCKIUS, Conſiliarius & Archiater Pruſſiacus, nec non in Univerſitate Regiomontana Profeſſor Medicinæ ordinarius, Academicus Curioſus.

Dn. D. UDALRICUS STAUDIGL, SS.Theolog. & Medic. Dr. Protonotarius Apoſtolicus, Ord. S. Benedicti in exemto Monaſterio Montis Sancti Andechs, Academicus Curioſus.

Dn. D. AMBROSIUS STEGMANN, Poliater Islebienſis, Academicus Curioſus.

Dn. D. JOHANNES TACKIUS, Eloq. & Medic. in Academia Giſſenſi quondam Profeſſor publicus primarius, nec non Ser. Haſſiæ Landgrafii Ludovici VI. Archiater.

Dn. D. JOHANNES GEORGIUS VOLCKAMERUS, Phyſicus Norimbergenſis, Acadamicus Curioſus.

Dn. D. JOHANNES MENRADUS VORWALTNER, Seren. ac Potent. Elect. Bavar. & Palatin. Conſiliarius & Archiater, nec non in Univerſitate Ingolſtadienſi Profeſſor Publicus, Academicus Curioſus.

Dn. D. JOHANNES CASPARUS WESTPHALUS, Præfecturæ Deltſchenſis & Bitterfeldenſis Phyſicus, Academicus Curioſus.

D. JOHANNES PAULUS WURFFBAINIUS, Archiater & Comes Palatinus Cæſareus Nobilis, Phyſicus Norimbergenſis Academiæ Nat. Curioſor. Ephemerid. Director.

Dn. D. THEODORUS ZWINGERUS, in Univerſitate Baſileenſi Medicinæ Profeſſor Puolicus, Academicus Curioſus.

CATA-

CATALOGUS OBSERVATIONUM
Dec. III. Ann. VII. & VIII.
Ephemeridum Naturæ Curioſorum.

Obſerv. *Pag.*

Dn. D. MATTHIÆ BLAUU.

1. De Granis hordei integris, ante XIV. dies commeſtis, per urinam excretis. 1
2. - Urina craſſa, viſcida & glutinoſa. 4

Dn. D. JOH. ÆGIDII EUTH.

3. De Curioſis quibusdam in Apertione Cadaveris muliebris annotatis. 6
4. - Glacie Pentecoſtali, nive caniculari, & Inundatione autumnali. 7
5. - Zibebarum Smirnæarum Gigantis. 8

Dn. D. CHRISTIANI HELWIGII.

6. De ſuppreſſione Urinæ in pleuritica, cum ſudoribus ſummis conjuncta non inſalutari. 9
7. - Salivatione in Arthritide & Scorbuto. 11
8. - Phlebotomia in Arthritide. 14
9. - Notatis in Anatome Mulieris. 15

❋ ❋ ❋

Dn. D. THEODORI ZUINGERI.

10. De Syrupo Prophylactico, ad Prolongandam Vitam & Podagræ, aliorumque Morborum inſultus arcendos, mitigandosque experto. 18
11. - Fractura oſſium cruralium, multiplici, cum juncturæ Tali diſlocatione, feliciter curata. 20
12. - Hiſtoria fiſtulæ lumbaris, è Rene dextro calculoſo ſcaturientis, & ſubtercutim, muſculosque Clunis dextræ reptantis, lethiferæ, cum Cadaveris anatome. 23
13. - Ulcere antiquo, in Meatu Urinario, feliciter curato. 27

Dn. D. GEORGII DETHARDINGII SENIOR.

14. De Aſparago laticauli. 31

Dn. D. JOHANNIS GEORGII GRUBELII.

15. De Maniaco curato. 32
16. - Febre Quartana mutatione aëris curata. 35

Dn. D. PHILIPPI FRAUNDORFFERI.

17. De Flatu furioſo, lactis uſu curato. 37
18. - Linimento ad Serpiginem Evporiſto. 37
19. - Muliere nunquam in Vita ſua Menſes experta, & nihilominus gravida. 38
20. - Altero Teſticulo deficiente. 38
21. - Pupillis oculorum cordiformibus. 39
22. - Juvene ſupra ſiniſtrum hypochondrium caput informe habente. 39

Dn. D. JOHANNIS CHRISTOPHORI BAUTZMANNI.

23. De Pulvere dato, ad extorquendam incendiarii confeſſionem. 39
24. - Fœtu in Utero exſiccato. 40
25. - Morbo ex incantatione mirabili. 41
26. - Pene monſtroſo. 49
27. - Dyſuria extincti anatome. 50
28. - Verme in Lapide reperto. 51
29. - Secali temulento. 52
30. - Sciuro albo mortis nuncio. 53

Dn.

❧ ❧ ❧

Dn. D. AMBROSII STEGMANNI.

31. De Partu in utero materno putrefacto. 53
32. - Partu in Utero materno Verminefacto. 54
33. - Falſa ingravidatione & flatuum loco fœtus excluſione. 56
34. - Terrore & conſpectu agonizantis, ſuppreſſio menſium, & ex hac, Dyſenteria lethalis. 56
35. De duplicata Vulva. 57
36. - Plica Judæorum. 57
37. - Colica Periodica. 59

Dn. D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI.

38. De Genitalibns Vitulæ monſtroſis. 59

Dn. D. PETRI ROMMELII.

39. De Clyſtere innoxiè per os rejecto. 62
40. De pica in infante. 63
41. - fœcunda ſine menſtruis. 65
42. - ſuperſtitione puerperarum nonnullarum ſomnum conciliandi modo. 66
43. - Hypnotico raro. 68
44. - Evporiſto Emmenagogo. 69
45. - Varietate circa ſecundinas in partu gemellorum. 70
46. - Cœcitate poſt Venæſectionem. 71
47. - Gulæ coalitu â Variolis, Lucanica ſublato. 72
48. - Tertiana lacte ſæpius recocto, ſublata. 73

Dn. D. VITI RIEDLINI.

49. De Mania hæreditaria. 75
50. - Iſchuria punctura in perinæo curata. 76
51. - Cervi ventre, ſalva vita, globo trajecto. 78

Dn. D. PYRRHI MARIÆ GABBRIELLI.

52. De Viro Septuagenario, tribus quartanis laborante, Boreæ valdè efflanti expoſito, convaleſcente. 79

Dn. D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP.

53. De affectu gravi ac diuturno, variis ſymptomatis & accidentibus comitato, inter alia Ceraſi nucleo cum Urina reddito. 80
54. - Lumbagine, ſeu Dorſo & Lumborum rigiditate, cum dolore atroci. 84

55. Fœ-

55. - Fœtus præter opinionem & intentionem parentum, admiranda in Utero Materno conſervatione. 85
56. - Maternæ Phantaſiæ in fœtum deſpotico quaſi imperio. 87

Dn. D. JOHANNIS HENRICI STARCKII.

57. De Apoſtemate interno. 91

Dn. D. MATTHIÆ BLAUU.

58. De febre tertiana intermittente maligna. 94
59. - Lotio bufonis Ophthalmico. 97

Dn. D. SAMUELIS LEDELII.

60. De Cuticulæ corporis, intra menſem trina depoſitione, ſalvis unguibus & capillis. 99
61. - Evomitione Vermis. 101
62. - Conditoriis Urnarum Germanorum. 102
63. - Odore Mortis indice. 104
64. - Veſpertilione mortis nuncio. 104
65. - Morte â Butyro. 106

Dn. Lic. CHRISTIANI FRIDERICI GARMANNI.

66. De Hyoſciamo Altercum. 106

Dn. D. JOHANNIS LAURENTII FEHRII.

67. De Fœtu mortuo, â Chirurgis ſalva matre, feliciter extracto. 115

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

68. De Herpete, ſola aqua marina curato. 116
69. - Tumore inſigni, â capitis lotione. 116
70. - Cœcitate, ex intempeſtiva ſanguinis miſſione. 117
71. - Dolore maximo dentium, nive appoſita ablata. 117
72. - Vermibus pertuſſim rejectis. 118
73. - Morte â frigido potu. 118
74. - Pulvere febrifugo. 118
75. - Calculis in pericardio 119

Dn. D. MARCI GERBEZII.

76. De Gravida, ex nimio ſanguinis profluxio demortua. 120

Dn. Lic. ROSINI LENTILII.

77. De Lapidibus aureolis è veſicis boum. 121

Dn.

78. - Contabeſcendia â faſcino mira & memorabili. 123
79. - Bonis horis male collocatis circa meditationes ſuper pluviam coccineam. 132
80. Radice effractoria, vel apertoria, vulgo Spreng-Wurtzel. 144

Dn. D. SAMUELIS GRASSII.

81. De Abſceſſu muco carnoſo botryoide, ſiniſtri labii vulvæ, feliciter exciſo. 148

Dn. D. MICHAELIS PAULI.

82. De Felici ex traduce ſeminali Idea nodoſi capitis externi, curatione. 149
83. - Conceptione fœminæ cujusdam Plebejæ rariſſima. 146
84. - Infauſta ex intempeſtivo thermarum uſu, humorum Metaſtaſi. 147
85. - Mira & rariore in Puella quadrienni Malacia. 148

Dn. D. JOHANNIS BENEDICTI GRUNDELII.

86. De Lacte in ſenibus & pueris generato. 149
87. - Menſtruorum fluxu periodico, ex ductibus ſalivalibus. 150

Dn. D. RUDOLPHI JACOBI CAMERARII.

88. De Stationibus Barometri ſub Eclipſibus. 151

Dn. D. SAM. LEDELII.

89. De ſudore â purgante. 153
90. - Variis â petechiis diſparentibus ſymptomatis. 154
91. - Paralyſi linguæ feliciter curata. 155
92. - Sternutatione Apoplecticorum non ſemper ſalutifera. 156
93. - Febre ab injectione decocti frigidi in fauces. 156
94. - Linteis lucidis. 157
95. - Pnevmonia ex itinere facto lethali. 158

Dn. D. MATTHÆI BLAUU.

96. De Hydrope ex uſu thermarum mox lethali. 159
97. - Variolis ab externi aëris frigiditate retropulſis, viſcera interna occupantibus & lethalibus, per autopſiam anatomicam inſpectis. 161

❀ ❀ ❀

Dn. D. JOHANNIS THEODORI MOEREN.

98. De Eclipſi Solari, quæ fuit 23. Sept. ſt. nov. 1699. 163
99. - Effectu Eclipſis Solaris. 166
100. - Rara uteri Virginei excreſcentia. 167

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

101. De Duplici dentium ordine in infante. 169
102. - Noxa ex cibo cocto in Vaſe æneo. 169
103. - Variis Antipathiis curioſis. 170

Dn. D. DANIELIS CRüGERI.

104. De Epilepſia horrenda & contumaci. 172
105. - Æthiope minerali, ſanguine Regis abluto, illuſtrato & nobilitato. ſ. Cinnabari ſolari. 173
106. - Sella Curioſa Sereniſſimo Electori Brandenburgico nunc Magno Boruſſiæ Regi, oblata, cum Homagium Stargardiæ ſuſciperet. 174
107. - Infantis in Syncopen lapſi ſingulari cura. 175
108. - Clavorum pedum certa cura. 175
109. - Singulari remedio contra Calculum. 176
110. - Diaſcordio anthelmintico magna Doſi ſumto. 176
111. - Sanguine poſt quintum diem à morte præternaturaliter ad mulieris famoſæ tactum, fluente, cum Judicio Medico. 176
112. - Sole ſine Veſte. 183
113. - Doloribus lumborum intolerabilibus. 185
114. - Lacte poſt quatuor ſeptimanas revocato. 185
115. - Iſchuria Oleo ſcorpionum ex errore ſumto, curata. 186
116. - Calculi renum commnutione. 186
117. - Cuneo metallico & ſaxeo. 188

Dn. D. LUCÆ SCHRöCKII.

118. De ligno fagino figurato. 189

Dn. D. JOHANNIS HENRICI STARCKII.

119. De Piſce Hermaphrodita. 190

Dn. D. MARTINI SCHURICHII.

120. De Calvo poſt triginta Annorum decurſum comato. 191

b

Dn.

121. - Miris maculis & veſiculis in cute ſanguineis, copioſaque ſanguinis in puero per Urinam emiſſione. 196

Dn. D. JOHANNIS CASPARI WESTPHALI.

122. De Catalepſi admiranda in Cane. 197

Dn. D. JOHANNIS THEODORI MOEREN.

123. De Injectis. 203

Dn. D. SAMUELIS LEDELII.

124. De Parturiente Epileptica curata. 206
125. - Vulnere Arteriæ. 207
126. - Singulari faſcino. 208
127. - Singultu in febb. malignis. 209
128. - Aqua Ligni Fraxini. 210

Dn. D. VITI RIEDLINI.

129. De Rara reſpirationis difficilis cauſa. 210
130. - Arthritide per Contagium contracta. 212
131. - Polypo, Nicotianæ fumo curato. 214

Dn. D. CHRISTIANI HELWICHII.

132. De Febre Petechiali. 216

Dn. D. SYLVII SAMUELIS ANHORNII AB HARTWISS.

133. De Abortu feliciter inhibito. 223

Dn. D. JOHANNIS CASPARI WESTPHALI.

134. De Inquiſitione in Vinum lithargyrio fucatum, occaſione Sacchari Saturni, ex lithargyrio confecti, & inde orta noxa. 228
135. - Delirio amoroſo. 235

Dn. Lic. CHRISTIANI FRIDERICI GARMANNI.

136. De Tonitru Obſtetricante! 243
127. - Loco apud Plinium L. XI. Cap. XXXVII. Conjecturæ Jecur maximè vetuſtatis patiens centenis annis durare, Obſidionum exempla prodidere. 254

❋ ❋ ❋

Dn. D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP.

138. De Minutiis Animalibus Curioſis, ſeu Inſecto minimo novo & ante hac vix, à me ſaltim unquam viſo genere. 256
139. - Minutiis Vegetabilibus Curioſis foliorum ſambucinorum floſculis minutiſſimis ſoboleſcentibus. 258
140. - Puella primo â Nativitate octiduo, fluore tam albo quam rubro tentata, & quaſi menſtruo laborante. 259
141. - Termitibus è Naſo excretis. 260

Dn. D. JOHANNIS MANARDI VOR-WALTNERI.

142. Ex Anatome abſceſſu Ventriculi defuncti. 261
143. - Vomitorio ſublati. 262
144. - Sarcomate ſuffocati. 262
145. - Gangræna inteſtinorum extincti. 263
146. - Pleuritide demortui. 264
147. - diu Arthritici. 265

Dn. D. GEORG. TOBIÆ DURRII.

148. De Hydrophobia felina ultra annum occultata. 266
149. - Menſibus quarto ætatis anno fluentibus. 267
150. - Vermibus umbilicalibus. 268

Dn. D. JOH. MATTHÆI BLAUU.

151. De Cranio multoties perforato, cum Variis fracturis oſſium, absque manifeſta cauſa. ſ. Rara Ventoſitate ſpinæ. 270

Dn. D. JOHANNIS TOCKII.

152. De Utero Steatomatico. 274
153. Ex Hydropici Paracenteſi & Anatome. 275
154. - Anatome mulieris in partu mortuæ. 275
155. - Phthiſici Anatome. 276

Dn. D. GEORGII BALTHASARIS MEZGERI.

156. De Anatome puelli Principis annui hydrope defuncti. 276

Dn. D. MICHAELIS HEILANDI.

157. De Viſus impotentia ob vitium Nervi Optici. 277

158. No-

❀ ❀ ❀

158. - Notabilibus nonnullis in Cadavere obſervatis. 278
159. - Rarioribus in Virili cadavere obſervatis. 278
160. - Cohærentia craſſæ Meningis cum Cranio &c. &c. nulla. 279

Dn. D. JUSTI FRIDERICI DILLENII.

161. De Strynchi maniaci Veterum, vel Solani ſomniferi Recentiorum baccis, earundemque eſu noxio. 279
162. - Lienis exſectione. 280
163. - Cane Μονόρχει. 281
164. - Sex Lumborum Vertebris in Sceleto Virili. 281
165. - Memorabilibus nonnullis in cadavere muliebri obſervatis. 281
166. - Vulnere arteriæ magnæ per medium abdomen, illæſis inteſtinis omnibus, inflicto, lethali. 282
167. - Ulceroſa phlegmone auris ſiniſtræ, topico parergorico εὐπορίςῳ percurata. 282
168. - Vulnere arteriæ tracheæ ſclopeto charta maſticata ceu referebatur, ſaltim infarcto, inflicto, lethali. 283
169. - Febre lenta ἐκλικαύδει graviſſima, IV. hebdomadum ſpatio feliciter curata. 285
170. - Febre continua cum dolore occipitis & vertebrarum colli acutiſſimo &c. ex cerebri commotione per caſum ab alto factum, oriunda, brevi curata. 286

Dn. D. THEOPHILI BUDÆI.

171. De Epilepſia per ſalivationem Mercurialem curata. 288
172. - Atrophia à Calculo & Ulcere Renum. 290
173. - Hydrope Tympanite Mictu cruento ſoluto. 291

Dn. D. JOHANNIS CASPARI GRIMMII.

174. De Dyſenterico à Muſcis Cobalto (Mucken-oder Fliegen-Pulver) enectis, & in opinatò epotis. 292

Dn. D. JOHANNIS GEORGII HOYERI.

175. De Ebore foſſili, ſeu de ſceleto Elephantis in collo ſabulo reperto. 294

176. - Delirio cum ferocia â baccis Solani. 295
177. - Aquæ ſtygiæ hauſtu exitioſo remediis domeſticis curato. 296
178. - Colocynthidis Infuſo, lethalem hypercatharſin ſuſcitante. 297
179. - Epilepſia Chronica, unà cum febre Epidemica maligna curata. 298
180. - Cholera defuncti Anatome. 299
181. De Hæmorrhagia largiori, è cavitate dentis maxillaris. 300
182. - Lochiorum ſive ſanguinis immodici profluvio remedio domeſtico probatiſſimo placato. 301
183. - Tumore axillæ Cancroſo prægrandi, ejus anatome & infelici curatione. 301
184. - Prægrandibus & monſtroſis Naſi tumoribus, ſubligato pilo camelino, feliciter curatis. 303

Dn. D. CHRISTIANI LAHME.

185. De Ophthalmia deſperata, Collyrio tandem curato. 304

Dn. D. MARCI GERBEZII.

186. De Hepate in hydropica injuſte inculpato. 305
187. - Epilepſia duorum annorum virgis curata. 306

Dn. D. PYRRHI MARIÆ GABRIELLI.

188. De Orthopnœa ex Vermibus. 307
189. - Vermibus è naribus, & ex dorſo erumpentibus. 307
190. - Doloribus Nephriticis periodicis. 307
191. - Lapide Bezoardico ſimili in Ventriculo capreoli invento nucleum plumbeum continente. 309

Dn. D. EBERHARDI GOCKELII.

192. De Ulcere inguinis ſiniſtri fiſtuloſo, ex quo vermes prodierunt. 310
193. - Febre maligna petechiali, ab olfactis floribus, quibus cadaver puerile, febre acuta defuncti, ornatum erat, proveniente. 312

Dn. D.

Dn. D. UDALRICI STAUDIGELII.

194. De curioſis poſt apum ictus ſymptomatibus. 314
195. - Ozœna in quatuor fratribus. 318
196. - Apoplexia bis curata, tertio redeunte lethali. 322
197. - Muſca compluribus Vermibus fœta. 325

Dn. D. CHRISTIANI HELWICHII.

198. De Convulſione rariori. 326
199. - Tabe dorſali. 329
200. - Parotide. 331
201. - Febre Scorbutica. 333
202. - Cura Vomitus poſt partum. 336
203. - Paralyſi Lateris dextri, evaneſcentem ſurditatem excipiente. 337
204. - Uſu omenti. 338

Dn. D. SAMUELIS GRASSII.

205. De Mercurio, Vermium vel Pabulo vel ſtabulo. 340

Dn. D. JOHANNIS CONRADI BRUNNERI.

206. De febre maligna miliari. 341
207. - Dolore Iſchiadico periodico acutiſſimo. 346

Dn. D. SAMUELIS REISELII.

208. De Unicornu marino duplici. 350

Dn. D. LUCÆ SCHRÖCKII.

209. De farina minerali. 353

Dn. D. JOHANNIS GEORGII VOLCKAMERI.

210. De Attmella Lithontriptica. 356

Dn. D. GEORGII ABRAHAMI MERCKLINI.

211. De Juvene triorchite quidem, ſed tamen frigido. 358
212. - Vomitu cruento enormi licet, tamen ſalutari. 359
213. - Excretione fæcum alvinarum per ſinum muliebre. 360

Dn. D.

Dn. D. CONRADI BERTHOLDI BEHRENS.

214. De Podagra Capitis. 361

215. - Podagra indolente. 362

216. - Fœtu numeroſo. 363

217. - Hæmorrhagia narium paroxyſmi inſtar recurrente. 364

218. - non vana à ſolſtitiis de morborum Chronicorum eventu prædictione. 395

219. - Riſu involuntario. 387

Dn. D. DANIELIS BSCHERERI.

220. Oculus artificialis. 398

D. JOHANNIS PAULI WURFF-BAINII.

221. De Tumore ſub cavitate axillari ad cubitum usque prægrandi, in ſeptuagenario feliciter extirpato. 400

222. - Mola ex Vidua ſexagenaria. 402

CÆSAREO-LEOPOLDINÆ ACADEMIÆ NATURÆ CURIOSORUM EPHEMERIDUM MEDICO-PHYSICARUM DECURIÆ TERTIÆ ANNUS SEPTIMUS & OCTAVUS.

OBSERVATIO I.

Dn. D. MATTHÆI BLAUU.

De Granis hordei integris ante XIV. dies comeſtis, per urinam excretis.

Habebamus hîc ante annos aliquot inter milites noſtros præſidiarios Prænobilem quemdam Colonellum *D. Erfurt* dictum, virum ætatis ſuæ circiter 30. annorum, extraordinarie longæ corporis ſtaturæ, doloribus nephriticis obnoxium, iiſque ſæpè vexatum. Is cùm aliquando ſolito gravius hôc morbo vexaretur & dolores intenſiſſimos cum alvi & urinæ obſtructione pateretur, media nocte neceſſitate & doloris ſtimulo impulſus, me tunc temporis militiæ hujus præſidiariæ Medicum ordinarium & à Celſiſſimo Regimine Auſtriaco conſtitutum, vo-

cari jubet pro conſilio; præſcripſeram mox clyſteres emollientes anodynos, pulveres diureticos aperientes & nephriticos, oleum amygd. dulc. cum Semicupio &c. his tamen omnibus adhibitis, dolor prius non ceſſerat, usque dum tandem urina in magna quantitate una cum multa materia ſabuloſa excreta fuit, in qua aliquot integra & tumida hordei grana inventa ſunt, inde omnis dolor mox remiſit, & patiens penitùs ſucceſſivè reſtitutus eſt. Interroganti mihi unde grana hordei cum urina excreta provenirent? reſpondebat D. Colonellus, ſe aliam hujus rei cauſam non ſcire, niſi quod ante 14. dies hordeum coctum ex juſculo comederit.

Scholium.

Iſchuriam tam è calculis quàm ſabulo & materia viſcida in renibus, ureteribus & veſicæ cervice hærentibus excitari poſſe, omnibus notum eſt practicis, aſt in caſu propoſito non videtur vero ſimile, calculum hujus ſymptomatis cauſam extitiſſe, eò quod calculi nulli per urinam excreti fuerint, neque poſt hac Colonellus iſte aliqua incommoda quæ calculi latentis ſuſpicionem facere potuiſſent, perpeſſus eſt: neque ſolum ſabulum in cauſa fuiſſe videtur, quia arenulæ excretæ erant minimæ, quibus per vias urinarias tranſitus poterat eſſe facilis, neque aderat tanta materiæ viſcoſitas, ut ſabulum eâ inviſcatum hujus obſtructionis & urinæ retentionis cauſam ſufficientem ſuppeditaſſe videri pôſſet. Hinc probabiliter licet conjicere, grana hordei duriora & non ſufficienter elixata, (quorum haud pauca eaque ſatis magna erant) in viarum urinariarum ductibus hæſiſſe, atque obſtructiones pariendo urinæ tranſitum denegaſſe, quibus tandem per aperientia & diuretica atque externa emollientia ſolutis, ipſi obſtructionis cauſæ, via aperta eſt, per quam collecta hordei grana unâ cum ſabulo & urina copioſâ ad morbi ſolutionẽ excreta ſunt. Aſt, per quas vias hordei grana ad urinar. vaſa devenerit, non tam palam eſt, nec tam facilè & certo demonſtrari poteſt, inſuper valde dubium, an quânam corporis parte, jam ante 14. dies commeſtatanto tempore remoram fecerint. Quòd autem in ventriculo vel vaſis lacteis tam diu latuerint & per diureticorum vim ad urinarias vias deorſum propulſa ſint, vix credibile, quia nimirum ante nephriticorum uſum obſtructionis ſymptomata & Iſchuria jam aderant, quod evidens ſignum, etiam obſtructionis cauſam priùs jam in viis urinar. præexſtitiſſe, ideoque neceſſe eſt, ut hordeum aſſumptum inconcoctum ex ventriculo ad vaſa lactea, atque ex his, vel ordinariâ humorum motus lege ad renes vel per occultas vias ad ipſos ureteres aut veſicam delatum ſit. Nihil hîc adducam de rebus alienis, exgratia de clavis funiculis, vitris, ſacculis &c. ab incantatione introductis & per urinam è corpore excretis, quales obſervationes leguntur apud

Schen-

Schenckium Obſ.325. item *in Ephem. Germ. Decur. annorum tert. anno 3 obſerv. 54. & 98.* Hæc enim ad inſolita naturæ opera à cauſis ordinariis naturalibus non provenientia referenda ſunt. Sed quòd ipſi cibi aſſumpti vel aliquæ ſaltem eorum particulæ v. gr. fruſtula radicum apij, fungorum, acini halicacabi, ſemina aniſi &c. per urinam excreta fuerint, plura leguntur Exempla in practicorum obſervationibus, uti ex alijs annotavit *Schenckius l. 3. obſerv. 32. & 34.* item *Bonetus anatom. pract. l. 3. lect. 28. obſerv. 31. cum aliis*, quæ omnia per ordinarias & conſuetas, quæ ad renes tendunt, vias, excreta fuiſſe ſunt credita, quibus autem an fides danda ſit, non immerito dubitatur. Etſi ejuſmodi rebus ſolidis daretur ad renes tranſitus, is præ alijs facilius concedi poſſet, aſſumptis hordei granis ceu figura ſuâ oblongè rotundis & lubricis atque ad commodiorem per vaſa motum pronis; ſed nihilominus captu videtur eſſe difficile, quomodo tenuisſimos vaſorum lacteorum ductus, inde per cavum & dextrum cordis ventriculum & hinc per anguſtisſimos & anfractuoſos pulmonum meatus ad ſiniſtrum, ex hoc per aortam & arterias emulgentes ad renes, & in his per glandulas renales & caruncula papillares ad pelvim, tandemque ex hac in ureteres & veſicam innoxiè deferri posſint majora hordei grana, quin ſanguis ipſe unà ſimul effluat, aliaque graviora ſanitatis incommoda in pectore ſuboriantur, quorum nullum tamen in caſu noſtro fuit deprehenſum. Adhæc certis obſervationibus conſtat, alias res ſolidas duriores ex incuria improviſò & ineptè deglutitas, ut aciculas & acus longas per urinam excretas eſſe; an & iſtæ per ſupra dictas vias ad veſicam uſque ſine noxa pervenire potuerint, prorſus incredibile, immo omnem fidem & rationem ſuperare videtur. Quare etſi αὐτοψία anatomica necdum omnia ſufficienter comprobaverit, licet tamen rationabiliter conjicere immo concludere, dari alias occultas vias, per quas ex vaſis lacteis ejuſmodi res ſolidæ una cum potulenta liquida & aquoſa materia ad veſicam proximè deferuntur, quæ alia eſſe non poſſunt, quam ipſa vaſa lactea ad veſicam exeuntia; quod ipſum nonnulli ex recentioribus volunt inſignes Anatomici, inter quos legi meretur Experientisſimus *Diemerbroeck anatom. l. 1. c. 17. p. m. 149.* hujus quoque opinionis fuerunt aliqui ex celeberrimis Medicis practicis, quibuscum de præſenti obſervatione & caſu propoſito mihi familiaris erat correſpondentia. Quod denuo confirmare videtur ex obſervatione in illis potatoribus, qui potum in magna quantitate aſſumptum intra dimidiæ horæ ſpatium omnino crudum ac inconcoctum per urinam emittunt, quod utique fieri haud poſſet, ſi talis copioſa potulenta materia per vias ordinarias & conſuetas cum ſan-

ſanguine ad renes & inde ad veſicam deferri neceſſe haberet. Verùm occultas has vias in omnibus hominum corporibus ordinariò dari, non videtur credibile, quia effectus in omnibus id non comprobat, eo, quòd res ſolidas per urinam emitti quàm rariſſime obſervetur, & ſi in omnibus eſſent, non dubitandum, quin poſt vaſorum lacteorum inventionem ea quoque, quæ ad veſicam ordinario tenderent, ab accuratioribus anatomicis jamjam detecta eſſent, quòd tamen hucuſque necdum ſufficienti autopſia ſed rationabilibus tantùm fundamentis probatum eſt: conſtat proinde, naturam in partium ſolidarum & internorum corporis humani meatuum conformatione diverſimodè nonnunquam variare, quod etiam in noſtro caſu factum eſſe potuit. Longè majorem admirationem meretur obſervatio de integris prunorum nucleis per veſicam excretis, qualis ab *Excellentiſ. D. Doct. Jægerſchmidt* deſcripta legitur *in Ephem. Germ. decur. annor. 3. anno, 2. obſerv. 150.*

OBSERVATIO II.

Dn. D. MATTHÆI BLAUU.

De Urina craſſa viſcida glutinoſa.

PRænob. & Strenuus D. *Jonas Adolphus Zinzerling*, Reverendiſ. Capituli Conſtant. Præfectus Superior, affinis & amicus meus dum viveret integerrimus, vir ætatis ſuæ 50 aliquot annorum, ſtranguriâ ſæpe vexatus, magna difficultate & acerbo cruciatu ſæpiùs eminxit urinam craſſam, viſcidam, lentam, glutinis inſtar ita cohærentem, ut per inclinationem ad ulnæ longitudinem extendi potuerit, & filtro impoſita, ne guttulam aquæ per chartam ex ſe dimiſerit, uti non ſemel mihi monſtravit, & ad probam dedit; erat inſuper urina albi coloris, odoris verò acris & ſalſiſſimi, qualem haleces referre ſolent, calculum autem nec antea nec poſtea ullum obſervare potuit; Diætam verò contra frequentes admonitiones obſervavit nullam, ſed ſummopere delectabatur cibis crudis, acidis & ſalſis, acetariis, caſeo, piſcibus & carnibus multo ſale conditis &c. adhibita ſunt varia remedia, aperitiva, attenuantia, demulcentia, & diuretica, ex quorum uſu quidem levamen accepit, ſed perfectè reſtitui non poterat, uſque dum poſtea *thermas piperinas* adiit, ex quarum potu & balneo integrè reſtitutus rediit, iisque poſtmodùm bono ſemper effectu uſus fuit. Tandem verò anno præcedenti, ex alio ſuperveniente gravi morbo ventriculi & febre lenta, ſenex prope ſeptuagenarius, viribus conſumptus, obiit, magno amicorum luctu, &c.

SCHO-

SCHOLIUM.

INter diverſiſſimas Urinas, quæ ab ægris tanquam morborum ſigna Medicis inſpicienda offeruntur, ſatis raro ejusmodi urinam in obſervatione deſcriptam examinandam occurrere, fatebuntur omnes, quibus circa viſitationes ægrorum & in praxi medica multum eſt negotii, quoad craſſitiem, lentorem, & glutinoſitatem, obſervavit ſimilem *Schenckius noſter obſervat: medicinal. l. 3. obſerv. 327.* Sed abſque tali acrimonia ſalſa & ſine ulla valetudinis noxâ ordinariò excerni ſolitam, cujus tamen rei rationes & cauſæ nullæ afferuntur, in caſu noſtro ipſemet D. patiens in libris & litteris alias verſatiſſimus, judicioque perſpicaciſſimus judicabat, ac mentem ſuam de proprio affectu per litteras mihi ſignificabat, ſe laborare cacochymia, quam natura ipſa morborum medicatrix per urinarias vias quærat expellere; quod ſuo loquendi modo dici haud ineptè potuiſſet, eò quòd cauſas morbificas ex ſanguinis Maſſa præter alias vias etiam per urinam præcipitari quotidiana demonſtret experientia: quamvis enim ex habitu corporis & ſignis externis nulla jam præſentis cachexiæ pituitoſæ adeſſent indicia, fieri tamen potuiſſe, prorſus eſt credibile, immo evidenter certum, particulas heterogeneas craſſas, lentas, viſcoſas, acido ſalſas, ex ejusmodi qualitatis cibis in chylum & ex hoc in ſanguinem tranſiiſſe, talemque cacochymiam induxiſſe, quæ antequam cachexia ſuboriretur, diſſolutæ & per ordinarias vias ad renes & urinaria vaſa præcipitatæ ſunt, nam etſi quidem (ut ex obſervatione præcedenti conſtat) vias occultas ſeu vaſa lactea ex Meſenterii lacteis ad veſicam derivari recentiores nonnulli doceant anatomici hocque omnino probabile ſit, tamen huc non ſemper confugiendum, omnia p. naturalia urinæ excreta illuc tranſire, quamdiu rationes ſufficienter oſtendi poſſunt, ejusmodi excretorum materiam per ordinarias & conſuetas vias ad veſicam amandari. Cæterum dantur varii dolores, circa lumborum regionem, & in imo abdominis inferioris cum urinam reddendi difficultate obſervabiles, quas vulgus dolores nephriticos appellare ſolet, quamvis tales minimè ſæpè ſint, eò quòd medicè propriè & *κατ᾽ ἐξοχὴν* loquendo, nephriticus dolor ſoli renum inflammationi aut calculo conveniat: hoc tamen docet experientia practica, dari certam nephritidis (ut uſitato loquar vocabulo) ſpeciem, ex ſola pituitoſa aut viſcoſa maſſa & lenta, in renibus comorante vel in cavitate veſicæ coagulatâ materiâ provenientem, quam vulgo, *einen Schleim-Grieß* non inconcinnè cum aliis appellare placet, ex qua dolores veram nephritidem

tmulantes & Iſchuriam ac ſtranguriam efficientes oriuntur; abſque tamen inflammatione, calculo & ſabulo, quod aliquoties in diverſis ſubjectis maſculini ſexûs expertus ſum, firmiterque mihi perſuaſum habeo, hoc ipſo affectu ex eadem materia acida, acri, & viſcoſa in veſica ſenſim collecta & lenti glutinis inſtar cohærente, atque acrimonia ſua ſalſa veſicæ cervicem vellicante ac ſtranguriam cauſante, laboraſſe ægrum in obſervatione præſenti memoratum; id quod ex juvantibus confirmatur, eò quòd ex attenuantium, viſcoſitatem incidentium aperientium, diureticorum, nec non acrimoniam ſalinam mixtam demulcentium, (quorum formulas hîc deſcribere non opus eſſe videtur) remediorum, prout thermarum Fabarienſium (ſingulariter contra hos affectus proficuarum) uſu, optimè ſeſe habuerit D. patiens, reliquo poſt hæc tempore à dolorifica & permoleſta ſtranguria nunquam ampliùs vexatus, nec ſimilem craſſam tenacem & glutinoſam urinam reddere expertus. *Conſtantiâ Auguſtam Vind. d. 4. Aug. A. 1698. miſſæ.*

OBSERVATIO III.

Dn. D. JOANNIS ÆGIDII EUTH.

De apertione cadaveris muliebris.

ANno Chriſti M. DC. XCVII. d. VII. Januarij *Viennæ* vitam finiit beatisſimè, *Nobiliſſimi Domini Conſiliarij Saxonici, Immanuelis Willij Uxor Lectiſſima*, ætatem 56. annorum attingens, maximámque vitæ ſuæ partem, impatibilibus tranſigens cruciatibus, atque leipothymiis frequentibus.

In diſſectione, bini Viennenſes Chirurgi, Franciſcus de Sorbaith & Joannes Fortunatus Boucher deprehenderunt, (ut mihi *Hagæ Comitis* D. 2. Maj. 1697. *Præmemoratus Dominus Willius, Fautor meus edecumatus*, ad Tractatus Pacis Ryſvvicenſis, à Potentisſimo atque Sereniſſimo *Electore Saxoniæ, Friderico Auguſto, Rege Poloniæ*, miſſus, αὐτόπτης retulit.)

Pulmones inculpatos.

Cor duobus obſeſſum polypis, dextrò nempè ſinu.

Renem dextrum, lumbrico inquinatum lato, &

Uterum, multâ acri lymphâ.

In Capite, propter gravem *Beatæ Matronæ* lapſum, biennio prægreſſo, inventa mox fuit particula acuta osſis, ad inſtar avenæ, intra

piam

piam durámque matrem, quæ huic arctè adhærebat, hancque quaſi perforabat, propè ſuturam ſagittalem & lambdoideam in parte ſiniſtrâ, paucam animadverterunt ſaniem putrem, cephalæa indè ſævisſima, quam phlebotomiâ crebrâ atque patientiâ Ægra devicit ſummâ, proin dicere poſſum de hâc piè defunctâ *Matronâ Williâ*, quod Hieronymus de Marcellâ quondam dixit: Sic ætatem duxit & vixit, ut ſemper ſe crederet eſſe morituram; ſic induta eſt veſtibus, ut meminiſſet ſepulcri.

Hoc ſatis in tumulo, fragilem Te noveris eſſe,
Mors certa eſt, tempus perbreve, vita nihil.

OBSERVATIO IV.

Dn. D. JOANNIS ÆGIDII EUTH.

De Glacie pentecoſtali, Nive caniculari, & Inundatione autumnali.

ANno Chriſti M. DC. XCVIII. aſperâ hieme traductâ, Ver ſubſecutum procelloſum, cum frigore prorſus extraordinario, ſegetibus, herbis, plantis, arboribus, maximè infenſo, imò quod inauditum, *Glacies* producta craſſitudinem Imperialis referens, ipſo videlicet Feſto Pentecoſtali *Die* $\frac{18}{8}$ *Maji*, cum hîc *Hagæ Comitis*, tum alibi, quâpropter proverbium commune, ad *Græcas Calendas* an Sanct Nimmers-Tag / zu Pfingſten auf dem Eyß / nunc nemine contradicente, in veriverbium abiit; impoſſibile, factum eſt poſſibile: adducens ἀφόβως

Annorum teſtem, lucem, vitæq́ Magiſtram
Hiſtoriam veram.

Porrò *Nix Canicularis*, inſueto naturæ loco, tempore & curſu, hoc quoque Anno *Die* $\frac{12}{2}$ *Auguſti Luxenburgi* frigore cecidit acri, incredibilis profunditatis Nix, tres certe ſuperans pedes atque peregrinantes in viâ valde retardans.

Aliàs in propatulo, ubi horridiora frigora, ibi & frequentiores nives *Hollandi* navigationibus deditisſimi, exque novâ Zemblâ reduces affatim atteſtantur, quin & *Alpes*, quaſi albentes nivibus, convalles, Valles inter immenſa montium juga perenni propemodum circumveſtita ſunt nive, quò tunc pertingere radiis denegatur ſolaribus.

Can-

Caucaſus mons Indiæ editisſimus, aſperrimus & notisſimus, jugi gaudet nive. Ex *Tartariâ* revenientibus, fide bonâ habeo, æſtate ibidem ningere ſæpisſimè; at longè diſcrepat à noſtro Climate, hoc vel ægerrimè, vel nunquàm, niſi hâc duntaxat vice accidit.

Cæterùm, cum incipiente menſe Septembr 1698. ob asſiduos & magnos imbres ad $\frac{18}{8}$ Sept. uſque durantes, hîc *Hagæ Comitum*, inque toto Belgio noſtro, alijſque ſex unitis Provincijs, ineffabilis exorta eſt *Inundatio autumnalis*, haud abſimilis irruptioni Diluviali, ſiquidem omnes Cellæ, multæ plateæ, ex fosſis pasſim reſtagnantibus, & aliquot deſtructis aggeribus, plurima prata fuerunt quaſi diluviata, ſaginatumque huc è Daniâ, ut moris, misſi quotannis boves, atque Vaccæ noſtræ Hollandicæ haud cunctanter deductæ ſunt, ex paſcuis ad ſtabula conſueta, ne pinguibus in paſcuis, ſuffocarentur aquis. Annonam famem, luemque pernicioſam, nî Benignisſimus DEUS averruncet minatur.

Quot mala non Mundo congerit Impietas?
Non urbs non regio, non ætas ulla ſeveri
Judicii Exemplis, non domus ulla caret.

Eapropter *cum Pſalmiſtâ Pſalmo 147. verſ. 5.* ardenter exclamo:

Magnus eſt Dominus noſter & ingentis potentiæ, cujus intelligentia innumerabilis eſt & *Pſalmo 148. v. 8.* Laudate Dominum, ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum Ejus.

Hinc quocunque oculis ferimur, pedibusque movemur,
Divinæ in promtu ſuntque, ſonantque minæ.
Et DEUS ut flectat nos ad meliora, ſtupendis
Incautos ſignis præmonet IPSE datis.

OBSERVATIO V.
Dn. D. JOANNIS ÆGIDII EUTH.

De Zibebarum Smirnæarum gigartis.

ANno Chriſti M. DC. XCVIII. d. XV. Mart. Affinis meus *Dominus Daniel Glück*, Mercator Amſtælodamenſis, per 18. Annos mercaturam faciens *Smirnæ*, quæ Turcica urbs notisſima, quamque Meles, Joniæ fluvius alluit, dono mihi Zibebas perraras miſit *Smirna Hagam Comitum*,

Comitum, calore ſolis, non clibani exſiccatas, ſuaviſſimi ſaporis, in affectibus pectoris celebres.

Semina ſeu acinos aſſervavi exemtos & toſtos in pulverem redegi ſubtiliſſimum, à ſcrupulo ad drachmam, alvi fluxu laborantibus cum ἐυφορίᾳ adhibui, propter ſingularem vim ſtegnoticam; quibus pulveris forma diſplicuit, illis *Tincturam ex gigartis* ſaturatè tinctam, beneficio ſpiritus Vini rectificati præparatam, âque me, abſit κενοδοξία, excogitatam, propinavi, quæ mirificam cum mar.e vel terrâ Japonicâ habet ἀναλογίαν. Demiratus hanc Tincturam nunc præſens *d. 22. Sept. 1698. Honorarius Profeſſor Coloniensis D. Baptiſta à Lamsvverde*, cum alijs Medicis Junioribus me inviſentibus. Gigartis Smyrnæis quoq; donavi verſatiſſimos in Botanicis Viros, Profeſſorem Lugduni Batavorum D.D. *Hottonem*, & Norimbergæ D. D. *Volkamerum*.

Crede mihi, nam ſum veri tibi cognitus oris.

OBSERVATIO VI.

Dn. D. CHRISTIANI HELWICHII.

De Suppreſſione Urinæ in pleuriticâ cum ſudoribus ſummis conjunctâ non inſalutari.

MAtrona quinquagenaria circiter, obesô corpore temperamenti ſanguinei, cui, cùm in ſterili antea conjugio viveret, à pluribus jam annis menſtrua non fluxerant, Menſe Majô ad finem properante, ex prædiis ſuis ad Illuſtriſſimum Dominum Comitem de Werbnâ Rydzinsky ejusque amantiſſimam Conjugem, ſuum in orbitate columen, per aliquot milliaria iter ſuſcipiens ſæpé incaluerat, ac ſitim æſtuante corpore frigidô potu reſtinxerat. Vix verò in mutuos lapſi amplexus Conſanguinei, cùm Magnifica Domina de calore, ſiti ac punctoriô laterum dolore quereretur, ac tuſſi, quâ materia ſanguineis particulis immiſta rejiciebatur, difficilique reſpiratione ſuos terreret. Illuſtriſſ. Dn. Comes, gravem, quod res erat, ſubeſſe morbum ratus, me per literas de omnibus hiſce informavit, ac humaniſſimè in villam decem milliaribus Uratislaviâ diſtantem invitavit, quò, etiam die morbi tertio, ſub noctem veni inſtructus medicamentis pleuritidi, quæ in his locis frequens graſſabatur, oppoſitis, &, quod ex literis intellexam, pleuritide ægram laborare deprehendi. Nam præter ea, quorum mentio jam facta eſt, gena ſiniſtra rubebat, ac dolor ex decubitu in latus oppoſitum augebatur. Exhibitus

tus ei pulvis ex lap. 69. præp. Mandibul. lucii piſc. præp. Unicorn. foſſ. Antimon. Diaph. & Cinnabari nativâ ritè præparatâ; ac indicatum, neceſſariam videri Venæ ſectionem, quæ craſtinâ luce, tametſi quarta morbi dies indicatoria ſit, quâ aliàs ex artis Medicæ præſcriptô quieſcere ſolemus, celebranda ſit; ſanguinem enim lymphæ & chylo mixtum per arteriam pulmonalem in iſtâ corporis commotione cum violentiâ in pulmones impulſum in minimis vaſis reticularibus in motu ſuô valdè eſſe impeditum ac ſtagnare & parere inflammationem ac abſceſſum facilè producturum; non deeſſe quidem ex Helmontii ac Bontekoe ſcholis, qui eam in hôc morbo rejiciant, & volatilia e.g. Spiritum CC. ſanguinis, Salis Armoniac &c. ſubſtituant, quæ etiam laudet Cl. Marcell. Malpighius in reſponſione ad epiſtolam, *cui titulu: de recentiorum Medicorum ſtudiô in operib poſthumis p. 331.* Sed jure me ex uſu eorum in hôc præprimis ſubjectô inflammationem meningum, hæmorrhagiam, aliaque metuere mala. Placuit illis, qui adſtabant, meum Conſilium. Detractus ergò ſanguis ex eâ, quam vocant cephalicam, lateris affecti, cùm imperitus Chirurgus duo vulnuſcula brachio medianam pertuſurus, non ſine terrore ægræ, antea inflixiſſet. Deprehendi autem tùm in hâc tùm in pluribus aliis hôc anno eſſe verisſimum, quod laudatus Malpighius prodit in reſponſione ad triumphum Galeniſtarum p. 235. *eſt obſervatio certa in pleuriticorum ſanguine reperiri quantitatem cujusdam ſubſtantiæ albæ ac ſolidæ uti lardum, quæ in ſuperficie ſanguinis extracti & etiàm inter partes rubras illius intercepta obſervatur*, quæ tamen multô major eſt in ſanguine puerperarum febri inflammatoriâ correptarum, ut patuit mihi unum cum alterô conferenti. Memores doſtrinæ Hippocraticæ poſt Venæſectionem demùm linimentô diſcutienti latus affectum inungi jusſimus. Tametſi verò alvus foret obſtructa, noluimus tamen eam enemate ſolicitare hôc die, multò minùs, quod ex adſtantibus aliqua deſiderabat, ſudorem elicere, perſuaſi, naturam etiam robuſtiſſimam tot motibus ſpatiò paucarum horarum perferendis non eſſe parem. Pectorales potiones cum Julebis imperavimus, ac ut his frequenter per totum morbi decurſum uteretur, oravimus. Commendavi etiàm uſum olei amygdalini rancore carentis uſum, quod extollit Cl. Sydenham: adjungens ei etiàm oleum lini (hoc tamen non eſt magnificum remedium, ſi credimus celeberrimo Polyhiſtori Welſchio in Curat I. Dec. 1. Curat. & Conſilior. Medic. à Perilluſtri noſtrô Dominô Præſide editorum) aliaque plura. Omnibus providè diſpoſitis iterùm Vratislaviam properavi. Sextô morbi die ad finem vergente, cœpit de auditus difficultate queri ac egregiè

giè ſudare, remittentique dolore punctorio die ſeptimâ prorsùs in ſudores profuſiſſimos deliqueſcere. Quæ & ægram & circumſtantes percellebant, ſequentia erant (1.) quòd Urinæ nihil propemodùm redderet (2.) Obauditio perſeveraret & (3) propter ſudores immenſos ferè contabeſceret. De his ergò per literas ab Illuſtriſſ. Dominô Comite conſultus, reſpondi, difficultatem auditûs in morbis acutis numerari inter ſigna haud ſiniſtri ominis, & *quibus in febribus aures obſurduerunt, iis ſanguinis profluviô è naribus aut alii commotione morbum finiri* juxta Hippocrat. Aphoriſm. 60 in ſect. 4. ſi *criticè eò feratur materiâ*, ut addit Heurnius in explicat. Aphoriſm. cit. nec propter Urinæ ſuppreſſionem animum eſſe deſpondendum, nam & ex attenta lectione ſection. I. Libri VI. Epidem: Hippocratis ac inſpectione Commentar. Valeſii p. m. 545. evidenter apparere eam ex utilibus eſſe poſſe, atque Proſperum Martianum, quem meritò Hippocratis mentem dixeris, notare, quòd Urinæ ſuppreſſio, quæ fit veſicâ non affectâ, ſed urinæ materiâ aliò converſâ & rigorem præcedit, *ſudorem criticum ut plurimùm adducat*; porrò ſudoris & urinæ eandem eſſe materiam, atque ita, cùm copioſi adſint ſudores, hanc parcè fluere. Et metus quidem de ſurditate evanuit ſequenti ſanguinolentâ dejectione per ſedes, urina quoque in majori copia ſenſim reddi cœpit, ſed ſudores continuarunt ad tempus donec iterùm ad prædia ſua rediret.

OBSERVATIO VII.

Dn. D. CHRISTIANI HELWICHII.

De ſalivatione in Arthritide & Scorbutô.

POſtquàm à Jacobô Carpô felici ægris auſpiciô & inventori lucrosô ſalivatio ad debellandam Syphilidem adhibita eſt, tùm alibi tùm etiam in Germaniâ frequentem in uſum vocari ac ægris præ terribili illâ inunctione, quam ab Ulricô Hutteno ſævitiam ejus ſatis experto, utpote quam undecim vicibus ſubierat, antequam fœdô liberari malô poſſet, vivis coloribus deſcriptam memini, meritò arridere cœpit. Nec tamen hìc Medicorum ſagax ſtetit induſtria, ſed & in aliis contumacioribus affectibus vires ejus explorare placuit non ſine ſucceſſu. Legas enim ulcera inveterata, elephantiaſin, cephalalgiam contumacem, maniam, vertiginem, epilepſiam, paralyſin & alia morborum monſtra hâc Herculeâ clavâ feliciter eſſe domita. Cùm vero podagra medicamentorum omnium vim tanquam *invicta dolorum domina* hactenùs eluſerit,

ſerit, imò eam *pharmacis placare volentibus ſubinde iratior occurrerit*, ut Lucianus Tom. 2. edit. Batav. p. 715. in Trago-podagrâ, ipſam podagram introducit loquentem; res ea ſollicitos medentium animos habuit, quæſitumque, annon tyrannidem ejus per ſalivationem frangere liceret? Auxiliares ſanè copias hinc exſpectat doctiſſ. Rolfinc. in ordine & Methodo Medic. ſpecial. lib. 6. ſect. 3. cap. 1. p. 590. & feliciſſimus morborum domitor Sylvius in tract. 8. append. Prax. Medic. p. m. 787. *in quibusdam multâ pituitâ eâque viſcidâ gravatis utilem fore ſalivationem extra Paroxyſmum, ubi conſtant vires confidit.* Sylvio & Rolfinc. ſuffragatur hujus digniſſimus ſucceſſor Wedel. in lib. 2. ſect. 2. cap. 12. p. 219. de Medicamentorum facultatib. Quantum autem poſſit, nuperrimè vidi in Domino Caſparo Hanckiô Pharmacopoeô Uratislav. dexterrimô, cujus curæ unà cum Viris Experientiſſimis Dn. D. Oehmb Phyſico & Dn. D. Preis Peſtilentiario adſtiti. Illum cùm adeò malè mulctâſſet podagra, ut, quamvis vix quadrageſimum ætatis annum exceſſerit, corpore ſatis robuſto & quadratô præditus, per biennium ferè pedibus vehementer tumidis inniti non potuerit, de cæterô expertus, *nullius unquam tantam eſſe vim pharmaci, quod inunctum podagræ vim ſciat compeſcere*, ut eſt apud Lucian. l. c. p. 821. æquiori animô ad tolerandas ptyaliſmi moleſtias ſeſe obtulit. Vix verò Mercurius dulcis ſcrupulos quinque impendimus toti curæ, quam exorſi ſumus die 14. Junii ſt. n. & drachmam quidem cum ſcrupulo per dies tres priores exhibuimus, quintum verò, cum videretur elangveſcere ſalivatio, ad eam extimulandam poſt aliquot dies dedimus. In ſatis magnâ quantitate ſecundô die coepit effluere ſaliva totumque corpus ſudore perfundi, nec ſegniter urina extillabat. Cùm tertiô accederemus die, multùm pedes detumuerant, ac brevi ad ſtatum naturalem reducti ſunt. Interea debitè proceſſit ſalivatio ordinariis ſtipata Symptomatibus, niſi quòd deliquia aliqua intercurrerent & ſubſultus fibrarum muſcularium ſpasmodicis ſimiles Convulſionis ingererent domeſticis metum, qui tamen vanus fuit. Dedimus hoc precibus ægri, ut, cùm juſtô tardius fatiſceret ſalivatio, eam purgatione deprimere ſatageremus. Unde quidem aliquantùm imminuta, nondùm ceſſabat tamen noſtro faceſſere moleſtias, quas cum ægerrimè ferret, confugimus ad flores ſulphuris, quos ptyaliſmum impedire proditum eſt à Theodorô Mayerne, tract. de lue Venereâ in prolegomenis p. m. 287. in ſyntagmate altero Prax. Mayern. ſed ſpe noſtrâ excidimus, atque hinc porrò purganti vim ſalivationis enervare coacti ſumus. Enim verò finis ſalivationis tantùm abeſt ut optatum arthriticis doloribus finem attulerit,

rit, ut potiùs illa ceſſante, hi ſæviores exorti, qui, quod maximoperè notandum putamus, ne durante quidem iſtâ, inducias miſero dederunt, ſed eum bis adorti quartô, inquam, & undecimô ſalivationis die ſunt. Ex permoleſtâ ergò illâ curá nihil aliud lucri reportavit, quàm quòd tumor pedum ille magnus, qui aliis medicamentis fuerat obluctatus, egregiè diſſipatus ſit, impeditô tamen nihilominùs ſicut antea, eorundem uſu. Nec alium vidimus ſalivationis effectum in ſcorbutico, quem cùm longô tempore ardor, roſio ac lancinatio in latere ſiniſtrô cum aliis complicatis affectibus torſiſſet, fruſtra à repetitâ etiàm ſalivatione opem ſibi pollicitus eſt. An, quòd *ſcorbuti infenſiſſimus hoſtis ſit Mercurius*, ut placuit Cl. Etmüllero in annotatis Practicis ad Inſtituta Medico Phyſiologic. p. m. 95. propterea fauſtus non potuit eſſe eventus? Sanè l. c. ſalivationem, *apud nos non æquè (ut apud Gallos) aut crebrò in uſum trahi poſſe propter metum ſcorbuti* autumat, à quô tamen diſſentit Cl. Mangettus in Notis ad prax. Barbette p. 121. Non poſſum, quin aliquod fauſti exitus attexam exemplum. Virgo floridæ ætatis ac tenerrimæ conſtitutionis ex Perilluſtri proſapià ante quatuor annos dolore & lancinatione à cubiti flexurâ usque ad carpum in utrâq; manu & ab Iſchii ſeu Coxendicis articulô ad laterales illas prominentias, levique tumore in ſummitate femoris corripitur, hôcque malô fatigata non ſegniùs fatigavit Medicos à quorum multis cùm tot medicamentis fruſtra fuiſſet exercita etiàm conſuluerat Experientiſſ. Dn. D. Tralleſium, qui cùm ipſi ſpem feciſſet malum per ſalivationem eradicari poſſe, annô poſt diſceſſum ejus elapsô, me enixè rogavit, ut Curæ huic præeſſem. Egò, qui brevi ante videram, quàm parùm felix ſucceſſus fuiſſet in ſcorbuticô, cujus mentionem ante feci, etiàm atque etiàm negabam, & quantus dolor ex oris exulceratione nullâ arte protelandâ ipſi ferendus, ediſſerebam, illa tantò magis inſtare. Victus ejus precibus dubiô factô prognoſticô, me ad curam accinxi feliciorem quàm quidem ipſe ſperaveram. Præmiſsô die 14. Julii A. C. purganti, 78. granis Mercurii dulcis in plures doſes diviſis ſatis copioſam per 14. dies excitavi ſalivationem. Non ſimpliciter ergò vera ſunt, quæ Cl. le Mort in Chymia-Medico-Phyſica vires Mercurii dulcis enarrans, prodit ita de eô ſcribens: *Salivationem promovet in nimiâ quantitate aſſumptus vel diutiùs continuatus*, A Turpethô minerali, quod duobus aliis memini me exhibuiſſe, impoſterùm ſtat ſententia prorsùs abſtinere qui quanta tormina, & anxietates excitârit præſens animô attonitô ſpectavi. Die 16. & 18. Julii quater poſt uſum Mercurii dulcis dejecit. Unde veſperi pulverem anodynum dedi & ſequentibus diebus

Mercurium dulcem cum electuariô diaſcordii in bolô exhibui, vidique, ut ſæpè aliàs ab anodynis nullum ſalivationi obicem poni. Ipſa ægra decoctô ex lignô ſaſſafr. liquirit, & ſemine bardanæ commotam eſſe alvum ajebat, optans, ut cerevisiam ei ſubſtituere liceret, quod licet vetarem aliumque potum ex decoctô hordei & Rad. polypod. Julebo modò hôc modò illô parùm edulcoratum ordinarem, me inſciô eſſe factum finitâ curâ confitebatur, ſine noxâ, niſi quòd, ubi cerevisiam avidiùs hauſiſſet, in lipothymiam incidiſſet ſemel. Id certum eſt, quòd decocta lignorum, quæ jam ſuperiori ſeculô ad finem properante in Sileſiâ in uſum eſſe vocata intellexi ex manuſcripto Epiſcoporum Uratislavienſium Catalogô (in quô narratur Martinum Gerſtmannum Epiſcopum ex Nicolai Tinzmanni Conſiliô in *moleſtiâ podagræ & ventriculi vitio ad opem* eorum, quamvis *dubiam*, ut auctor cenſet *confugiſſe*) non omnibus in ſalivatione proſint. Quòd etiàm modò, dùm hæc ſcribo, experior, nàm homo lue Venereâ affectus, poſt hauſtum decocti illicò ſeſe torminibus affligi queritur, & ſcorbuticus ille memoratus ex uſu ejus exæſtuare ſibi viſcera ajebat. Sed ut ad nobilem illam puellam revertar, benè durante curâ appetebat & cibos, qui dentium miniſterio non indigent, avidè ſatis ingerebat. Citò malum illud, quô eam fuiſſe afflictam narravi, ſalivationi obediens fuit, & modò libera à doloribus ſuis rectè valet. Obſecutus conſilio Cl. Sydenham: peractâ curâ nolui moleſtus eſſe Virgini pharmacô purganti, quod verò ego facere tergiverſabar, natura compenſavit, excitatâ diarrhoeâ, quæ per biduum duravit.

OBSERVATIO VIII.

Dn. D. CHRISTIANI HELWICHII,

De Phlebotomia in Arthritide.

IIs, qui in excutiendis præſtantisſimorum Medicorum monumentis hujus ſeculi, vel leviter ſolùm verſati ſunt, ignotum eſſe nequit, quòd Cl. viri Sydenham & Liſterus Angli, diverſas foveant opiniones tùm de aliis tùm de V. S. uſu in arthride. Iſte *non eſt*, inquit, *adhibenda phlebotomia vel ad præcavendum paraxyſmum, qui timetur, vel ad iſtum, qui jam adeſt, mitigandum, in iis nempe, qui ætate ſunt provectiores* Tract. de podagr. in oper. p. 560. Si in intermisſione quantumlibet diu poſt paroxyſmum ſangvis fuerit extractus, periculum eſſe ait, ne *à ſanguinis & humorum agitatione novus ſuccreſcat paroxyſmus, qui & priori diuturnior futurus*

futurus eſt & ſymptomatibus enormibus ſtipandus ſanguinis robore & vigore retuſis. Si verò mox à paroxyſmô feriatur vena, ingens periculum eſſe contendit, *ne natura, dùm ſanguis adhùc languidior eſt, & nondùm priſtinas vires à morbô ſucciſas redintegravit, ejusmodi vulnere importunè inflictô usque adeò infirmetur & ſuccumbat, ut hydropi aditus aperiatur.* Liſterus autem in exercit. Medicinal. Sextâ de Arthritide p. m. 95. ita ſcribit: *Sanguinis detractio modica & tempeſtiva cordis onus ſublevat, vitioſi chyli plenitudinem diminuendo, hinc articulorum inflammationi ſummoque eorum dolori & febriculæ ſuccurritur, adeoq; ſi id fiat ſub initiô morbi, citiùs multò morbus ſolvitur. Deinde etiàm ætate provectiores plerique podagrici æquè intemperanter ex morbi naturâ in victus ratione ac juvenes peccant: cui rei, ſi impotentia quoque eorum ad omne exercitium adjicitur, etiam ſanguinis miſſionem magis requirunt.* Imò Lyſterus cùm ad Arthriticam vocaretur; cujus ſanitatis curam habuerat Sydenham: *Sanguinem etiamſi nimis tardè è brachiô mitti* juſſit, non ſine felici ſucceſſu. Ut appareat, eos non tantum contraria ſcripſiſſe ſed & feciſſe. Ego cùm perpenſis rationum momentis utriusque ſententiæ perplexus hærerem, experientiam fidiſſimam rerum Magiſtram conſulendam eſſe duxi. Ac in intermisſione quidem Arthriticus, ſi quisquam alius afflictisſimus Dn. Hancke ante laudatus Venam ſibi pertundi voluit, nec tamen propterea novô eſt paroxyſmo oppreſſus, ſed potiùs induciis conſuetô longioribus gaviſus eſt. Sub initium verò inſultus podagrici Virgini 50. propemodùm annos natæ, quæ ſingulis ferè menſibus ex podagrâ decumbere ſolet, aperta eſt vena non absque ingenti doloris levamine; eademque breviori, quàm antea ſolebat, tempore convaluit.

OBSERVATIO IX.

Dn. D. CHRISTIANI HELWICHII.

De Notatis in Anatome Mulieris tabidæ.

CUm mulier trigeſimo anno proxima per ſesquiannum poſt febrem ardentem de dejectione appetitus, ſiti, reſpiratione difficili, continuè querens ac ſenſim contabeſcens ita, ut vix osſibus hæreret, vitam hanc cum alterâ Anno 1698. die 8. Julii horis matutinis commutâſſet, placuit Illuſtrisſimo ac Reverendiſſ. Domino Prælato Guilielmo Libero Baroni de & in Tharoull, cujus munificentiâ in ægritudine fuerat refocillata, ut Cadaveris viſcera luſtrarentur. Id quod præſentibus præter-

ter me (Tit.) Domino Doct. Chriſtiano Richardô Pfeiffero & Chirurgo, die eôdem eſt factum.

Abdomine apertô vidimus Muſculos omni ferè pinguedine exutos.

Peritonæum denſum ac validum.

Omentum aberat.

Inteſtina ſecundum naturam conſtituta pura ac polita, qualia eſſe ait etiàm viſcera animalium fame peremptorum Cl. Franciſc. Redi in *obſervation. de animalibus viventibus in viventibus*, niſi quòd hinc inde lividis maculis eſſent defœdata. In jejunô incisô longum deprehendimus vermem

Ventriculus cereviſiâ parùm alteratâ ſemiplenus; ſuperficies ejus magnâ ex parte plana, ut ferè nullum cruſtæ villoſæ compareret veſtigium.

Hepar ſanum, niſi quòd in parte ejus gibbâ, aliquæ luridæ partes ſeſe offerrent, quà poſticæ dextri hypochondrii ſedi contiguum eſt.

Veſicula bilis propemodùm vacua erat, cæteroquin ſecundum naturam conſtituta.

Lien longitudine ſpithamam excedebat, latitudine verò ſex transverſos digitos, craſſitie autem quatuor pollices, alioquin prorsùs ſcirrhoſus ac friabilis.

Pancreas materiam calci aquâ dilutæ haud abſimilem eamque fœtentem in non exiguâ quantitate offerebat.

Renum membrana exterior nullô adipe circumfuſa, ipſis verò renibus nihil deerat.

Cùm ad hypogaſtrium deventum eſſet, veſicam reperimus vacuam nullâ labe deturpatam.

Uterus duobus fœtibus illegitimô unô alterô legitimo quondam gravidus non in mediô exactè collocatus ſed magis Verſus dexteram hypochondrii partem ſitus erat, à pyri figurâ quam Anatomici ſolent ei tribuere, non parùm recedens.

Ad medium nos conferentes ventrem, membranoſam Cordis capſulam incidimus, ex quâ libra circiter tenuis liquoris effluxit.

Cor ipſum erat flaccidum. In ventriculis Sanguis nullus ſed rudimenta polypi in dextrô cordis ventriculo talia, ut facilè credas ex naturæ librô fuiſſe petita, quæ habet Malpigh. de Polyp. Cordis in op. p. m. 314.

In pulmonum lobis præprimis ſiniſtrô, apoſtemata multa, in quibus limoſa

limoſa ac purulenta materia, tubercula quoque, quorum aliqua inflammationis ſpeciem præ ſe ferebant, alia adhùc immatura. Occaſione hujus anatomes quæri poſſe videtur:

1. Qui factum ſit, ut cerevîſia duabus circiter ante mortem horis hauſta, in ventriculo non mutata ferè ſubſtiterit? An forte ſine ventriculi colliſu ingeſta non poſſunt exteri, ut placuit quondam Eraſiſtrato, nuper ex parte Cornelio Conſentino in progymn. 6. & Cl. Cockburnio, ventriculus verò cruſtâ villosâ ſpoliatus ac influxu ſpirituum ægrè ſeſe contrahit. Certè præter rem ſtatuere videtur Cl. Lyſterus, *ſtomachum tenuem cibum potionemque protinùs vel vomere vel deorſum in inteſtina feſtinanter detrudere.* Exercit. Medic. 1. de hydrope.

2. An cùm concoctio in hôc ſubjecto planè fuerit abolita, etiam omenti abſentia concauſa læſionis iſtius eſſe potuerit? Nec enim proletaria eſt opinio Ariſtot. 4. de part. Anim. c. 31. *quòd abutatur natura omento ad bene coquendum cibum*, quam Galen. lib. 4. de offic. part. c. 9. experientia probat? Sed quomodo periit, ſcio virum Cl. quendam putare omentum eo eſſe factum fine, ut quod redundat humoris nutritii in eô deponatur, ut deinde tempore neceſſitatis iterùm uſibus debitis impendi posſit. Non videtur autem veriſimile omentum quoq; fieri victimam publicæ egeſtatis.

3. Cùm certum ſit, tumorem lienis ortum ex craſſis viſcidis ac ramuloſis partibus ſanguinis, quæ in fibras carneas à ſuccingente membranâ lienis ortas & propagatas impactæ novas particulas iisdem vitiis ſcatentes implicuerunt, donec temporis tractu tenuiores avolarent & craſſæ indureſcerent ac in ſcirrhum abirent, prætereaque ſatis conſtet, quô pactô ejusmodi ſanguis emendandus, quoniam tamen etiam fibræ lienis peccant, quibus topicis ſuccurrendum iis? Veteres adhibuerunt emollientia, qui imitandi forent, ſi fibræ nimis tenſæ eſſent; Sed vero propius eſt, illas fibras nimium eſſe laxas & certandum medicamentis tonum & tenſionem iis conciliantibus.

Pulmones hujus defunctæ evidentisſimè demonſtrarunt veritatem doctrinæ Cl. Morton. lib. 1. præclarisſimi operis de Phthiſi c. 3. & 4. Plura addere problemata aut concluſiones jam non vacat.

OBSERVATIO X.

Dn. D. THEODORI ZUINGERI.

De Syrupo Prophylactico, ad Prolongandam Vitam, & Podagræ, aliorumq; Morborum inſultus arcendos, mitigandosq; experto.

TRibunus Militum, è Nobili Rhætorum Familiâ oriundus, ante quadriennium circiter deſcriptionem Remedii hinc inde celebris, ſed in Italiâ primùm excogitati atque uſurpati, mecum communicavit, quod non ipſemet tantùm, ſed & plures alii, etiam Viri Principes, huc usqve magno cum Sanitatis conſtantis emolumento in uſum traxerunt; quodque ego ſimul ab aliqvo tempore apud diverſos valetudinarios feliciter ſuccedere, incolumitatem integram conſervare, Vertiginis, Arthritidis Podagræve inſultus, Hemicranias periodicas, Cardialgias, Dolorem Iſchiadicum, Phthiſin, Hydropem, Obſtructiones quascunque Inflammatorias, Alvi conſtipationes, pluresqve alios morbos internos præcavere, ſæpiùsq; ex voto curare prorſus fui expertus; ut non abs re fore judicaverim, ejusdem Remedii deſcriptionem, quæ nondum adeo vulgaris eſt, notiorem magis reddere, idque cum annexis quibusdam ſive Authoris ipſius Medicamenti, ſive aliorum forſan obſervationibus, & additamentis.

Modus autem parandi Syrupum eſt ſequens: ℞. *Succi Herbæ Mercurialis recenter expreſſi & filtrati* ℔viij. *Succor. Borraginis, atque Bugloſſi recenter expreſſorum aa.* ℔ij. *Mellis albi Narbonenſis* ℔ij. *Miſce & coque ad ebullitionem unam, ſpumam abſtrahendo; Colatura per manicam Hippocr. aut Linteum probè facta, reponatur in Vitro clauſo.* Poſtea ℞. *Radicis rec. Gentianæ* ℥jv. *Radic. Ireos noſtrat. recent.* ℥viij. *Inciſis & mixtis invicem affunde Vini albi optimi* ℔iij. *pond. civ. Stent per 24 boras, ſæpè agitando, Colaturam dein ſine expreſſione factam cum ſucco Herbarum ſupra dicto permiſce, & coque leni igne ad Syrupi conſiſtentiam, probè deſpumando, quem in Vitris probè munitis ad uſum adſerva.*

Quicunque jam, ita monet Author, jejuno quotidie ſtomacho cochleare Syrupi iſtius plenum, h. e. ferè ſemunciam, deglutit, ille, quamdiu per Numinis Divini voluntatem in his victurus erit terris, vix unquam ſive Medico, ſive Pharmacopœo opus habebit. Eâ enim Syrupus iſte vi & efficaciâ pollet, ut omni corruptioni reſiſtat, nec malignos in corpore humores toleret, ſed eosdem vel per inferiora vel alior-

aliorſum leniter expurget. Experientia certè, qvam & in me, & in aliis egregiam hac de re habui multiplicemque, aſſeverare poteſt ſatis, vix dari nobilius potentiusve aliud in mundo naturale Remedium, tum ad ſanitatis conſervationem, tum ad vitæ ipſius, quantum per humanam induſtriam licet, prolongationem. Hinc eſt, quod arcanum illud ſemper tenere, celareque vel eapropter voluerim, ut, quia mira ferè hoc unico præſtiti, magnam mihi famam atque exiſtimationem apud quosvis Sanitatis cultores, conciliarem; nec certè hâc ipsâ fruſtrabar ſpe, donec annum propè centeſimum ætatis feliciter emenſus, vanam illam humanæ imbecillitatis gloriam contemnendo, melioris jam vitæ uſum meditari cœperim: quamobrem etiam Remedium, quod Agricola me docuit Calaber, apud me ampliùs ſecretum recondere nolui, Chriſtianæ magis charitati congruum fore ratus, ſi illud etiam Proximo commune reddatur. Agricola verò dictus, eo, quo me deſcriptione Arcani Pharmaci donabat, tempore jam vigeſimum cum centeſimo annum ſupergreſſus, vivax adhuc & vegetus ſatis erat, tantùm non juvenili vigore præditus, poſtquam Syrupum ultra quinquaginta annos quotidie uſurpaverat, & ab omni penitùs morborum inſultu liber & immunis permanſerat. Hæc Arcani communicator. Quibus tamen ulterius addere liceat, Remedium iſtud non ſaltem tutos à Morbis homines reddere, ſed & Valetudinarios plures, Paralyticos aliquot, in quibus nervi non adeo contumaciter obſtructi fuerunt, Phthiſicos non paucos, quorum ſcilicet Pulmones nondum valdè corrupti ulceratique fuerunt, Hydropicos nonnullos, in quibus colatoriorum Viſcerum tubuli adhuc integri, & ab omni corruptione liberi extiterunt, ad priſtinam ſanitatem revocâſſe. Inprimis quando in peculiaribus ejusmodi Affectionibus ſimul ſpecifica quædam in uſum diligentem medicamina fuerunt tracta. Quemadmodum in *Paralyſi* quidem Pulverem è *Radicibus Imperatoriæ, Ariſtolochiæ rotundæ veræ, Ægagropilâ, Cinnabari nativ. optim.* & Sale volatil. quocunque concinnatum: in *Phthiſi* autem Pulverem è *Radic. Helen. Symphyt. majoris, Herb. Lichen. Petr. Veronic. Ocul. Cancr. ppt. Specific. antihect. Poter. Pulmon. Vulpis ppt.* Compoſitum: in *Hydrope* denique Pulverem è *Milleped. ppt. Diaphoret. Mart. Croc. Mart. aperit. Corticibus median. Ebuli vel Sambuci, Radic. Aron. ppt. Radic. Sigill. Salomon. Lapidib. Cancror. Sale Polychreſt.* vel *Ononid. Geniſt.* contextum, felicisſimo cum ſucceſſu admiſcuimus.

OBSERVATIO XI.
Dn. D. THEODORI ZUINGERI.
De Fractura Oſſium Cruralium multiplici cum Juncturæ Tali dislocatione, feliciter curata.

HEnricus Plattner Caupo Pagi Lauſen in Urbis noſtræ ditione, Horreum quoddam ædificaturus, *D. 28. Decemb. 1697.* à prandio in vicinam excurrit ſylvam, Fabros Lignarios in cædendis quibusdam Arboribus ſibi neceſſariis adjuturus. Accidit verò tum; ut, dum cæſa jam arbor humi proſternebatur, ejusdem truncus Cauponis incauti, nec ſatis celeriter ad latera fugientis, crus dextrum arriperet, atque ſuper integrum ferè ſimul humi proſtrati hominis pedem devolvendo, in Femoris quidem Oſſe, paulò ſupra genu, Fracturam transverſam ſine vulnere, hinc maximam contuſionem in Genu; porrò in mediâ Tibiâ Fibulaque contritionem inſignem cum vulnere, atque ſpinarum oſſium prominentiâ, tandem & in Tali Juncturâ dislocationem atque vulnus, cum Malleoli interni cartilagine obtecti expulſione, atque prominentia viſibili extra vulnus ſuſcitaret, ſicque Ægrum rigidâ hâc anni tempeſtate, poſt largam ſanguinis è vulneribus profuſionem, ſemianimem relinqueret. Cumque Locus tanti infortunii dimidiæ propemodum horæ ſpatio ab ædibus Patientis diſtaret, bihorium elapſum eſt, antequam domum reportari, atque Chirurgorum curæ ſubmitti potuerit. Fuerunt autem illi è proximo noſtratis Ditionis Oppido Lucis vallenſi *Martinus* & *Samuel Giſii*, in Chirurgicæ Artis praxi ſatis benè verſati, qui refecto primùm nonnihil per propinata juſcula, atque *traumaticum Decoctum* Ægro, fotibus è *Decoctione Herbarum Nervino-Aromatico-Vulnerariarum in vino* factâ, læſas undique refrigeratasque partes probè calefecerunt; ac interea, quæcunque ad juſtam deligationem tot fracturarum neceſſaria videbantur, præparârunt. Tandem ad Ægrum accedentes antè omnia elapſum Malleolum, quomodocunque poterant, in priſtinum locum repoſuerunt, vulneri carpta linteorum filamenta *Tincturæ Myrrhæ, Aloës. Abſynth. &c.* intincta applicuerunt, *Emplaſtroque Opodeldoch* texerunt. Poſtea Fracturam Tibiæ, abſciſſis, quæ prominebant, Spinis oſſeis, poſt extenſionem debitam factam commodè ſatis adaptârunt, vulnus uti priùs deligabant; ac poſtmodum *Emplaſtrum diſcutiens*, quod poros minime infarciret, toti fermè pedi circumpoſuerunt, hincque Lintea quadruplicata Vino, cui traumaticas atque balſamicas

Herbas incoxerunt, immerſa ita applicuerunt undique, ut ſine pedis commotione adimi atque bis quotidie mutari, ſimul ac ipſa Vulnera probè mundari, novisque remediis foveri poſſent. Tandem Splenia Aſſulasque injecerunt, & mediocriter ligârunt, ita ut ſanguinis circuitus per Vaſa commodè fieri pergeret. Quibus ita ſecundùm Artem, & quemadmodum partis multiplex læſio ferebat, inſtitutis, (ubi faſcia novem utrinq; capitum ſic dicta maximum præſtabat commodum, utpote quâ præſente membri elevatio ſub deligatione neceſſaria non fuit) ad Femoris progresſi ſunt Fracturam, quæ, licèt in transverſum contigerat, multum tamen negotii Chirurgis faceſſebat, dum propter genu contuſionem, reliquamque adhuc graviorem pedis læſionem, neſciebant commodè membrum extendere, ſicque fractum Os probè adaptare, faciliorem tamen reddebat operationem vulneris abſentia, ita quidem, ut extenſo tandem quomodocunq, membro, fracti Osſis extremitates adaptarent, ſtatimq; membrum Spiritu Vini Camphorato probè lotum, ſuperimpoſito *Emplaſtro contra Fracturas*, cum *Oleo Roſar.* nonnihil macerato, ac ſpleniis aſſulisq; probè munirent. Et poſtquam ſic quoque ipſum Genu *Traumatico diſcutiente decocto vinoſo* foviſſent, totum Crus longæ admodum cavæq; Aſſulæ in rem præſentem accommodatæ imponebant, ac faſciis in genu aliisque locis ita ligabant, ut neutiquam ſive vigilans ſive dormiens Æger genu flectere poſſet. Atque ita deligatus probè miſer Caupo dolorum, antea propè intolerabilium, levamen inſigne percipere, meliusque habere cœpit; præprimis cum jam Lecto ſuo peculiari impoſitus fuiſſet, ita prorſus accomodato, ut affectum Crus per totam ſuam longitudinem rectâ lineâ pulvinari è paleis facta incumbere, & quietum prorſus manere poſſet.

Peractâ ſic primâ deligatione, conciliatoque, ut moris eſt decubitu, quò minùs pes extremus ad quamcunque rem duram allidere valeret, nox inquieta valdè ſucceſſit, & ſequenti Die 29. Decemb. febricitare jam Æger incepit, ſitire, cibos omnes faſtidire, malique accepti enormitatem graviùs ſentire. Quamobrem Chirurgi præter uſum Juſculorum Carnium optimorum, Decoctique traumatici internum, ad Venæſectionem progresſi ſunt, quam non ſine ratione credebant Ægrum quadragenarium, & ſatis alias plethoricum athleticum, balſamicâ Maſſæ humoralis texturâ præditum, probè ferre poſſe; Sanguinis hinc unciæ ſex vel ſeptem circiter, ante meum adventum, è venâ brachii dextri ſecatâ extractæ fuerunt, citra imbecillita-

 tem

tem Ægrotantis ullam, qui vires per noctem licet inquietam non parum recollegiſſe videbatur. Ego verò ad Ægrum hâc die vocatus accedens, eundem ſatis vegetum adhuc præter ſpem reperi, ſed febricitantem, inſpectâque miſerè affecti Pedis deligatione, omnia ſecundùm Artem, & Mali ipſius conditionem requirentem, inſtituta peractaq; eſſe vidi; quamobrem Chirurgos ad continuandam ſuam induſtriam ſeverè admonui, externè præter *Tincturam aloëticam* vulneribus continuè immittendam, adhùc *Unguentum fuſcumWürtzii* digeſtivi loco, nec non *Stypticum Crollii Emplaſtrum* iisdem ſuperimponendum commendavi. Internè verò præter uſum *Decocti vulnerarii* quotidianum, ad plures hebdomadas, imò menſes continuandum, ſimul præſcripſi blanda *Diaphoretica*, ſanguinis circuitum, inſenſilemq; tranſpirationem jugiter conſervantia, unà cum *Mixturâ Cardiaco-Diaphoreticâ* atque *Antiſpasmodicâ* per cochlearia ſumendâ, ſæpiusque repetendâ. ℞. *Antimon. diaphoretic. Ocul. 69. ppt Raſur. ebor. ppt. Ungul. alc. ppt. aa. ʒß. Cinnab. Antimon. optim. ℈j. Miſc. F. pulv. in 6. dos. æqu. divid.* & aliquoties repetendus. ℞. *Aqu. Borrag. Flor. Tiliæ, Ulmar. Scabios. aa. ℥iß. Syrup. Rub idæi ℥ij. Confect. Alk. inc. ʒiß. Corn. C. Philoſ. ppt. ʒj. Bezoard. min. ʒß. Miſc. ad Vitr.* & ſingulis horis aut bihoriis exhibeatur cochleatim. *Decoctum traumaticum* pro interno uſu fuit ſequens, ℞. *Radic. Caryophyllat. ℥j. Herbar. Virgæ aureæ cum Florib. Pyrol. Sanicul. Alchymill. Betonic. Card. bened. Veronic. Agrimon. aa. Mj. Inciſa probè invicem atque in pulverem groſſum redacta d. ad Scatul. De hoc pulvere dein pugilli duo ſumuntur, atque Vini albi veteris, & Aquæ fontan. aa. ℔iß. incoquuntur aliquandiu in Ollâ probè clauſâ; poſtea de colato decocto mane ac veſperi cyathus unciarum quatuor exhauritur.* Externè eædem Herbæ unâ cum *Salviâ, Majoranâ, Abſynth.* Scordio, *Marrub. alb.* permixtæ, *Vino albo* ſemper incoquebantur pro fomentatione pedis. Diætam præſcripſi tenuem ſatis, à Vini, Acidorum, Flatulentorum, Salſorum valdè, Dyſpeptorum uſu; à Triſtitiâ, ab Irâ, commotione corporis noxiâ, prorſus immunem. Pro potu ordinario conceſſi *Decoctum Radic. Filic. Herb. agrimon.* & *Paſſular-minor.* Alvus libera ſervabatur Clyſmatibus ſubinde, & interdum ſuppoſitoriis, quamquam frequentem ejus ſolutionem haud procurabamus.

Uſu itaque talium æquè internorum ac externorum medicaminum diligenter continuato; intra ſpatium quinque vel ſex hebdomadarum, quod in talo erat vulnus, cicatrice prorſus obductum ſanatumque conſpiciebatur, redeunte interea ſimul ad digitos pedum ſenſu tactûs, qui

qui antea prorſus abfuerat. Fractura Femoris ternâ vice iterum elapſa reponi debuit, utpote ſatis firmam propter mala inferioris pedis ligaturam minimè ferens, nihilominus tandem intervallo trium menſium callum nacta eſt firmum. Tibiæ autem fractura propter magnam oſſium in minuta fruſtilla, ſenſim ac ſenſim prodeuntia, contritionem, ante elapſum ſemeſtre integrum neqve callum ſatis validum, neque conſolidationem perfectam admiſit, tandem verò etiam integrè curata, & probâ cicatrice obducta fuit, ſicq́ Æger poſt ſemeſtre demum pedi tantillum inſiſtere, nondum tamen ſive in Talo, ſive in Genu flectere poterat; quæ tamen flectendi potentia in Talo ſatis commodè, quod tendines haud eſſent multùm disrupti, in Genu autem tantillùm ſaltem hucusque rediit. Atque ita per Dei gratiam, atque indefeſſam præſtantium Chirurgorum induſtriam, Crus iſtud integrum fuit ſervatum, & vix ſemipollicis latitudine ſano crure brevius remanſit, quod certè plures alii Chirurgi, in Galliis præſertim, ſtatim in principio amputatum voluiſſent.

OBSERVATIO XII.

Dn. D. THEODORI ZUINGERI,

De Hiſtoria Fiſtulæ Lumbaris è Rene dextro calculoſo ſcaturientis & ſubter cutim, muſculoſque Clunis dextræ reptantis, lethiferæ; cum Cadaveris anatome.

J*Ohannes Burcardus*, Pannitonſor ac Civis Baſilienſis, ſtaturæ parvæ, cholerico-phlegmaticus, herniosus, *Menſe Januario Anno 1693.* qui fuit ætatis ipſius circiter qvinqvageſimus, conſilium auxiliumq́ meum in gravi, qvo laborabat, affectione corporis imploravit. Accedens enim ad ipſum, prolixâ ſtatim narratione mihi exponere cœpit, ſe ab aliquot jam retrò annis, pro tenuioris fortunæ exigentiâ, Victûs ratione ſatis craſſâ, crudâ, frigidâ atqve ſalsâ uti coactum fuiſſe, eaqve propter ſæpiùs Nephralgiâ & Calculis laboràſſe, imò jam aliqvoties calculos minores ſabuloſos cum Urinâ non ſine cruciatibus excreviſſe. Dum verò in Ægri præſentem magis inqvirerem ſtatum, audiebam mox ipſum de immani quodam, tenſivo, pungente & pulſatorio dolore, dextra Hypochondria ſub regione Hepatis occupante conquerentem: hunc verò dolorem jam ultra ſesqvi annum nunc intenſiùs nunc remiſſiùs durantem, perſenſit; nunqvam tamen acerbiùs hominem afflixit, quàm

cùm

cùm Urinæ prodibant claræ, tenues, minùs turbidæ vel turbatæ; ſi verò eædem craſſæ admodum ac turbidæ exiſtebant, dolor qvidem remiſſior evaſit, neutiqvam autem perfectè remiſit; atqve tum Urinæ ab Ægro excretæ mediâ ſui parte ſedimentum efficiebant craſſum, album, purulentum, ſed neqve fœtidum neqve viſcidum. Pulſus ſemper extitit juſto debilior & crebrior: Alvus præterea qvotidie reſpondebat, & appetitus ciborum utcunqve laudabilis manebat: ſitis verò modica ſæpè urgebat. Somnus fuit nec diu continuus, nec multus: vires evadebant paulatim debiliores, & habitus corporis diminuebatur. In hiſce igitur cruciatibus Æger remediis non caruit ſive externis, ſive internis, qvibus credebatur Ulcus internum ubicunque latens extergi, atqve conſolidari, eademque ſimul operâ dolorem leniri poſſe, aſt in caſſum ſingula uſurpabantur: Ut proin hâc ratione emaciatus extremè, & viribus maximè exhauſtus, ultimos Vitæ halitus ſpirare videretur, cùm interea in loco cruciatuum hucusqve perpeſſorum inflammatorius apparet tumor, Abſceſſum penè maturum referens, atqve Regionem Lumborum dextram immediatè ſub coſtis nothis occupans. Tumor hic primò durus fuit, atqve parvus, ſed auctus, brevi eminentiam non levem acqviſivit, molliuſculam, ſub qvâ purulenta colluvies admotis percipi digitis poterat. Præſente hoc Tumore, ubi pus jam alium qværebat exitum, Urinæ & parciores, & clariores mingebantur, ſedimento carentes, qvod jam validum præbebat affectorum antea Renum indicium. In tumente verò parte dolores acres & pulſatorii immane qvantum ſæviebant, eousqve, donec etiam Convulſiones, ſed lenes primùm illas, mox verò univerſales graviores excitaret, qvæ licèt non diu durabant, imminentem tamen mortem facilè præſagiebant, niſi anodynis citò remediis eadem anteverti, proculqꝫ adhuc arceri poſſet. Hoc igitur in Statu cùm inviſerem Ægrum, ac inſimul Abſceſsûs valdè jam conſpicui locum, magnitudinem atqve mollitiem conſpicerem, neqve tamen ſigna deprehenderem ejusdem ſponte rupturi; propoſui ſtatim illius inciſionem minimè differendam, ceu Remedium ad præcavenda pejora accidentia, leniendumqꝫ dolorem præſentiſſimum. Sed dubius aliqvandiu hæſit Æger, utrum mortem ſeligeret valdè propinqvam, vel utrum admiſsâ Apoſtematis inciſione miſerioris vitæ uſum diuturniorem præferret. Tandem collecto jam vacillante animo, captaque ſubſeqvuturæ incolumitatis melioris ſpe, præſentem Chirurgum ſuâ in Arte peritum *Dn. Samuelem Braunium*, juſſit ſine morâ lanceolam Abſceſſui infigere; qvo confeſtim peracto, ingens puris ſinceri qvantitas

effluxit,

effluxit, Ægroqve levamen dolorum inſigne conciliavit. Vulnus inflictum, Ulcusqve ſubſeqvens pro more deligatum tractatumqve poſtea fuit, ſed, cùm ſinuoſum illud fiſtuloſumqꝫ eſſet, nullis ſive internis ſive externis detergentibus, ſiccantibus, conſolidantibus, abſorbentibus atqve traumaticis, qvomodocunqve diligenter uſurpatis, ſanari potuit; qvin ab ipſo adaperti Abſceſsûs tempore ad ultimos usqve vitæ dies, ultra qvadriennium ſemper, nunc purulentus, nunc aqvoſus, nunc etiam tantillùm ſangvineus ichor copioſè effluxit: ſed ita tamen, ut interea redeunte appetitu integro ad vires paulatim ſufficientes, & εὐσαρκίαν tantùm non prorſus ſibi naturalem rurſus devenerit, urinasqꝫ nunqvam ampliùs purulentas, ſed qvandoqve ſabuloſas, easqꝫ claras reddiderit. Qvamqvam autem Ulcus in principio ſtatim ſinuoſum exiſteret, ſtylum tamen profundiùs imittere haud potuimus, propter curvitatem ſinuum in occulto decurrentium. Veroſimile tamen nobis ex ulceris ſitu & conditione viſum eſt, ſinum illius ad Renem usqve dextrum terminari, præſertim, qvoniam à tempore facti Ulceris nullum amplius pus per Urinam defluebat, qvamvis largiter defluentem, & ad veſicam ſine incommodo progredientem. Imò licèt interdum Fiſtulæ oſtium, ſuperinductâ tenui membranulâ, coaleſceret & clauderetur, nullum tamen amplius ſerum purulentum cum Urinâ excernebatur, ſed illud omne intra ſinuoſos Fiſtulæ ductus coacervatum, dolores, priùs leniſſimos denuò fecit acerbiſſimos, eosqve tamdiu durantes, donec Fiſtulæ orificium diſruptâ membranula iterum aperiretur, liberumqꝫ puri exitum denuò concederet. Temporis hinc progreſſu, cùm Æger poſt elapſum annum ferè ſemper lecto affixus teneretur, ichoroſum ſerum paulatim ſubter cutim inter muſculos Clunis dextri novos excavavit ſinus, tandemqve & ibi ſaccum ulceroſum fecit, qvem profundiùs intra muſculos abſconditum, cùm natura aperire haud poſſet, ſcalpello itidem aperiri, pusqve omne extrahi curavimus, ſpemqve tum aliqvalem concepimus, fore, ut pure jam verſus muſculos femoris effluxum conſecuto, ſuperius Fiſtulæ in Lumbis orificium clauderetur, & perfectè conſolidaretur; aſt contrarium prorſus evenit: etenim ex utroqve poſtea ulcere continuè purulentus emanavit ichor, ut non tantùm induſium commacularet, ſed & inſimul lecti ſtragula perpetuis ſordibus madefaceret, citra notabilem fœtorem, niſi qvando diutiùs in talibus ſordibus immundus obhæſit. Interjecto autem tempore iterum emaciari Æger, viribus exolvi, atqꝫ circa initium Anni hujus 1698. ſimul vomitibus affligi cœpit, primùm qvidem continuis, cum Urinæ, Alviqve ſuppreſſione, anxietate præ-

 cordio-

cordiorum inſigni, atqve Cordis palpitatione haud vulgari: poſtea verò rarioribus, & neqve tam crebro, neqve tam acerbè excruciantibus. Symptomata verò illa per octidui ſpatium continuabant, & manifeſta Nephritidis indicia præbebant; ab uſu autem Nephritico-Cardiacorum paulatim ceſſabant, Alvus denuo aperiebatur, Urinæqve excerni rurſus, ſed modicè incipiebant, tandem & meliùs profluere: atqve ita Æger ferè exanimis ad ſe redire paulùm videbatur: ſed cùm Appetitus interea nihilominus maneret dejectus, & ſitis augeretur, vomitus qvoqve interdum redierunt, orificia Fiſtulæ claudebantur, ac ne guttulam qvidem Ichoris ampliùs fundebant. Tum verò inductâ noviter macie extremâ, dolores Ægrum univerſales, Pectoris anxietates, ſicca tuſſis, palpitatio Cordis aſſidua, deniqve & ardor Interaneorum, cum crebris vomitibus, atqve Iſchuriâ novâ, adeo torqvere cœperunt perrexeruntqve, ut inde ad deſperationem ferè adactus miſer, neſciret prorſus qvid ageret vel loqveretur, donec aſſumtâ ſæpè Eſſentiâ narcoticâ, animi tranqvillitatem rurſus nanciſceretur, ſub qvâ dein ad beatam ſeſe analyſin præparabat, eamq; etiam ex voto *Die 28. Aprilis Anno 1698.* conſecutus eſt, poſtquam ſuum mihi cadaver luſtrandum, vivens adhuc non ſemel commendâſſet.

Itaqve poſtridie ad Cadaveris apertionem me contuli, in luſtrationis conſortium admiſſis *Viris Juvenibus Nobiliſſ. atque Præſtantiſſ. Dominis, Joh. Henrico Hottingero, Tigurin. Chirurg. & Medic. Doct. Gabriele Bely à Belfort, Curiâ-Rhæto, Medic. Candid. Mauritio Sutero, Zoffingenſi, & Martino Bogdano, Bernenſi, Medic. Cultoribus.* Cadaver autem primo nobis intuitu comparuit undiqve emaciatum, cum Abdomine depreſſo penitus atqve velut collapſo, in cujus inciſione tamen adipoſam adhuc tunicam, ſufficiente axungiâ repletam notavimus. Muſculi qvoqve Abdominis haud adeo macilenti fuerunt, qvemadmodum antea credebantur; imo aperto in crucem Peritonæo, Omentum neqve conſumtum, neqve adipe, qvi cineritii fuit coloris, orbatum apparuit. Hepar autem juſto minore nobis mole præditum videbatur, ſubſtantiæ friabilis admodum minusq; compactæ, ſed ſideratæ prorſus, intus extusq; ſimilis, coloris variegati. Veſicula Fellis autem valdè ampla fuit, bileque fluida quidem, ſed admodum nigricante repleta. Ventriculus Inteſtinaque prorſus exinanita, hinc inde ſiderata qvoqve. Cor, Pulmones, Lienem, Pancreas, Veſicam urinariam omni labe carentia deprehendimus, niſi quod in dextro Cordis ventriculo craſſus ſatis, longeque in Venas extra Cor protenſus exti-

terit Polypus, ſine dubio Palpitationis atqve Anxietatis freqventis author, qvam Æger ante mortem expertus eſt validam. Ren verò ſiniſter naturali multo major in pelvi quidem concretum tenuit Lapidem, inæqvalis admodum figuræ, aſperum, angulatum, ſabuloſum, neqve adhuc valdè induratum, magnitudine Nucis juglandis; per ipſam verò reliquam Renis ſubſtantiam deprehendimus haud contemnendam ſabuli calciformis ac friabilis qvantitatem; qvæ ſabuloſa materia, viſcido interſperſa ſucco, & papyro ad exiccationem impoſita, in Lapides ſatis duros concrevit. Præterea adeo numeroſæ in qvamplurimis ejusdem Renis tubulis extiterunt arenulæ, ut ſubſtantiam viſceris ad attactum fere arenoſam redderent. Ren dexter conſumptus planè, omniqve parenchymate deſtitutus, non niſi craſſas qvasdam, duras atqve tenaces tunicas, omni cavitate carentes, exhibuit, Integumentis Lumborum internis valdè adnatas, atqve intra ſe tamen adhuc qvinqve lapillos duriſſimos, ſiliceos, magnitudine Piſorum majorum còntinentes. Fiſtula autem, qvâ Æger laborabat tamdiu, ejusdem Renis ſubſtantiam tranſibat, & ad lumbares usqve vertebras progrediebatur, jam jam carie infectas; exteriùs verò tranſiens inter binas ultimas coſtas nothas, obliqvo admodum ductu perrexit, ac tandem cutim in lumborum latere dextro penetravit, hincqve ulteriores agendo cuniculos ſubter cutim divagata plures ſinus ulceroſos, inter clunium muſculos deflectentes, nobis conſpiciendos monſtravit.

OBSERVATIO XIII.

Dn. D. THEODORI ZUINGERI.

De Ulcere antiquo in Meatu urinario feliciter Curato.

DUm nuper Manuſcripta mea, qvorum magnum jam ab *Abavo meo Theodoro Zuingero Philoſopho, Medico atque Polybiſtore* ante centum ac triginta annos colligi inceptum, poſſideo numerum, per conceſſum ab occupationibus otium luſtrarem, incidi qvoqve inter alia in Obſervationes Medicas, magis minusvé curioſas, è qvibus hâc vice ſeqventem notatu ſatis dignam judicavi, qvam Medica praxis *Celeberrimi Viri, Dn. Joh. Caſpari Bauhini, Collegii Medici in Univerſitate noſtrâ Anteceſſoris & Profeſſoris*, dum viveret, *primarii* ſugeſſit, ſeqventi modo adcuratè ab ipsâ Auctoris manu conſignatam.

Elias N. Auguſtanus, annorum circiter 40. à decennio & ultra laborans puris ἐξ οὐρήθρας effluxu, occaſione ulceris illis in locis vetuſti, ſæ-

piùs qvidem variis medicamentis tentati, nunqvam tamen plenè curati An. Chr. 1642. d. 22. Maji, & ſequentibus, hiſce uſus eſt medicamentis. Die XXII. Maji Pilulas ſumpſit. ℞. *Extracti Catbolic.* ℈j. *Extract. Rbab. gr vj. Ol. ſtill. ſuccin. q. ſ. M F. Pilulæ No. XI. Deaurentur.* Leviter inde purgatus fuit. XXIV. Maji. Vena brachii dextra ſecta. XXVI. Curam ſudatoriam cœpit: ℞. *Raſur. Ligni ſanct.* ℥vij. *Cortic. ejusd.* ℥iij. *Radic. Cbin.* ℥ij. *Aqu. fontan.* ℔xvj. *M. Stent in Infuſione per boras 24. in loco tepido, vaſe clauſo: Poſt decoquantur igne lento ad conſumptionem dimidii, d. ad uſum.* Sumpſit ℥v. ab initio, aſcendendo ad ℥viij. circiter, mane, & copioſè ſudavit. Cibo uſus ex aſſatis, cum panis non nimiâ qvantitate, paſſulis majoribus, & amygdalis ſub finem paſtûs ad 12. abſtinendo à juſculis & humidis. Carnis qvantitas tanta comeſta, qvantum mediocris columbæ aut pulli dimidium habet; hâc proportione habita eſt vitulina, agnina, vervecina, gallinacea &c. Potus ſeqvens fuit: ℞. *Reſiduum decocti præſcripti, Paſſular. minor.* ℥iij. *Radic. Liquirit. raſ.* ℥ij. *Semin. Coriandr. ppt.* ℥ß. *Aqu. fontan.* ℔ *XXII. Infuſa ſtent per boras 6. decoquantur poſtea ad remanentiam* ℔ *XVI. Aromatiſentur Cinamom.* ℥iij. *d. ad V. pro potu ordinario.* Qvoniam autem Ægro videbatur paulo acrius, ſequenti diluebat: ℞. *Radic. Cbin.* ℥ij. *Gramin.* ℥iß. *Paſſular. minor.* ℥vj. *Aqu. fontan. q. ſ. M. F. decoctio ad* ℔iv. *Aromatiſetur Cinamom.* ℥j *d. ad Vitr.* D. XXVIII. mane in diluculo jejunus hauſit: ℞. *Terebintb.* ℈ij. *Vitell. ovor.* ℥j. *Mellis* ℥ij. *Ducantur invicem in Mortario marmoreo, donec probè mixta fuerint, adde Vini Malvatic.* ℥ß. *Aqu. Parietar.* ℥j. *Miſc. ad V.* Ea die abſtinuit à portione ſudorificâ, & aliqvoties dejecit. Cùm deficeret potus ordinarius, ſuppetente, adhuc ſudorifero, in ſubſidium ejus D. XXIX. præſcriptum ſeqq. ℞. *Ligni ſancti torno deraſi* ℥ij. *Cortic. ejusd. Radic. Cbin. aa.* ℥ß. *Aqu. fontanæ* ℔xx. *Stent in Infuſione per boras XII. in loco tepido, vaſe probè clauſo, tunc additis Paſſul. minor.* ℥iij. *Radic. Liquirit raſ.* ℥ij. *Semin. Coriandr. ppt.* ℥ß *F. Decoctio ad remanentiam* ℔ *XVI. Aromatiſentur Cinamom.* ℥iij. *d. ad V.* Hocqve potu tamdiu uſus eſt, donec ſudoriferus iterum parandus fuit, & tum qvoqve potus ordinarius ex reſiduo parabatur, ut ſupra: hocque iterum deficiente iſte rurſus, & ſic porrò. D. 11. Junii. Pilulas ſeqq. ſumpſit: ℞. *Pulveris pancbymagogi albi (b. e. Mercurii dulcis)* ℈ß. *Gumm. gutt. gr.* IX. *Terebinth. q. ſ. M. F. Pilulæ No.* IX. *Deaurentur.* Inde ſemel atqve iterum dejecit hâc die, & ſeqventi ter vel amplius. Doſis pulveris panchymagogi eo usqve aucta, qvoniam antehac gradatim eo usqve aſcenſum & viſum, Ægrum hanc doſin facilè ferre poſſe. D. 4. Jun. Utalter-

nis

nis diebus & ter uteretur, liqvor hicce præſcriptus: ℞. *Terebinthin. limpidiſſ.* ʒiß. *Vitell. ovoc.* ℈iiij. *Mellis* ʒij. *Vin. malvatic.* ℥ß. *Aqu. Parietar. Equiſet. aa.* ℥j. *Miſc. d. ad* V. Sumat ſub veſperam, duabus horis ante cœnam alterâ ſemper die, poſtero mane ſudando. D 6. Junii. Cœpit uti injectione ſeqq tepidè per ſyringam mane ac veſperi horâ unâ vel alterâ ante cœnam. ℞. *Aqu. Equiſet. Agrimon.* Parietar. Plantag. *aa.* ℥iß. *Mellis roſat.* ʒvj. *Sief. albi ſine opio* ℈j. (*abſterſionis blandioris causâ ab initio*) *Miſc.* Quia tamen abſterſio levior videbatur, quàm puris copia & ſordes ulceris poſtulabant, hocce uſus eſt: ℞. *Aqu.* Parietar. *Equiſet. aa.* ℥iiß. *Aqu.* Plantag. ℥iß. *Mell. roſat.* ʒx. *M.* In hâc mixturâ diluat *Unguenti Ægyptiaci*, qvantum ferre ad ſenſum, ſine inſigni dolore & morſu poteſt; in eum finem præſcriptum: ℞. *Unguent. Ægyptiac.* ℥ß. *d. ad Oll.* Et hæc d. X. Die XI. Purgatus iterum: ℞. P*ulveris panchymag. alb.* ʒß. *Gum. Gutt. gr.* XI. *Cum mucilag. Gumm. Tragac. q. ſ. F.* Pilulæ *No.* IX. *Deaurat. d. ad ſcat.* Potentiùs quàm præcedentes operabantur per vomitum & per ſeceſſum. Eodem & ſeqq. diebus incepit uti candelis ex *Emplaſtr. de Ranis* Vigon. *cum Mercur.* paratis, poſt injectionem in Urethram indendo, & qvamdiu fieri poteſt, retinendo, tempore mictionis extrahendo, & hâc finitâ iterum reponendo. Quia verò molliores nimis videbantur, & à Chirurgo minùs commodè paratæ, poſtea talibus uſus, ℞. *Ceræ* ℥iv. *Terebinth.* ℥ß. *Spermat. Cet.* ʒj. *Liquefiant unà, poſtea ſenſim inſperge pulverem ſubtiliſſimum ſequentium;* Plumbi *uſti ac loti*, *Tutiæ ppt. Lapid. calamin. ppt. aa.* ʒj. *F. Intinctio fili, & trahatur per cannulam aut ferrum foraminulentum. F. Candelæ ut artis eſt craſſitie catheteris.* Cùm & hæ molliores & fragiliores, qvàm ex re foret, juſſus eſt Pharmacopœus in earum concinnatione addere aliqvid picis. D. XIII. XIV. & XV. ſumpſit ſub veſperam duabus ante cœnam horis: ℞. *Aqu. Parietar. Equiſet. aa.* ℥j. V*ini malvatic.* ℥ß. V*itell. ov.* ʒj. *Terebinth.* ʒiß. *Mellis* ʒiij. *Miſc. pro doſi*, qvæ alvum & urinam potenter movit. D. XV. Injectio reddenda efficacior: Talis itaqve præſcripta, qvæ ſimul præter vim abſtergendi, conſolidandi qvoqve facultate prædita: ℞. *Radic. Liquirit.* ʒiij. *Herbar. Sanicul. Nicotian. aa.* M iß. *Abſynth. Agrimon. Card. bened.* Plantag. *aa.* Mj. *Summit. Centaur. minor.* pij. *Roſar. rubr.* pj. *Lupinor. contuſor.* ʒij. *Cortic. fabar.* ʒiij. *M. F. Decoctio in Aqu. fontan. partib.* iij. & *Lixiv. part.* 1. *In Colatur.* ℥ix. *ſolve Mell. roſat. Syrup. de Abſynth. aa.* ʒvj. *M. ad* V. Tempore uſus miſceatur qvoqve *Unguent. Ægyptiacum*, uti ſupra D. 6. Jun. D. XIX. ℞. *Pulv. panchymag. alb.* ℈ij. *Gumm. Gutt. gr.* XI. *Mucilag. Gumm. Tragac. ex Aquâ Roſar. q. ſ. M. F. l. a.* Pilulæ *No.* IX. *Deaurentur ac ſumantur*

tur unâ vice. Idem inde effectus, qvi D. 11. ſecutus eſt. Eodem die ad robur partibus ulceratis conciliandum exterius juſſus eſt calidè inungere Regionem Perinæi, ubi Paraſtatæ ſitæ: ℞. *Unguent. Martiat.* ℥iij. *Ol. Abſynth. Cydonior. Maſtich. aa.* ℥ß. *Miſc. Utatur calidè.* Sub veſperam paſſus Ephemeræ Febris paroxyſmum, cum horrore, ſiti, & calore inſigni, ut & ſeqventi die mane. In hanc rem bibit duobus hauſtibus Julepum ſeqq. ℞. *Aqu. Cichor. Fragor. aa.* ℥ij *Syrup. Citr. Granat. acidor. Berber. Violar. purpur. aa.* ℥ß. *Spirit. Vitrioli ad ſuavem acidit. q. ſ. Miſc. ad Vitr.* D. XX. ſæpe bolum caſtaneæ magnitudine de ſeqventi mixturâ ſumpſit: ℞, *Conſerv. Roſ. rubr.* ℥vj. *Citri, Roob Ribium aa* ℥ß. *Syrup. granator. q. ſ. Miſc. F. Electuarium ad formam Opiatæ.* D. XXI. denuo ſumpſit pilulas Die XI. præſcriptas, cum ſimili operationis effectu. Pulvis ſeqq. injectioni interea continuatæ miſtus, ad validiorem ulceris abſterſionem: ℞. *Radic. Ariſtol. rotund. Ver.* ℈iiiß. *Aloës ſuccotrin.* ℈j. *Myrrh.* ℈iiß. *Miſc. F. pulvis tenuiſſimus.* D. XXVII. purgatus eſt ex pilulis die XIIX. præſcriptis. Interim puris excretio ſucceſſivè valdè minuebatur: hinc D. XXIX. conſolidationis causâ injectio ſeqvens in uſum vocata: ℞. *Rad. Conſol. major.* ℥iß. *Biſtort. Tormentill. aa.* ℥iß. *Liquirit.* ℥ij. *Herbar. Sanicul. Pyrol. Alchymill. aa. mj. Agrimon. Parietar. aa. Mß.* (*abſterſionis gratiâ*) *Flor. Roſ. rubr. pij. Balauſt. Malicor. aa.* ℥iß. *Decoquantur in aquæ extinctionis fabrorum ferrariorum q. ſ. In Colaturæ* ℥viij *ſolve Trochiſc. alb. Rhas. ſine opio* ℥ij. *Ocul. 69. ppt. Boli Armen. ppt. aa.* ℈ij. *Camphor.* ℈ß. *Syrupi de Plantagin.* ℥j. Spiſſus fuit Liqvor qvi tamen calefactus Syringam facilè permeabat. Vena interim adhuc bis ſecta fuit, ultimò etiam Poplitis ſiniſtri. Tandem D. XXX. Curam finiit, & ſeſe libero iterum aëri commiſit: ſentiens tamen conatum qvendam egerendi, ab humoribus acribus, irritantibus vim Inteſtinorum expultricem, ſeqvens hauſit d. VI. Jul. ℞. *Syrup. Roſar. ſol. compoſit. cum Rhab. Agar. & Senn.* ℥iiß. *Aqu. Cichor.* ℥vj. *Aqu. Cinnamom.* ℥j. *M.* Copioſiſſimè dejecit. Hinc perrexit adhuc in uſu candelarum, & Baſileâ diſceſſurus ſeqq. adhuc medicamina accepit: ℞ *Sacch. roſat. tabul.* ℥ij *Radic. Conſolid. majoris ſiccæ* ℥iij. *Ocul. 69. ppt.* ℥j *Corall. rubr. ppt. Santal. rubr. pulveris. aa* ℈j *M. F. pulvis tenuiſſimus d. ad ſcatul.* Ad internam conſolidationem firmandam ſumat inde jejunus cum panis toſti in vino albo macerati buccellâ, cochleare circiter plenum. ℞. *Olei Hypericonis* ℥iij. *Terebinth.* ℈j. *Emplaſtri ſtyptici* ℥ij. *M. F. Linimentum*, qvo candelas inungat, loco immiſſurus. ℞ *Aqu. aluminoſ.* ℥ij *Plantag. Brunell. Sanicul. Pyrol. aa.* ℥j. *Trochiſc. alb. Rhas.* ℈iiß. *Lapid. hæmatit.* ℥ß. *Tut. ppt.* ℈j. *Miſc. ad Vitr.* Utatur tepidè cum ſyringâ.

OBSER-

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.


fig. I. pag. 31.
fig. II.

OBSERVATIO XIV.

Dn. D. GEORGII DETHADINGII, SEN.

De Aſparago laticauli.

ANno M. DC. IIC. Guſtrovii Aſpargus laticaulis, inſolitæ figuræ, progerminavit; cujus hîc figura, minori typo expreſſa, proponitur; cum vera ejus altitudo d. 18. Junii tres pedes Rhinlandicos & novem digitos æqvaverit. Cæterùm Figura I. eundem è terra primùm erumpentem; Figura II. ulteriùs excreſcentem præſentat. FIG. I. & II.

SCHOLIUM.

QUod in Animalium genere non adeò rarò obſervatur, ut gemelli in unum corpus coaliti excludantur, idem in Vegetabilium qvoqve ordine haud infreqventer fieri notum eſt; id qvod etiam Plantæ faſciatæ ſive caule latiore præditæ teſtantur, qvas interdum ex duabus plantis, mediante ſucci nutritii extravaſatione concreſcere minùs dubito: qvamvis ſine hac etiam, & potiſſimùm, ex fortuito naturæ luſu id contingere; cauſamqve in ipſa ſeminali materia deliteſcere veriſimile videatur: Id qvod in hoc qvoqve Aſparago laticauli locum habere arbitror. Uti enim in gemellis connatis non ſemper, imò rariſſimè duorum fœtuum facta violenta colliſio, & hinc ſubſeqva concretio locum invenit, cum intimior ac tanta ſæpe tenellulorum horum corpuſculorum unio deprehendatur, qvæ absqve eorum interitu minimè ſuccedere qveat, præſertim ubi duplicato tali in corpore unicum nihilominus cor comparens, impoſſibilem cauſæ externæ violentiam arguit, ideoq́ ipſo in ovulo materno inſolitam iſtam partium diſpoſitionem præextitiſſe evidenter evincit: ita in Aſparagi hujus radice eam particularum ſeminalium copiam, concurſum, & diſpoſitionem adfuiſſe conjicio, qvæ deinde in germinatione ſeſe hunc in modum explicare & caulem latiuſculum, in qvo nulla concretorum duorum caulium veſtigia comparent, producere potuerunt. Non abſimile qvid ſtatuit Nobiliſſ. *Dn. Schelhammerus noſter Dec. 2 Ephem. barum Ann. 6 obſ. 110.* materiæ ſeminalis abundantiam arguens. Humidam etiam aëris temperiem multùm in proferendis plantis laticaulibus poſſe contribuere, facilè *D. Thomæ Bartholino* adſentior, à qva nempe tum aliorum in plantis monſtrorum, tum inprimis Malvæ faſciatæ, qvam deſcribit, ortum in *Vol. 5. Act. med. Hofn. obſ. 129.* deduxit: qvin

& ipſe Anno 1692. qvi plurima humiditate, atqve Vere imprimis & Æſtate crebris pluviis nobis moleſtus erat, præter copioſum variorum fungorum proventum, diverſas paſſim plantas, qvas inter Geniſta Hiſpanica, Linum umbilicatum &c. faſciatas obſervavi; ſi enim in aëre, ejusq; ſobole pluvia, ſpirituoſæ multæ lateant particulæ, major talium ab ea crebriùs deplua, alicubi confluxus ac concentratio qvò minùs contingere qveat, nihil obſtat, qvæ deinde à ſpiritu plantæ inſito agitatæ, non tubulos tantùm obvios magis extendere, ſed novos etiam fabricare valent. Cæterùm Aſparagi hujus radix utrùm inſeqvente anno novum ejusmodi latum ſtolonem protruſerit, non conſtat: De Corona qvidem Imperiali ſic dicta, qvæ præ aliis plantis huic vitio vel luxuriei, tam qvoad caulis latitudinem, qvàm florum multitudinem expoſita eſt, notat *Carolus Cluſius Hiſt. plant lib. 2. cap. 1.* (& cum eo Cl. *D Joh. Sigism. Elsholzius in Flora Marcb. p. 116.* qvod apud nos etiam eveniſſe ſcio,) eandem ſeqvente anno ad ingenium redire, caulemq; rotundum proferre; qvod in diverſis qvoqve Lilii albi bulbis contigiſſe recordor, in præmemorato tamen Lino contrarium accidere, ſemenqve ab eodem faſciato qvotannis collectum novas ſoboles ſimiliter faſciatas parturire, ſicq; vitium hoc in octavam usqve generationem jam deſcendiſſe deprehendo: Num in Piſo comoſo Johan. Bauhini, qvod in ſummitate latum caulem oſtendit, idem evenerit, neſcio; mihi ſanè cum primùm Anno 1691. eſſet transmiſſum, caulem iſtum ampliorem non protruſerat; cujus tamen ſemen inſeqvente anno, talem plantam laticaulem, & ſic reliqvis ſuccedentibus qvoqve annis, largitum fuerat, hoc tamen Anno 1700. priorem faciem denuo induerat.

(*L. Schröck.*)

OBSERVATIO XVI.

Dn. D. JOHANNIS GEORGII GRÜBELII,

De Maniaco curato.

MAniam horrendum eſſe affectum, nec paucis cedere remediis, ſed ad plures ſe extendere annos ſatis notum eſt Medicis. Paucis tamen, Deo bened. à me curatum remediis: Juvenem 14. annorum Mich. Ehrenfried Lehn Neoſtadii ad Orilam Anno 1675. die 26. Febr. qvi jam tum 18. ſeptimanis eadem maniâ atrociſſimâ laboraverat, qviqve manibus pedibusqve vinctus jacebat in terra, ne alios læderet, veſtesqve ſuas dilacerare

cerare poſſet, apparebit ex ſeqventibus. Et qvia res apud illum erat anguſta domi, furorem illius opiatis conſopire ſtudebam appoſitis:

℞. Sirup. papav. errat. ℥j. Laudan. opiat. gr. IV. M.

Externe verò ſeqvens unguentum applicare jubebam:

℞. Unguenti ſomnif. uſit. ℥iß. ol. papav. expreſſ. ʒj. Extract. opii gr. IV. M. f. l. a. Unguent. temporibus applic.

His verò incaſſum adhibitis ad vomitorium fui transgreſſus:

℞. Aſar. rad. pulver. ʒj. Mercurii vitæ gr. ij. M.

qvod ſuum probè fecit officium, cui ad vires reſtaurandas hanc præſcripſi potionem:

℞. Aq. anagallid. lactuc. borrag. bugloſſ. papav. errat. an. ℥j. magiſt. anodyn. gr. VII. Sirup. fl. tunic. rub. idæi, papav. an. ℥ß.

M. Hac uſurpata ferocia illius fuit mitigata, cui d. 28. Febr. Sirupum præſcripſi ſeq.

℞. Extract. theriac. Laud. opiat. an. gr. iij. Sirup. papav. errat. ℥iß. M.

Hôc duabus vicibus receptô paulo melius ſe habere viſus fuit patiens, inde 1. die Martii iisdem fere remediis opiatis continuavi, qvale ſeqvens erat:

℞. Aq. anagallid. lactuc. papav. errat. an. ℥j. Extract. theriac. gr. V. laudan. opiat. gr. iij. Sirup. papav. errat. ℥j. M.

Hiſce delirium, præmiſſa tamen venæſectione prius, utplurimum fuit ſopitum. Inde ad purgantia feci progreſſum, inter qvæ erat primum:

℞. Extract. hellebori nigri gr. XV. reſin. jalap. gr. ij. Sirup. roſ. ſolut. ℥j. M.

Cui hanc die ſeqvente præſcripſi potionem alterantem:

℞. Aq. fl. borrag. anagallid. an. ℥ij. Sirup. borrag. bugloſſ. an. ℥ß. Sir. roſ. ſolut. ℥iß. M.

Hâc aſſumtâ, magis ſe ſublevatum eſſe putabat. Ut verò reliqvias mali planè expellerem, die 9. Martii ſeqventem potionem præſcripſi:

℞. Aq. fl. hyperici, anagallid. borrag. bugloſſ. an. ℥ß. Extract. hellebor. nigri ℈j. lap. lazul. ppt. ℈ß. Sirup. violar. borrag. an. ℥ß. M.

Hiſce adhibitis feliciſſimè rediit ad ſe, pannificii munus optimè perſol-

 vit,

vit, & paulò poſt cum ſponſa inivit conjugium feliciſſimum. Hanc ergò veram maniacos curandi methodum, eamqve breviſſimam eſſe, non ſolum ex hoc, ſed & ex ſeqvente feliciter curato apparebit maniaco.

Cùm eôdem annô die 10. Auguſti ibidem ad alium juvenem 25. annorum & unicum parentum ſuorum filium nomine Fleiſchmann accederem, illum ſummâ ferociâ maximâqve atrocitate laborantem deprehendi, qvi ex eadem ratione parentem ſuum interficere tentavit, ſed hic filium ſuum ſuperans, neſcit, qvid conſilii ſit capiendum? & tamdiu illum in hypocauſto concluſum tenet, usqve dum illum viſito, qvem torvis oculis, facie rubicunda & maximè delirantem deprehendi, cui mox hanc potiunculam anodynam præſcripſi:

℞. Aq. anagallid. hyperici an. ℥ij. papav. nymph. an. ℥j. magiſt. anodyn. Mich. gr. VII. Sirup. nymph. papav. an. ℥ß.

M. qvæ per intervalla adhibeatur. Hâc uſurpatâ melius ſe habuit adeo, ut parentes fuerint perſvaſi, filium penitus eſſe reſtitutum, ſed malum de novo incrementum ſumens die 19. Auguſt. iterum meum implorarunt auxilium, cui hanc præſcripſi mixturam:

℞. Eſſent. flor. hyperici, anagallid. an. ʒiß. Spir. Nitri dulcis, Spir. Vitrioli dulc. an. ʒij. M.


qvæ cereviſiæ inſtillanda & pro lubitu ebibenda, qvâ adhibita rectè ſe habuit. Exinde parentes iterum de filii ſanitate maximè exhilarati fuerunt. Unicô enim remediô ſi medicus tanti morbi ferociam radicitus extinguere potuiſſet, illis fuiſſet gratiſſimus, nilqve niſi magna encomia & grates meruiſſet pro more hodie ſuperiores inter & inferiores uſitato. Verùm hoc cum tertia vice rediret malum die 19. Septembr. ejusdem anni, meam de novo implorarunt opem, cui præmiſsâ venæſectione ſeqventem potiunculam præſcripſi:

℞. Aq. nymph. anagallid. hyperici an. ℥j. fl. papav. errat. borragin. an. ℥ß. magiſterii anodyn. Mich. gr. VII. Sirup. papav. errat. nymph an. ℥ß. M.

Hâc adhibita melius ſe habuit patiens, cujus affectus ſaburram expurgandam ſeqventem nodulum non ſine commodo præſcripſi:

℞. Fol. ſenn. ſ. ſt. ℥j. rad. hellebor. nig. ppt. ʒj. rad. polypod. ʒiiß. Tartari Vitriolati ʒj. flor. hyperic. borrag. bugloſſ. an. p. 1. ſem. fœniculi ʒij.


p. 350.
Unicornu marinum
fig
Cranii piſcis
fig XXII
fig.XX.
Cranii piſcis
pars



XXIII
eneum.
baſis in roſtro
pars protenſa extra roſtrum.
pars inferior. fig XXI

Inciſa groſſ. mod. D. qvæ infuſa ſtent in loco calido, de qvo deinde aliqvot dies bibatur, qvo adhibitô fuit feliciter Deo bened. curatus, manſitqve impoſterum ſanus atqve incolumis.

OBSERVATIO XVI.

Dn. D. JOHANNIS GEORGII GRÜBELII.

De Febri Quartana mutatione aëris curata.

CUm Altenburgi freqventarem Scholam, tempore autumni per nonimeſtre ſpatium ex diæta peſſima febre correptus fui qvartana intermittente, qvæ licet aliqvoties ex remediorum uſu videretur eſſe curata, rediit tamen ſemper cum vehementiore paroxyſmo. Inde incaſſum adhibitis omnibus remediis in patriam me conferre, aërisqve mutationem, qvam omnes fere medici in hac febre maximè commendant, in me ſuſcipere fui perſuaſus, neqve hoc irrito conatu. Vix enim eò redienti mihi paroxyſmus ita mitis apparuit, ut vix illius præſentia â me fuerit percepta, qvi die qvarto, Deo annuente, penitus evanuit. Ita in me ſatis fui expertus veritatem Hippocratis lib. 2. Aphor. 25. *Æſtivæ quartanæ*, dicentis, *maximam partem fiunt breves; autumnales verò longæ, maximeque, quæ proximè abſunt ab hyeme.* Cum enim omnes intermittentes oriantur, teſte Kneffelio, ex obſtructione venarum lactearum & ductus thoracici Pecqvetiani, de qvo in diſſertatione noſtra de Ductu chylifero Pecqvetiano, Reſpondente Johan. Hadriano Slevogtio, jam Profeſſore publ. in Academia Jenenſi celeberrimo, paulo egimus prolixius; Tempore verò hyberno eædem obſtructiones non aptè removeri poſſint, qvia cutis pori plurimùm ſunt obſtructi, per qvos alias materia peccans in ſudoris forma poteſt expelli, facile liqvet, cur Hippocrates autumnales qvartanas vocaverit longas; æſtivas verò maximam partem breves ob continuam ſcilicet materiæ viſcoſæ â calore inſtitutam reſolutionem & per ſudoris expulſionem. In his vero omnibus obſtructionem venarum lactearum ductusqve thoracici adeſſe, ipſius febris inſultus horrorqve maximus præcedens ſatis ponat nobis ob oculos. In dorſo enim & circa renum regionem imminente paroxyſmo ſentiri horrores fatentur omnes. Hîc nobis in his deficiunt rationes. Qvamdiu enim materia vitioſa hæret in viis, nec â natura agitatur & in cor infunditur, tam diu patientem bono animo eſſe, nullum ſentire calorem rigorem aut aliud illum vexare ſymptoma deprehendimus. Hâc verò commotâ ſta-

tim adeſſe lernam malorum, pandiculationem, frigus atqve calorem qvotidie obſervamus. Pro materiæ igitur diverſitate nunc viſcoſitate, acredine vel aciditate peccantis & in viis primis ſtagnantis nunc qvotidianam, tertianam vel qvartanam excitari febrem cum recentioribus meritò ſtatuimus. Sic toties paroxyſmum anticipare horam videmus, qvoties errata committuntur in victu. Econtra ſi ægroti fuerint abſtemii & parcius alimenta recipiiunt, tunc intermiſſionem febris etiam percipiunt. Ita unicum vomitum in principio tertianæ ſæpius eradicaſſe febrem nobiſcum obſervavit clariſſ. Waldſchmidius, & ſtudioſum vidi Jenæ, qvi â primo tertianæ inſultu ad ſecundum, jejunando febrem profligavit.

SCHOLIUM.

AEris mutationem in curandis morbis plurimum conferre, qvotidiana ſatis docet experientia. Imò ſingulis regionibus ſuas ferè inſenſiles eſſe emanationes, qvas Græci ἰδιοπαθείας vocant, morbi ſatis demonſtrant endemii ſeu locum aliqvem freqventer occupantes. Sic febrem Hungaricam vexare Hungaros, Polonos Plicam Polonicam, Anglos ſudorem Anglicum & Syros febrem Alexandretam dictam, obſervamus indies. Neqve Cairus ipſius provinciæ caput & celeberrimum emporium, ab hac lue eſt libera, ſiqvidem qvotannis febre peſtilentiali ab hyeme ad æſtivum ſolſtitium miſerè affligitur, qvæ tamen ad primum Nili incrementum ceſſare dicitur. Ita Romani phthiſicos & aſthmaticos ad Tabias locum ſicci aëris & ſereni in Campania prope Veſuvium relegare ſolebant, ubi ſulphureæ montis exhalationes ad ſanationem plurimum conferebant. Aliis qvorum vires & rationes longinqvam navigationem ferebant, ſerenum Ægypti aërem commendabant. Ita Marcus Venetus c. 33. duarum in ſinu Arabico inſularam meminit, qvarum altera â viris ſolis habitatur, â fœminis tantum altera, qvod alterutra incolis alterius ſit peſtilens. Sic notum eſt, qvod Luſitani, qvi inſulam St. Thomæ in litore Africæ occidentali ſub ipſo Æqvatore poſitam, incolunt, raro qvinqvagenarii evadant, cum Æthiopes tam advenæ, qvam indigenæ ad centeſimum ætatis annum perveniant. In Indiæ verò litoribus nimium crebro occurrunt loci peſtilentes immanesqve morbi inde orti. Malacca qvidem opulenta eſt, at ſitu humili infelix. Bantama Javæ, Pedir Sumatræ, Mozombiqva merces qvidem eximias præbent; at non ſine vitæ periculo petendas. Deniqve ubicunqve naſcitur piper aërem minus ſalutarem expectes. In inſulis qvoqve iſtius tractus nonnullis ea

eſt ſoli

eſt ſoli effluviorum malitia, ut advenis terræ inſiſtere ſit periculoſum; humi verò dormire lethale. Inde incolæ penſilibus tantum domiciliis utuntur. Econtra Creta & Hybernia hominibus ſalutares, venenata animalia non alunt. Ita Friſiis cum Danis & omnibus maris Balthici accolis nimis familiarem eſſe ſcorbutum; Luem Veneream Gallis & Italis Gemurſam, ſatis notum eſt.

(*Dresdâ Auguſtam Vind. d. 1. Jan. An. 1699. miſſæ.*)

OBSERVATIO XVII.

Dn. D. PHILIPPI FRAUNDORFFERI.

De Flatu furioſo lactis uſu curato.

VIr Podagricus & calculoſus, ante annos circiter duos tympaniticus factus, ſed tunc à me curatus, proximè incidit in flatum furioſum, (Nakir vocant) qvo per omnes corporis partes, meatus, cavitates, imò etiam venas atqve arterias cum impetu tranſeunte, adeò doloribus, vigiliis, inqvietudinibus, conſtipatione, inappetentiâ, ſiti &c. debilitatus & exhauſtus eſt, ut jam jam depoſitus videretur; medicamentis ſive purgantibus, ſive aperientibus, ſive carminativis, ſive ſtomachalibus, ſive præcipitantibus, ſive ſudoriferis, ſive refrigerantibus, ſive deniqve cordialibus pro varia affectûs facie, præſcriptis, nec qvidqvam ſolatii afferentibus. Huic tandem; perpendens fermentum qvoddam irreqvietum & per totum qvodammodo corpus diffuſum, idq; probabiliter acidum adeſſe, qvod fortè lacte copioſiùs hauſto concentrari, figi, præcipitariq; poſſet, lac bubulum coctum calidè ſumendum ſuaſi; & ecce! dictum, factum: aſſumpſit per ſeptem dies continuos præſcripto modo lac, & qvidem qvotidie ad libras tres, die verò octava medicamentum purgans ebibit, plurimaqve ſcybala alba per alvum dejecit, & morbus nimiùm qvantùm imminutus eſt; continuavit lac per alios ſeptem dies, & medicamentum purgans ſubjecit, & ſic etiam tertiâ vice; atqve æger plenè convaluit.

OBSERVATIO XVIII.

Dn. D. PHILIPPI FRAUNDORFFERI.

De linimento ad Serpiginem euporiſto.

AD Serpigines, etiam rebelles & contumaces citò exſtirpandas, imò unicâ inunctione delendas efficaciſſimum eſt linimentum ex Grülingio deſumptum, qvod

℞. Gum. Tragacanth. in aq. plantag.
ſolut. ℥j.
aluminis
Mercurii ſublimat. ana. ℥j.
M.

Id qvod ego multoties probavi, & nunqvam non probatum reperi.

OBSERVATIO XIX.

Dn. D. PHILIPPI FRAUNDORFFERI.

De muliere nunquam in vita ſua menſes experta, & nihilominùs fœcunda.

COmmunis Sententia eſt, & Clariſſimus Sennertus Tom. 4. lib. 4. part. 2. ſect. 4. cap. 2. docet: *Juvenculæ, quibus menſes nondum fluxerunt, & fœminæ ſeniores, quibus jam menſes deficiunt, ut & quibus menſes ob morboſam aliquam conſtitutionem ſupprimuntur, & viragines, quæ venas uteri anguſtas habent, & omnes omnino fœminæ quibus Sanguinis ad fœtum formandum neceſſaria copia deeſt, non concipiunt.* & Hippocrates lib. de ſterilitate Arg. 4. addit: *Si verò pauciores quàm debeant menſes prodeant, neque ſic prægnans fit.* His tamen non obſtantibus, vivit in hac urbe fœmina, qvæ non tantum ſinè ullis præviis menſibus ſex vivaciſſimas proles eſt enixa, ſed qvæ nec usqve ad præſens tempus, in qvo trigeſimum qvintum ætatis agit annum, dictum fluxum eſt perpeſſa; imò qvæ ipſiſſima contra Hippocratem qvi lib. 1. de morb. mulier. arg 89. notat: *Poſt partum plerumque ſanæ mulieri contingit, ut poſt puellæ partum, in quadraginta duobus diebus diuturniſſima purgatio fiat, extra periculum autem eſt etiam, ſi viginti quinque diebus purgetur; poſt maſculi verò partum purgatio diuturnior fit in triginta diebus, extra periculum etiam eſt quæ viginti diebus contingit*, nec Lochia unqvam ultra 24. horas habuit, neqve propterea minimam moleſtiam aut valetudinis jacturam perſenſit.

OBSERVATIO XX.

Dn. D. PHILIPPI FRAUNDORFFERI.

De altero teſticulo deficiente.

NOſco hìc Prænobilem Puellum, qvi à nativitate unum tantùm teſticulum eumq́; dextrum obtinuit, altero ſiniſtro, totaliter deficiente;

Verùm

Verùm qvod natura in numero negavit, iterum in magnitudine compenſavit, eſt enim teſticulus dexter duplo major, qvam pro præſenti ætate eſſe deberet.

OBSERVATIO XXI.
Dn. D. PHILIPPI FRAUNDORFFERI.
De pupillis oculorum cordiformibus.

NOn itâ pridem puellam qvinqvennem febre continua laborantem curavi, qvæ à nativitate pupillis oculorum cordiformibus, id eſt figuram qvâ pictores cor notare ſolent, perfectè referentibus, prædita erat; cæterum rectè, diſtinctè, clareq́; videns.

OBSERVATIO XXII.
Dn. D. PHILIPPI FRAUNDORFFERI.
De Juvene ſupra ſiniſtrum Hypochondrium caput informe habente.

ADductus eſt nuper in hanc Civitatem, publicoq́; ſpectaculo expoſitus Juvenis, ſedecim circiter annorum, Natione Italus, qvoad reliqva bene formatus, aſt à primo ortu ſuper hypochondrium ſiniſtrum caput informe proprio ſenſu & motu præditum habens; Magnitudo hujus capitis erat utcunqve juſta, oculi clauſi, palpebris & ciliis tecti, & plerumqve humore qvodam lachrymas referente madidi; naſus nullus, ſed illius loco duo ſub mento foramina; os clauſum, perverſum; labia diſtracta, irregularia, horrida; dentes ſine ordine diſperſi; capilli longi, nigri; præter caput etiam collum & una ex claviculis ſeſe obſcuro modo præſentabat; item pars pectoris mamillarum notis conſpicua. De hoc capite & reliqvo eidem adhærente corpore non nullæ ſolemnes qvæſtiones moveri poſſunt, de qvibus alia vice.

(Brunâ Auguſtam Vind. d. 12. Januar. Anno 1699. miſſæ Confer. Hiſtorias Anatomicas Illuſtris Bartholini. Cent. 1. Hiſt. LXVI.

OBSERVATIO XXIII.
Dn. D. JOHANNIS CHRISTOPHORI BAUTZMANNI.
De Pulvere dato, ad extorquendam incendiarii confeſſionem.

HÆc apprimè qvadrabit ad Clariſſimi Domini Doctoris Samuëlis Ledelii obſervationem LXXXVIII, in Decadis II. Anno VIII, ubi

ubi vero ille de contrario effectu agit. Hanc beatè defunctus Parens meus, qvondam ex ore Pharmacopoeiæ Studioſi, qvi tum temporis Rendsburgi in Holſatia ſervierat & Pharmacum præparaverat, notavit, qvæ ita ſe habet: Anno MDCXII, mutilus qvidam mendicus, ſimul incendiarius & homicida, Sägebergæ torturæ ſubjiciebatur. Hic cum nullo modo ad confeſſionem cogi poſſet, adfuit Conſul Rendesburgenſis nomine von Arſſen/ juſſit, ut prius torqvendo omnes Capilli abraderentur; poſtmodum tergotenus maleficum aggreſſus eſt, ne faciem Conſulis videre poſſet, juſſit ut in continenti ſeqventem potiunculam hauriret, qvæ conſtabat ex Maſtiches, Myrrhæ, Aloes Epaticæ & Viridi æris anaticis partibus, cum Aceto vini mixtis. Qvâ epotâ, Carnifici mandabat, ut torturæ ſubderet hominem, qvo facto, Incendiarius & Homicida hic evomere omnia ſatagebat, ab ejecta autem materia exſurgebat Spiritus familiaris, ſi non malignus, forma militis, caligis cæruleis indutus, qvi ſe Chriſtianum Fridericum (malo omine) appellabat, qvem Latro adhuc torturæ ſubjectus ita alloquebatur: Quo tendis Chriſtiane? itane mihi qvondam promiſiſti? cui Chriſtianus hic, minimè Chriſtianus: Cogor ut te derelinqvam & diſcedam! hoc dicto, diſparuit phantaſma. Ex hoc caſu videmus qvanta ſit poteſtas Dæmonis in filiis iniqvitatis, & quomodo ipſe miſeris his hominibus qvidem multa promittat, tandem tamen illis malitioſè illudat.

OBSERVATIO XXIV.

Dn. D. JOHANNIS CHRISTOPHORI BAUTZMANNI.

De Fœtu in utero exſiccato.

ANno MDCLXXXIX, circa tempus Paſchale, Uxor Tabellarii noſtri Henrici Schröders/ ex ſuppreſſis hactenus menſibus & inſeqvente motu Embryonis, gravidam ſe eſſe percipiebat. Circa feſtum autem Pentecoſtes, per duas noctes inſeqventes horrores Febriles patiebatur, & motum Embryonis ab eo tempore Mater non amplius ſentiebat, tumorqve ventris indies ſubſidebat, adeò ut veſtimenta ſtrictiora, hactenus remota, rurſus capeſſere potuerit, cæterum tamen nullatenus malè habebat. Qvid fit? menſis Julii fine, partum edebat mortuum, ita exſiccatum, ut oſſeus planè, cute ſaltem ſuperductus appareret, Lochiis parcius, aut ferè nihil fluentibus, nec Lacte in Mammis accreſcente, nullisqve aliis Symptomatibus inſecutis.

EXER-

OBSERVATIO XXV.
Dn. D. JOHANNIS CHRISTOPHORI BAUTZMANNI.
De Morbo ex incantatione mirabili.

ANna Eliſabetha, Jacobi Adami Kleſels/ Regiarum pecuniarum collectoris Dioeceſios qvondam nobilis Monaſterii in Harsfeld, filia, Puella ſedecim annorum, hactenus purgationem menſtruam non experta, poſtqvam Anno MDC.LXXXV, Dominica Judica, cum Parentibus ſacra Synaxi uſa fuerat, eodem die malè habere cepit, indies ordinariorum eſculentorum appetitu deſtituta, nihil appetiit præter ſaccharata, Poma, & Mala citria. Feria autem tertiâ Pentecoſtes, hora veſpertinâ Septimâ planè aphona per qvadraginta octo horas jacebat. Decimo Julii, horâ matutinâ ſeptimâ, horrore & metu perculſa evigilabat, & tale Symptoma ſingulis horæ qvadrantibus patientem invadebat, durabatqve per intervalla qvadraginta octo horas. Interea temporis per duodecim dies obſtructionibus alvi laboraverat, quæ nullis laxantibus, purgantibus vel clyſteribus cedere volebant, qvorum cohors cum aliis Medicamentis à Chymico famoſo Domino Michaël Bertold de Gileno, Harburgi tum temporis degente, transmittebatur. Tandem proprio motu fœces, ſed cum maximis doloribus ejiciebat, qvos pari cruciatu ſentiebat patiens, qvando Urinam reddere ſatagebat, ubi Saxo rigidior per dimidiam horam jacere cogebatur. Præterlapſis ſupra nominatis qvadraginta octo horis, per triduum miſera clauſis oculis, ratione deſtituta, ſine cibo jacebat, præterqvam qvod paucâ cereviſiâ interdum reficiebatur. Finito triduo, intenſiſſimos cruciatus ſentiebat, ita ut exclamare cogebeatur: Ah! ſentio ardorem & ictus acuum circa præcordia & in abdomine! qvæ anxietates per intervalla ſingulis ſemihoriis eam invadebant, ubi manus adſtantibus porrigebat, eas firmiter tenens, donec dolores ceſſabant. Poſt Paroxyſmos hoſce, non potis erat miſera puella in præſentia cujuscunqve hominis digitum, ne dicam manum aut pedem movere, abſentibus autem, motu pollebat. Si poſt paroxyſmum ei potus præbebatur, vociferabat: Eheu! flammam in gutture & Stomacho ſentio! Poſt hæc ſingulo crepuſculo, hora tertia, iteratos ſentiebat ructus, qvos motus convulſivi, cum fero ejulatu preſſo pede inſeqvebantur, qvi ad meridianum tempus durabant, poſt prandium libera manebat,

ad tertiam matutinam usqve. Principio Julii abſentibus Parentibus, è Lecto in ciſtam propè ſtantem devolvebatur, de qva ſine dubio in terram præcipitata fuiſſet, niſi Frater præſens caſum præcaviſſet. Audito tumultu & clamore Filii, Pater continuò aderat, filiam comprehendens, & in lectum deferens. Illa contra Parentem torvis oculis intuebatur, anxieqve parietem adſpiciens exclamabat: qvæſo ne me auferatis! tum ſub lodice ſe abſcondebat, mox reſiliebat, tandem ſtrangulari videbatur; inde exclamabat: Ah! obeſa illa me occidere conatur? Ejusmodi inſultus in tertii diei horam matutinam ſeptimam ſe protrahebant, ubi ceſſabant, & puella, ſui compos, Paſtorem loci accerſiri petebat, cui illa ſola cum ſolo, dicebat: adfuiſſe duas Vetulas, qvæ illam occidere conatæ, peſſimè unguibus lancinaſſent, monſtrato brachio dextro, ubi tumor aliqvis apparebat. Pergebat: Vetulas haſce inter ſe muſſitaſſe: ſi jam prompte eam non occiderimus, impoſterum nihil efficiemus. Ab illo tempore per dies nonnullos intacta manebat Patiens, qvibus præterlapſis, graviſſima Tusſis eam adoriebatur, ubi nec Vinum, nec Cereviſiam oblatam, ſed Lac acidum appetebat. Principio Auguſti menſis, de latere in latus Lecti cito motu provoluebatur, ut continuò adeſſe oporteret aliqvem, qvi prohiberet ne Caput graviter lateribus ſpondæ Lecti, aut parieti allideretur, qvem motum lamentabili cum voce & geſtibus perficiebat. Accidit etiam binis vicibus, ubi eam propinqvi in intervallis ſolam reliqverant, qvod patiens è lecto in pavimentum deſcenderat, qvando autem cuſtodes cubiculum intrabant, illicò in terram procidebat & rigida jacebat. Ab illo tempore morbus Tertianam mentiebatur; in cujus ardore delirabat, circa qvintam veſpertinam autem, febris declinare videbatur. Parens, cum aliqvando Lecto adſtaret, & Filiam percontaretur, ut ſe nunc haberet? anne mox reſtitutio ſanitatis ſperanda? utrum etiam Vetulæ adfuiſſent? reſpondit ſuſpirioſa: utiqve me macerant, & impoſterum gravius tractabunt! hæc loqvendo truculentos inſultus patiebatur, ad horæ qvadrantem durantes, qvibus attonitus & mœrens Pater adſtabat. Poſtqvam ad ſe rediiſſet, rurſus Pater inſtabat: qvid in hoc Paroxyſmo ſentiiſti? illa: non audeo dicere, reſpondit. Qvibus parens hac vice acqvieſcebat, qvoniam ordinarium paroxyſmum adventantem prævidebat. Poſt hanc Parens novitate avidus, blandimentis aliqvid elicere conabatur, cui filia reſpondit: Quæſo ſinas, ſi Sagas illas adhuc ſemel nominavero, debitas pœnas luam. Hoc dicto, in continenti extraordinariè affligebatur.

tur. Alio die ægra anxia & muta in Lecto ſe volutabat, interjunctis manibus, agonizantis inſtar difficulter reſpirans. Appropinquante Septembre, rurſus alia erat rerum facies, nam per intervalla & certis diei horis, immotis oculis, pollicibus firmiter intra pugnum concluſis, ſpumante ore, Epilepticæ inſtar jacebat, cujus paroxyſmi horæ qvadrantem qvidem non excedebant, ſed Parentes tanto magis affligebant. Paulo poſt Abdomen diſtendebatur in duritiem Tympani, facies ad ſcapulas; brachia in tergum; alter pedum antrorſum, alter retrorſum detorqvebatur. Menſe Octobri ſæpius per integras horas mortuæ ſimilis jacebat, adeò ut adſtantes Balſamo & Aquâ apoplecticâ Patientem reficere opus haberent. November alios excruciandi modos habebat, nam primum valdè detorqvebatur, poſtmodum qvaſi extaſi correpta, immota jacebat. Vigeſimo qvarto hujus menſis, cum freqventia ſuſpiria emitteret, Pater percontatus eam ſæpius qvid eſſet, ſed nullum tulit reſponſum, cum autem inſiſteret, reſpondit illa: O miſera! jam tertia acceſſit Vetula, qvam nominetenus indigitabat, hæc dicens, illicò tam atrociter tractabatur, ut nihil ſupra. Poſthac adſtantes nunqvam auſi fuerunt qvidqvam de Vetulis loqvi, nam talia audiens Ægrota, ipſo momento affligebatur. Inſeqventibus diebus ſingulis bihoriis ructus maxima vi aſcendentes, cum lamentabilibus ejulatibus prodromi erant inſeqventis deliqvii. Menſe Decembri manè hora tertiâ iterum incipiebant ſupra deſcripti ructus & clamores, qvi poſt mediæ horæ ſpatium remittebant, usqve ad ſeptimam matutinam inſeqventem, ubi ſingulis bihoriis qvietos paroxyſmos patiebatur. Nunc à vigeſimo primo Decembris ad vigeſimum ſextum usqve, ſingulis horæ qvadrantibus citò & indeſinenter in Lecto de latere in latus provolvebatur, ut cunæ cum infantibus ſolent, cum maximo & hactenus inaudito clamore, ut etiam vigeſimo ſexto, horâ veſpertinâ qvintâ, vicina Paſtoris Uxor, clamoris commiſerata accureret, tum ægra capillos, in formam corculi aut pulvinaris, in qvo mulieres acus ſuas recondunt, firmiter involutos, in qvibus adhuc faſciculus ſtraminis & duæ acus tortuoſæ reperiebantur, evomebat. Vigeſimo ſeptimo, eadem hora, lutum vel argillam cum una Acu evomebat. Vigeſimo octavo, eadem hora veſpertinâ in præſentia Paſtoris loci & ejus Uxoris, Paleas, Veſtucas lineas, Capillos, omnia in formam corculi conſarcinata & novem aciculis per omnes angulos pertexta evomebat. Deſuper fruſtulum fili aurichalcei, adhuc globum pilorum, corei fruſto cum ſetis Suillis conciſis intermixtum. Iterum vigeſimo nono, horâ veſpertinâ conſuetâ, præſentibus Paſtore & vicinis, vomitu laborabat enormiter,

ter, & tandem pilos caninos, filamenta virgultorum, ex qvibus corbes conficiuntur, ſyndonis fruſtula, fœni calamos ad digiti longitudinem convolutos, infixis ſeptem acubus, reddebat. Inſuper cannabim cum virgultis, una acu, fœno obductam. Hæc ſupra nominata omnia iteratis vicibus cum tanto conatu rejecit, ut etiam poſtea mortuæ inſtar jacuerit, nec reſpirationis ea ſigna adeſſent, qvæ plumam movere poſſent. Finitâ hac Tragœdiâ, dolores aliqvomodo ceſſare videbantur, aſt trigeſimo Decembris, horâ nocturnâ ſecundâ, præmiſſis ructibus, clamores ſoliti per qvadrantem horæ audiebantur, ceſſabant poſtea, & qvieti ſe dabat patiens, qvæ autem non diu durabat, verum circa ſeptimam matutinam leviter qvidem recrudeſcebant, uti etiam circa octavam inſequentem. Cum ad ſe rediret, Pater de ſtatu ſuo Patientem percantabatur, utrumne meliora ſperaret? quibus nihil reſpondebat, inſtante ulterius Parente, tandem in hoc ænigma erumpebat: Videbar mihi in ſomnio videre diſceſſum duarum Felium (ſuſpectas Vetulas intelligebat) remanet adhuc tertia, & mihi minatur ſingulis noctibus paroxyſmum gravem. Plura muſſitare conabatur, verum trivarius acceſſus paroxyſmi vocem præcludebat. Poſtquam Pater præ mœrore diſceſſerat, & Filiam cum Matre in hypocauſto reliquerat, finitis paroxyſmis Filia Matrem ita alloquebatur: O me miſeram! egone ſatis ſuperque angor? quare me ipſam excrucio? ſi tacuiſſem non hiſce intolerabilibus tormentis ſubjecta fuiſſem, impoſterum cautior facta, tacebo. Quibus prolatis circa duodecimam meridianam mente & loquelâ privata jacebat, omni diluculo paroxyſmos fortiores duos, ſingulis autem diei horis leviores ſufferre cogebatur. Anno ſubſequente MDCLXXXVIII, primo Januarii, horâ ſecundâ matutinâ, cum ſolito more miſerabiliter excruciata fuiſſet miſera, Parens ancillam jubebat, ut ſibi auxiliaretur, quo filiam in hypocauſtum è cubiculo deferre poſſent. Inter portandum Ancillæ manus Acu pungebatur, quam ipſa ex induſio ægræ evellere cupiebat, Herus autem prohibebat, jubens prius ut candelam accenſam afferret, quâ allatâ, in limbo inferiori induſii inveniebat filum nigrum cum nodo, ternis anfractibus fimbriæ interſutum, acum autem ſartoriam non reperiebat. Quinto Januarii Acu punctoriâ induſium puellæ cum linteamine lodicis conjunctum apparebat. Nono Januarii, horâ decimâ antemeridianâ tormina Ventris ſentiebat, & exonerabat cum excrementis Acum ſartoriam incurvatam, cum duabus aliis acubus ſimiliter incurvatis. Poſt bihorium rurſus ſeceſſum parabat cum torminibus graviſſimis, & tres Acus dejiciebat, qûod etiam decimo tertio Januarii manè horâ

quartâ

quartâ fiebat. Hac veſperâ Patienti Medicamenta propinabantur, quæ Generoſiſſimus Dominus Kerckringius, Magni Toſcaniæ Ducis Hamburgi Reſidens miſerat, verum poſt aſſumpta, ut antea, ſemper graviores ſentiebat cruciatus. Nunc plurima quidem verba proferre incipieqat, ſed ea valde pueriliter nec ullum adſtantium, licet antea benè notum, nomine proprio vel appellativo alloqui valebat, ſed omnes indiſcriminatim du Båſeme vocabat, multa de pediculis garriens: Das Lůſe bit. Dar Lůſe noog. Simulque Faciem, Pectus & Manus abſtergebat. Quando ſoliti ructus è ventriculo aſcendebant, dicebat cum horrore. Ach dat ſůnt bittere Lůſe! Decimo ſexto Januarii Matrem ita alloquebatur: Dat doch de Olde Båſeme dat eyſche tůg bliſen leet / un giſſt ſo veel Gelt uth/et helſſt my doch nich! quam Mater increpabat, dicens: auxilio Dei & Medicamentorum eam ſanitatem priſtinam recuperaturam fore. Cui ægrota regerebat: Ey Båſeme/ ick weet woll/et helſt my nich/ et will doch uthbraen. Plura loqui tentabat, verum graviſſimi eam Paroxyſmi, decies iteratis vicibus invadebant, ut vix reſpirandi locus intereſſet, quibus remittentibus, lenioribus adhuc ſexies vexabatur. Hora quinta veſpertinâ ſoliti paroxyſmi redibant præſente Domino Paſtore, cum vero ad ſe rediret, ægram Paſtor blandè alloquebatur, Filia mea, numquid cras, ſi Deo placuerit, mecum Templum intrabis? at vero illa: De Lůſe bit. Tum Dominus Paſtor: Parens tibi ſalutaria medicamenta propinabit. Illa: Ey mag doon/ et helſſt my doch nich. Hæc dicens: ſex extraordinarios Paroxyſmos patiebatur. Poſt abitum Paſtoris, Patiens hoc modo ſecum ratiocinabatur: Sů nu weill ick et doch doon/ ſolde ick myne olde Båſemeß to arme Lůde macken? Sů nu will ick doch henöſer! plura inſuper muſſitabat, quæ intelligi non potuerunt, quandoquidem vox præcludebatur ab invadente Paroxyſmo graviſſimo, qui miſeram de latere in latus vehementiſſimè volutabat, retrorſumque ſæpius convellebat & attollebat, quocirca mœſtiſſimi Parentes iterum Paſtorem accerſebant, ut tanquam ocularis teſtis precibus & conſolatione aſſiſteret. Cauſam ſuperius allati ratiocinii & perpeſſi mali, hanc putabant Parentes: Dominus Baro Bidahl, quondam poſſeſſor ejus loci, fratrem pro Sereniſſimo Galliæ Rege Reſidentem habebat Hamburgi, qui hujus Puellæ cauſa cum Generoſiſſimo Domino Kerckringio ſermones miſcuerat, qui ſimul curioſitatis & opis ferendæ cauſa petierat, ut Puellam Hamburgum deferrent, qua de cauſa Parentes è filia ſciſcitaverant de conſenſu itineris, cui annuerat. Decimo nono Januarii ægra ordinarios Paroxyſmos hora matutina tertiâ ſentiebat; horâ quartâ Alvum dejicere cupiebat,

bat, ubi cum ſævisſimis doloribus prodibant Acus incurvatæ tres. Vigeſimo primo Januarii horâ veſpertinâ Sextâ, iterum ſeceſſum appetens, cum gravisſimis lancinationibus, tres ſtraminis culmos, longitudine digiti excernebat. Vigeſimo tertio, mediâ noćte ad primam usque, inſolito modo angebatur, nam linteamina Lodicis duplicata ori firmiter admovebat; mox in Ventrem pronam ſe projiciebat, faciem Cervicali involvens; tum ambabus manibus â ſe abigebat, clamans indeſinenter: Ga weg! Ga weg! Vigeſimo autem ſexto, horâ ſeptimâ veſpertinâ lamentabili cum ejulatu ejiciebat cum excrementis acus incurvatas tres. Primo Februarii, horâ tertiâ matutinâ eadem methodo ut vigeſimo tertio & vigeſimo quinto Januarii torquebatur, & ſextâ veſpertinâ cum vehementisſimis torminibus alvum deponebat, ſimulque cum excrementis Acus incurvatas tres. Indies per intervalla ſingulis horis acceſſum ſentiebat, & in quovis acceſſu nonaginta concusſiones ferebat, ubi ad quamcunque clamabat: weg! weg! Tum obſervabant Parentes Cordialia propinata nihil efficere, niſi Patiens ê Cubiculo in Hypocauſtum deferebatur. Quarto Februarii Parens Tinćturam quandam â Domino Reſidente Kerckringio transmiſſam, applicaverat Patienti, unde more ſolito longiores & graviores Paroxyſmos patiebatur. Decimo quarto, præmisſis atrocisſimis doloribus, cum excrementis tres Acus incurvatas dejiciebat. Decimo ſexto, horâ ſecundâ ſupra modum Paroxyſmum patiebatur, cum clamoribus Weg! Weg! Ga weg! velato capite & abſconsâ facie, qui ut plurimum ingraveſcebant, cum Parens iter meditabatur pro ſalute Filiæ, nam in noſtram etiam Urbem ſpe auxilii Patientem deferre conabatur, ubi qualia perpeſſa Patiens â 17. Februarii in Martium usque, propriis vidi Oculis. Præter ſuperius allata Parens obſervaverat, quod miſera Filia â quarto Februarii in hoc usque tempus ſingulis horis quinque Paroxyſmos perpeſſa fuerat, & in quatuor prioribus concusſiones Sexcentum, qui autem in quinto ad LXX. redaćti fuere; tum rurſus incrementa ſumſere, & quovis acceſſu, quos in horâ quinque patiebatur, concuſſam fuiſſe MCXX. vicibus, cum clamoribus totidem weg! weg! Cum reſpirare paulisper concedebatur Patienti, cum ejulatu querebatur: O myne beyde olde Båſeme ſint weg. Myn Lieff knipt. Du Båſeme ſôle/ dar in eur Molle (ventrem indigitabat) de Stôcker un Knôpe willen herut (coſtas & dorſi Vertebras intelligebat) O Beſeme wen du et wüſteſt/ wo ôfel un we my iß/ myn harte wil uth dem Liefe. Tum genua firmiter pećtori admovebat & tali modo comprimebat. Cum itaque Parentes viderent, Medicamenta

nihil

nihil proficere, tantò ardentius precibus publicis & privatis, tam in Templis hujus Civitatis quam ruri incumbebant & Patientem iterum in rus deferebant, Deo totam curam committentes. Igitur indies Paroxyſmi diminuebantur, adeò ut ſaltem ſex per totum diem pateretur, quam primum autem aliquid medicamento analogum propinabatur, pejus habebat.

Trigeſimo Aprilis Anni MDCLXXXVII, circa veſperam inter vivos eſſe deſinebat una è Vetulis ſuſpectis, ubi ſtatim paroxyſmi ægrotantis noſtræ minuebantur ad horæ quadrantes tres, nec adeò clarè vociferabatur ſuum weg! weg! Primo Maji querebatur, ea nocte â duodecima ad primam nocturnam usque maximas anxietates perpeſſam fuiſſe, nam dicebat: Es wåren zwey Trommelſchlåger geweſen/ die håtten ein blanck rund Ding gehabt/ daſſelbige håtten ſie nicht gehalten/ und es wåre auch nicht geſtanden. Drauf håtte ſich ein pråchtiger Kerl ſehen laſſen/ mit einer Peruque und ſammeten Rock / mit ſilbernen Knöpffen/ welcher aber einen ſcheußlichen Fuß gehabt (ad quæ relata contremiſcebat) drauf ſey ein Backtrog zugerudert kommen/ in welchem drey Mütter mit ſo viel Töchter geweſen. Solchem ſey eine Kutſche gefolget/ vor welcher vier Dinger geſpannet geweſen/ welche drey Beine gehabt / und ſcheußliche Augen/ (rurſus horror eam concutiebat) in der Kutſchen habe eine Mutter mit zwey Töchtern geſeſſen/ deren eine noch Jungfer geweſen/ ſo der pråchtige Kerl alle freundlich empfangen. Alsdann habe der Kerl angefangen zu tantzen/ und die Jungfern mehr geliebet als die Weiber / welche alleſamt im beſten habite geweſen/ mit geſtreuten Haaren. Wenn der Kerl mit einer recht getantzet/ ſo håtten die andern rückwerts getantzet/ wåren darnach auf die heßliche dreybeinigte Dinger gekommen/und mit ſelbigen umgeſprungen. Quamvis hactenus nullum nomen proprium proferre potuit, nihilo minus Parentes ex hoc ſermone colligere poterant, quinam illæ fuerint, quarum mentionem filia fecerat. Paulo poſt Matri dicebat: Du Båſeme/ giff my een Dinck/ dat will ick up mynen Kop ſetten. Vittam albam intelligebat, nam hactenus ne ullum Capitis tegumentum perferre poterat. Patri vero dicebat: Du Olde! Baſaba iß nu todt/ nu will ick keen eiſch tüg mehr innehmen/ GOtt woll my nu wohl helpen/ der Baſeba het de Buck affſchmåten. Tertio Maji è paroxyſmis unus remittebat. Octavo iterum, quod etiam fiebat primâ, ſecundâ & tertiâ feriâ Pentecoſtes. Vigeſimo ſexto omnes Paroxymi ceſſabant. Vigeſimo quarto Junii, feſto Sancti Johannis Baptiſtæ, ſibi nihil boni promittebat Parens, quia ex communi errore vulgi, hanc noctem æquè ſuſpectam habebat ac pri-

mum Maji, nempe Walpurgis noctem, idcirco ſibi vigilias indixerat. Aſſidens itaque foco, circa mediam noctem videbatur audire confabulantes Vetulas, appropinquat propterea Januæ domus, viſurus quid rei ſit, tum è longinquo horrendam, ſed indiſtinctam & ignotam vocem audivit. Cum autem attentus januæ excubabat, duodecima hora nocturna ſonabat, ſimulque filiæ ejulatum percipiebat, igitur advolat hypocauſto, & quia accenſam Lampadem reliquerat, filiam in maximo animi angore, tecta facie, ſudore diffluentem videbat, à qua facie perterritus Pater, Librum precum arripiebat, recitans Canticum ſacrum Beati Lutheri: **Eine veſte Burg iſt unſer GOtt. Item/ JEſu meine Freude.** Quibus finitis, etiam anxietates Filiæ remittebant, jacebatq; quieta, ſed rigida planè. Pater interim indeſinenter orando pergebat usque ad horam primum nocturnam, ubi brachium quidem ægra removebat loco cum ſuſpirio. **Ach GOtt!** plura ex ipſa, licet concuſsâ non elicere valebat Pater, igitur eam Divinæ tutelæ committebat, & cubitum ſe recipiebat. Manè expergefacto Parenti dicebat: **Ach wo gruede my öſer Nacht/ ſe kemen wedder up de eiſchen Dinger to gereden/ man et was ſtracks wedder weg! un nichts mer dar.** Huc usque in ſimplicitate ſua & virium defectu jacuerat, quorſum eam deportaverant vel depoſuerant Parentes, ſine ulteriore Paroxyſmo. Decimo quinto vero Octobris, qui dies Sabathi erat, horâ octavá veſpertinâ, Patiens dormitum ſe recipiebat, dormiebatque in ſequentem veſperam eandemque horam usque, â pomeridiana vero hora tertiâ, in octavam usque, diverſas concuſsiones ſentiebat ægra, & præſertim horâ octavâ tam gravem artuum tremorem & axietates, ut nihil ſupra, quibus viſis, Parens rurſus preces ſupra recenſitas pro ſalute Filiæ orabat, & paulatim ceſſabant anxietates, Patiens etiam quaſi ſomno ſepulta per quadrantem horæ jacebat, tandem ter oſcitando pandiculabatur, hinc iterum paulisper jacebat & Patrem aſpiciebat, dicens: **Vader warům ſůn Jy von my gaan/ un hebt my von den eyſchen Keerl in dem langen Graſe ſo jagen laten? My kun he nich krigen öſer ſi myn bunt Kleed/ dat ick an hadde/ dat feel mit enß von my weg/ alles/ Wamß/ Rock/ Scho/ Strůmpe/ dat kreg he. Nu will ick upſtan/ un een ander Kled hebben.** Tum Pater eam arripiebat, tentaturus quid poſſet, in terram demittebat, verum nec pes nec manus officium ſuum facere poterant. Ad focum igitur portari deſiderabat, huic cum aſſideret, undequaque lætabunda & ſubridens circumſpiciebat, cumque obſervaret Mergetes Cereales tribulo ſubjectas in atrio jacentes, in hæc verba erumpebat: Ecce gramen illud longum in

quo

quo ita cucurri, hoc jam aridum factum, in hoc incidebam, cum aſpectu terribilis ille me proſequeretur, hinc mei artus dolent & debilitati ſunt, non enim ægrota fui, ſed præcipitatus curſus & ex eo lapſus ſaltem in cauſa fuit. Incipiebat enim cum hac phantaſia morbus, & Deo ſic volente, ad finem perductus eſt, poſtquam miſera cum miſero hoc morbo per duos annos & menſes circiter octo conflictata fuerat. Poſtquam itaque hæc ægra ſolius Dei beneficio (qui pias preces undiq; in Sacris Coetibus effuſas exaudiverat) pedetentim vires acquiſiverat, Hypocauſtum tamen intrare & portam illius aperiendam ſine horrore per longum tempus aſpicere non poterat, quapropter per totam ſuperſtitem hyemem in alio cubiculo degere oportebat, donec eam Pater circa feſtum Paſchatos Hamburgum transmitteret, ubi per quinque integras ſeptimanas apud cognatos fuit, & tandem domum, reverſa, invocato prius Numine Divino hypocauſtum, quod ei quondam pro ergaſtulo fuerat, intrare tentavit, & cum bono Deo, ſine ulla labe effecit. Cum in hac enarratione nulla ſit facta mentio eduliorum, ne Lector totalem abſtinentiam ſibi perſuadeat, monendum, quod ægra ſemper tectè & non obſervantibus aliis comederit, & ea quæ deſiderabat, per Sororem ſex annis juniorem inſciis Parentibus peti curaverat. Videmus ex enarrato caſu quantâ Satanas Deo permittente, propter peccata noſtra in homines poteſtate polleat, nec ſemper (ut nonnullis Doctisſimis viris placet) ejusmodi caſus rebus naturalibus aut phantaſiæ adſcribendos eſſe. Orandum igitur merito, ut ſit Mens ſana in corpore ſano. Hæc quondam ægra & osſibus vix hærens, nunc ſatis robuſta eſt, optimè valet & plurium Liberorum felix Mater facta, quam DEUS impoſterum cum ſuis ſervet, voveo.

OBSERVATIO XXVI.

Dn. D. JOHANNIS CHRISTOPHORI BAUTZMANNI.

De Pene monſtroſo.

ANno ſalutis recuperatæ Milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo quinto, Cerevisiæ coctori & Civi noſtræ Civitatis Johanni Pilß/ filius primigenius naſcebatur, cujus glans Penis inverſa erat, cum inferius pendulo præputio, fræno vero ſuperius viſibili. Glans ut naturaliter debebat, in apice perforata non erat, ſed in regione fræni per par-

vulum foramen Urina pauliſper ſcaturiebat. In radice Penis autem, ubi ſulcus aliquis ſub oſſe pubis formatur, in conſpectum ſe dabat fiſſura transverſa, inſtar Vulvæ, cum rubicundis labiis, in cujus fundo ê duobus orificiis copioſior quam â glande Urina propullulabat. Idcirco hic Puer nunc triennis (præterquam quod propter continuum vagitum ab acredine Urinæ excitatum, ſibi Herniam inguinalem contraxit) adhuc Urinæ incontinentia laborat.

OBSERVATIO XXVII.

Dn. D. JOHANNIS CHRISTOPHORI BAUTZMANNI.

Ex Dyſuria extincti Anatome.

HActenus in praxi mea, ſi ritè memini, octo ſe mihi obtulerunt Patientes, Dyſuria mortali conflictantes, quibus non ſolum à me, ſed & aliis Præſtantisſimis Medicis (taceo Medicaſtros) fruſtra levamina, etiam omnis generis, adhibita fuere. Fateor etiam quod caſus ille, quem Magnificus Præſes Dn. D. Lucas Schröckius in Decadis II. anno VIII, Obſervatione CCXXXII. recenſet, me ſæpiſſimè anxium detinuerit, quale de illis hactenus tractatis Patientibus prognoſticon proferre debebam. Non ſemel etiam dolebam de perverſo illo hominum plerorumque more, nolentes aperturam cadaverum ſuorum propinquorum concedere, quorum ope noſtra experientia firmior reddi poſſet. Tandem autem illam obtinui, concedente in vivis Patiente, & poſt mortem Parentibus, An. 1698. die quinto Aprilis in corpore Georgii Nicolai von Staden/ filii maximæ Spei & indolis Secretarii Regii Conſiſtorii. Hic puer tredecim annorum cum ſemiſſe, in vita ſua per complures annos dolore Renum Abdominis, Dyſuria, dolore in Glande Penis (quam continuò comprimebat) vexabatur, tandem in Hecticam incidebat, & per intervalla cum Urinæ ſtillicidio maximoque ardore Urinæ pituitam lentam in fundo matulæ adhærentem tenaciter excernebat. Aperto Cadavere, Veſicam Pure ſcatentem, cum Lapide ℥iiiß. inveniebam, qui propter aſperitatem ſuam, orificium veſicæ continuò vellicaverat, & ad excernendum onus, ſed fruſtra, compulerat, & Veſicam maculâ nigrâ, fortè Gangrænâ incipiente notaverat, unde etiam continuæ vomitiones bilioſæ ante diſceſſum ex hac miſeriarum valle. Renis dextri parenchyma penitus

penitus conſumptum erat, & ſacculus relictus, pure cocto refertus apparebat. Ren ſiniſter valde flaccidus, tamen â putredine intactus manſerat, cæteris Viſceribus ſanis & illæſis. Ex quibus conjicere poteram, Renem in principio morbi calculis refertum fuiſſe, qui aſperitate ſua ſuppurationem ibidem fecerunt, tandem autem per Ureterem in Veſicam deſcendiſſe, ibidem per ſubſequens & deſtillans pus & mole tartareâ indies auctos, in unum corpus coaluiſſe. Credo igitur (citra præjudicium tamen aliter ſentientium) omnes illos Dyſuria laborantes, quos hactenus tractavi, qui dolorem illum ſympathicum in Glande perpeſſi fuerunt, & Pituitam lentam excreverunt, ſi non calculos in Veſica aluere, ſaltem ſuppuratos Renes habuiſſe.

OBSERVATIO XXVIII.
Dn. D. JOHANNIS CHRISTOPHORI BAUTZMANNI.
De Verme in Lapide reperto.

SOciam Obſervationis XCIX, Anni IV, Decadis III, hic proponere lubet: Cum hic Stadæ in Ducatu Bremenſi Anno MDCXCVIII, in foro magno Armamentarium novum exſtrueretur, & Lapicida duodecimo Septembris ex lapidibus quadratis, qui ex ruinis Caſtelli Bremervörde, quondam Sedis Archiepiſcopalis remanſerant, Arcum pro porta regia, conſtruere vellet, propter conformitatem operis autem antiqua ornamenta, quæ non ſatis integra erant, ad pollices duos dedolare cuperet, in ſubſtantia hujus lapidis, ſine ullo veſtigio vel foveæ, vel rimæ alicujus, invenit parvum, unguis longitudine, viventem Vermem, qui ibi in foveola ſedem ſuam fixerat. Hunc Collega meus Dominus Dr. Lipsdorffius Phyſicus Stadenſis, cum aliis in officina Lapicidæ viventem non ſolum vidit, ſed & domicilio ſuo adhærentem ſibi pro munuſculo redemit. Luſtratus Microſcopio figuram Aureliæ habebat, clarus aliàs & pellucidus, coloris citrino-pallidi, aut ſtraminei. Quo pacto autem hic Vermis in hunc Lapidem pervenerit, me latere potius fatebor, quam multa fruſtra philoſophari, cum Nobiliſſimus ſimul ac Doctiſſimus Italus Franciſcus Redi, & Dominus Stephanus Blancardus, nulla inſecta ex ſola putredine naſci ſtatuant, aditus autem in hunc locum cuivis inſecto præcluſus fuerit, quo ſua ſemina aut ova in hanc cavitatem de ponere potuiſſet. Habent igitur illi queis meliori luto finxit præcordia Titan, quo ingenia ſua exercere poſſunt.

OBSERVATIO XXIX.

Dn. D. JOHANNIS CHRISTOPHORI BAUTZMANNI.

De ſecali temulento.

HUjus hoc An. MDCXCVIII, iteratis vicibus Novellæ hebdomadales mentionem fecerunt, cum quibus quando conferebam Clariſſimi Domini Doctoris Camerarii Obſervationem CXXXIII, Decadis III, anni III. Ephemeridum Curioſarum Germaniæ noſtræ, rumor etiam in vicinia mea obrepere cepit, quod homines de Secali recenter piſto & comeſto temulenti & vertiginoſi facti, de Capitis dolore, tumore totius faciei & nauſea conqueſti fuerunt. Cum igitur, ut hujus rei certior fierem, hinc inde in Palæogæa noſtra & Prædio Kuhlâ, circa Monaſterium Himmel-Pforten in veritatem rei inquirerem, reſponſum tuli: propter inclementiam Coeli pluvioſi & frigidiorem æſtatem non ſolummodo ſata paucos protruſiſſe culmos, verum etiam inſuper grana parva & paucæ farinæ manſiſſe, multasq; cecidiſſe Nebulas venenatas, quas vulgò Meel-Thau vocant, unde miasma hoc malignum, ſi quod eſſet, eveniſſe putant, de ipſo facto autem & rei veritate, altum erat ſilentium. Credo autem, licet talismodi Veneno in quibusdam locis infectum fuerit Secale, effectum tamen ejus ſedulô occultari â poſſeſſoribus, ne pretium frumenti, quod propter rariorem proventum hoc anno ſupra modum accrevit, & conſequenter ipſorum crumena detrimentum pateretur. Si hactenus in Novellis relata veritati conſentanea fuerint, nullus dubito, fore curioſè doctos, qui hujus rei veram Hiſtoriam nobis communicaturi ſunt. Interim meo loco nihil defuturum promitto, ſi quid impoſterum de rei veritate expiſcari potero. De ratione temulentiæ non ero ſollicitus, cum Clariſſimus ſupra nominatus Dn. Camerarius, non ſolum mihi, verum ut puto, plerisque Doctis, abundè ſatisfecerit, dum Sulphur fumoſum, Spiritus obfuſcans & ligans, acrimoniamque in ſanguine faciens, accuſat, cujus ope dum Sanguis tenax nimium, effervеſcit, Tubulos Muſculorum ſupra modum extendere, & hoc modo Tumorem tum Faciei, tum Capitis cæterorumque Artuum producere potis eſt.

OBSER-

OBSERVATIO XXX.

Dn. D. JOHANNIS CHRISTOPHORI BAUTZMANNI.

De Sciuro albo mortis nuncio.

DOminus Pfannenſtiel, Prætor hujus Civitatis ê Legatione Stockholmienſi hoc anno MDCXCVIII, redux, ſecum attulit imaginem Sciuri albi, manu ſolertiſſimi & in pictura experientiſſimi Domini Klökers ab Ehrenſtrahl depicti. Hic Sciurus ſex menſes ante non ſatis deplorandum obitum Sereniſſimi quondam noſtri Regis Caroli XI, â Servo Stabuli, propè Palatium rurale Kungsöhr captus, â Regina Vidua, nunc Avia, aſſervatur, & depingi clementiſſimè juſſus eſt. Coloris ſupra modum candidi fuit, oculos habens rubellos, micantes, auriculas rubicundè diaphanas, caudam autem, non ſolito more averſim flexam vel incurvatam, ſed ſingulari modo ad cervicem in apice, more Canum retortam gerebat. Referebat etiam Dominus Prætor, ejusdem figuræ & coloris Sciurum ante obitum Regis Caroli Guſtavi Glorioſiſſimæ memoriæ, eodem loco & tempore captum fuiſſe. Rem non adeò mirandam, in locis Septentrionalibus albos Urſos, Vulpes, Lepores eſſe, notisſimum quidem eſt, verum de hiſce animalculis albis mihi longè aliter promittit Curioſitas Regia, cum Celſisſima Vidua, ſi quid quotidiani & uſitati fuiſſet, non tantum curæ impendiſſet, ut ad vivum ab hoc Apelle ſeptentrionali depingeretur. Portenta ejusmodi & mortis præſagia multa dari, tam notum quam notisſimum eſt, ut cætera taceam, & tantummodo de Roſa alba, Lubecæ in Choro Cathedralis Eccleſiæ, & ſubſellio Canonici, qui mortis Candidatus erat, inveniri quondam ſolitâ hic commemorem, quorum cauſam inveſtigare ſuperſedeo, cum Dei Omnipotentis arcana perſcrutari temerarium, miracula & laudes vero propalare æquum ſit & juſtum.

(*Per Excell. Dn. D. Schelhammerum Kiliâ miſſæ Norimbergam d. 17. Januar. An. 1699.*)

OBSERVATIO XXXI.

Dn. D. AMBROSII STEGMANNI.

De Partu in utero materno putrefacto.

HOminem jam jam in utero materno putrefactioni & vermibus eſſe ſubjectum, inter alias ſequens exhibet Obſervatio. Cum nuper

per ad illuſtrem Puerperam ex Secundinarum retentione morti proximam, Gerbſtadium vocarer, inſimul ad pauperculam ibidem loci ſut venirem, anxiè rogabat. Recenſebat iſta mihi: Gravidam à primo ad ſeptimum usque ingravidationis menſem benè, aſt poſt hunc malè ſe habuiſſe. Nam ex improviſo terrore prorupiſſe inſolita menſtrua, fœtum à motu antehac vegeto planè abſtinuiſſe, ventris accesſiſſe frigiditatem, dolorem circa umbilicum ſenſiſſe gravem, partes extremas lividas ac frigidas apparuiſſe, faciem & labia palluiſſe, mammas flaccidas extitiſſe, ſpiritum fœtidum ſe à die in diem majorem exhalaſſe, horrorem febrilem corpus ſuccusſiſſe, animi deliquia, ſtomachi ac Capitis dolores continuos eſſe paſſam, ante aliquot horas profluxiſſe ab utero aquam fœtidisſimam, & ſentire jam dolores partus vehementisſimos cum lipothymia conjunctas. Propinabam itaque illi confortantia, pellentibus commixta, balſamica, aliaq; Cor præmunientia, itemque Clyſteres uterinos per vices injiciendos, & ſuffimenta fomentaque adhibenda ordinabam, hinc factum, ut tùm ſecundinæ, tùm fœtus ex toto putrefactus fruſtulatim inter ſumma animi deliquia excluderentur, ſuperſtite tamen puerpera poſthac ſanâ & incolumi.

OBSERVATIO XXXII.

Dn. D. AMBROSII STEGMANNI.

De Partu in utero materno verminefacto.

ANte biennium & quod excurrit, ruſtica quædam ex proximo pago Helffta me convenit & retulit: Se octavo menſe jam gravidam ſentire in infimo ventre motum vermiculantem: Es ſey nicht anders/ als wann der untere Leib voller Ameiſen wäre. Gerebat quidem hæc fœmina ventrem prægnantem, ſed ex toto marcidum, nec ulla fœtus vivi, vel moventis indicia edentem, hinc potiùs ex obſtructione menſium, quàm ex ingravidatione intumefactum eſſe ventrem hariolabar. Ne verò fœtui, ſi quis adeſſet, nocerem, corroborantia, uterum reſpicientia, & alia in ejusmodi caſibus dubiis proficua illi ordinabam, & jubebam, ut ſi quid ſiniſtri acciderit, mecum communicaret. Abſoluto nono menſe accerſitus ad ruſticam hanc, convulſam ſine intellectu & voce deprehendebam, propinabam itaque illi optima quævis, ut aliquo modo refocillaretur. Hinc, cum ad rem ipſam indagandam tùm à pariente, tùm ab adſtantibus admonerer, ta-

cto ab-

cto abdomine, obſervabam molem verſus pubem prorumpere ingentem, atque admodum mollem, partes vaginæ internas deprehendebam ſiccisſimas, nullamque uteri aperturam vel pariendi conatum alium. Abiens ſuadebam, ut luteum liliorum incoquerent juri gallinæ, & oleo Amygdalor: pingue redderent, ordinabamque pellentia cum confortantibus mixta per vices adhibenda. Altero die poſt reviſebam ægram, illamque doloribus partûs inſufficientibus, languidis, & per longa intervalla recurrentibus oneratam videbam, hinc fortiora pellentia illi propinanda, itidemque fomenta applicanda & linimenta emollientia ad infimum ventrem, lumbos ac regionem circa os ſacrum, pectinem, oſſa pubis, pudendaque cum cervice illinenda ordinabam, à quibus parturiens in vehementiores partûs dolores incidebat, quos non longè poſt hiatura uteri aliaque partûs inſtantis indicia ſequebantur. Cum autem pariens admodum debilis, nec tanta uteri apertura adeſſet, ut fœtus ab obſtetrice apprehendi posſit, hinc illam ſupinam reclinato capite, elevatis coxis & poſterioribus locandam ſuadebam: Obſtetricem verò inſtruebam, ut obſtetricantem manum oleo delibutam ſenſim ſenſimque in uterum immitteret, alteráque parientis abdomen leniter comprimeret. Dictis obtemperans Obſtetrix, referebat: Inſtare quid quidem utero, ſed nullum eſſe partum, neque manu poſſe extrahi. Jubebam, ut quale quale unco apprehenderet, illudque leniter & paulatim extraheret. Hinc maximo molimine & longo labore protrahebat ſacculum quendam Obſtetrix (qui membrana erat exterior fœtum includens, χόριον dicta, admodum denſa & p. n. craſſa) ex quo innumera vermium progenies figuræ latæ & coloris rubri in conſpectum veniebat, qui totum fœtum, exceptis paucis oſſiculis, conſumpſerant. Secundinæ admodùm retorridæ, ac ſi in fornace piſtorio toſtæ fuiſſent, adhærebant firmiter huic membranæ, & vix ℥j. ponderebant. Nullam aquam puerperalem neque ante, neque cum, neque poſt partum excluſit hæc fœmina, Lochia verò à datis medicamentis demùm poſt qvintum ritè excrevit diem, ediditque poſt annum incolumis & ſana ſanum fœtum rurſus in lucem, cum quo iterum, quod mirandum, aliquot viginti ejusmodi ſupra dictorum vermium absque tamen læſione matris & infantis ſimul excluſit.

OBSER-

OBSERVATIO XXXIII.

Dn. D. AMBROSII STEGMANNI.

De Falsâ ingravidatione & flatuum, loco fœtûs excluſione.

PArturiunt montes, naſcetur ridiculus mus: Sic ſæpe ſpes falſa alit mulieres, ut non rarò per tres Anni quadras & ultra, ventres geſtent prætumidos, aliaque experiantur ingravidationis ſigna aliàs infallibilia, in quibus tamen uterus mentitur ingravidationem, & loco partûs legitimi ſpurium excludit ſpiritum, quale fatum hìc Islebiæ paupercula quædam Neoſtadienſis etiam experta eſt, quæ à primo ad ultimum usque geſtationis diem temerè credidit de ingravidatione. Accedit itaq; nonus menſis, recedit & adhuc ſemel, aſt de fœtûs exitu altum ſilentium, crevit tamen interim venter à die in diem majorem in molem, ut ruptionem etiam exinde metueret miſera, quia continuis laboribus corpus movere illam ex neceſſitate oportebat. Accidit autem, ut muliercula hæc, poſt elapſos 2. Annos & tres menſes, ſicque completos ter novem menſes, à Cereviſiario quodam, num ex joco, vel aliá, neſcio quâ, cauſa in terram projecta è mole & falſo ſuo partu ex improviſo liberaretur: Cum enim ex lapſu poſterioribus ſuis nimium quantum conquateret terram, ex utero illius flatus quidam, bombardæ minoris ad inſtar ſonitum edens, erupit, ſecutisque flatibus aliis venter paulatim detumuit, & priſtinam fermè formam recuperavit.

OBSERVATIO XXXIV.

Dn. D. AMBROSII STEGMANNI.

A Terrore & conſpectu Agonizantis Suppreſſio Menſium, & ex hac Dyſenteria lethalis.

CIvis primarii Islebienſis uxor iter faciens Dresdam, in hoſpitio quodam publico vidit militem agonizantem, ex cujus miſerabili conſpectu tanto percutitur terrore, ut illico Lipothymica redderetur, menſtrua fluentia ſupprimerentur, & altero die poſt, Dyſenteria afficeretur. Hinc ægra domum reverſa unius & alterius Medici petiit conſilium, tandemque, variis fruſtra adhibitis & meam imploravit opem. Cum autem

tem

tem jamjam adeſſent Convulſiones & malignitas major Dyſenteriâ, ægraque medicamenta omnia reſpueret, factum, ut non longe poſt vitam commutaret cum morte, & ſui ſexûs hominibus doctrinam relinqueret in memoriam, ne purgamenta uteri flocci pendant, & naſutulæ tempore fluxus omnia recognoſcant.

OBSERVATIO XXXV.
Dn. D. AMBROSII STEGMANNI.
De Duplicatâ Vulvâ.

IN Ephemeridibus Dec. III. Ann. IV. Obſerv. CXIII. ex relatione Amici cujusdam, Clitoridis perforatæ feci mentionem. Cum autem ante aliquot ſeptimanas laſcivam hanc Corinnam ex inflammatione meatûs urinarii, & obſtructione urinæ totali graviter decumbentem viſitare, & mirum hoc phænomenon manibus & oculis indagare data mihi fuerit poteſtas, operæ pretium eſſe duxi, exactiùs jam curioſam illius ſtructuram cum planè aliam deprehenderim, depingere. Sita itaque erat Clitoris conſueto ſuo loco in ſuperiori nimirum pudendi parte. Situs etiam erat meatus urinarius ſupra vaginæ orificium inter nymphas. Aſt (1.) Clitoris monſtroſa ſua excreſcentia & magnitudine non ſolùm in utrisque lateribus craſſiores efficiebat Nymphas, ſed & longitudine & craſſitie ſua ovum columbinum fermè ſuperante meatum urinarium tegebat. (2.) Loco meatûs urinarii, in ſtatu naturali craſſitiem aliàs calami ſcriptorii obtinentis, fiſſura deprehendebatur, quæ latitudine 2. & longitudine 4. transverſos digitos præter propter æquabat. In hujus fiſſuræ orificio meatus urinarius naturali craſſitie præditus conſpiciebatur, qui jam ob nimiam inflammationem tantum excitabat dolorèm, ut laſciva hæc vix eſſet ſua, nec ego interiorem hujus fiſſuræ ſubſtantiam (quæ tamen membranacea & fibris carneis transverſalibus intertexta mihi videbatur) ob exinde obortum tumorem ritè indagare poſſem. Sub hac fiſſura, vera uteri vagina loco & partibus ſuis legitimis dotata, deprehendebatur.

OBSERVATIO XXXVI.
Dn. D. AMBROSII STEGMANNI.
De Plica Judæorum.

PLicam Judæis admodùm familiarem, & illam exinde nomen etiam germanicum, Juden-Zopff/ adeptam eſſe, nullum fugere autumo.

Cauſam hujus Affectus quæſivi ex multis Judæis, nationis ſuæ Medicis & Scholæ Magiſtris, nullus autem illorum ſcivit, vel voluit ullam. Nuper me conveniebat Senex, antiquiſſimæ traditionis Judaicæ, & linguæ ſacræ peritiſſimus Rabbi, qui à me de unâ atqve altera re medicâ petebat conſilium, & inter alias etiam plicæ faciebat mentionem, referendo: Hunc affectum tam enormem exiſtere in utrumqve gentis ſuæ ſexum, ut non ſolùm illorum capillos ſed & ſæpè pilos ſub axillis, & in pudendis complicet in plicas longiſſimas & monſtroſas. Amicis hinc illum compellabam verbis, ut cauſam hujus Affectûs, ſi quam haberet, mihi ſecreto aperiret. Diu hæſitabundus tandem reſpondit: Referam tibi, quæ ex antiquiſſimo hebraico MSto olim me legiſſe memini: DEUM nimirum affectum hunc meæ gentis hominibus dediſſe in pœnam, quòd mandato Divino contrarii neglexerint præciſionem, & loco præputii in adultis ob metum exquiſitiſſimi exinde oborientis doloris, lanuginem membri virilis, ut ſaltim in conſpectu adſtantium pro forma aliquid feciſſe viderentur, præciderint. Hinc DEUM omnes illos inobedientes, & ex his falsò præciſis prognatos utriusque Sexûs Homines plica puniiſſe, & in poſteros per traducem quaſi derivaſſe hunc Affectum. Hinc & exinde reſultare rationem: Quòd lapidibus ſaltim plicæ abſcindi debeant, quia nimirum præputium olim (& adhuc hodie) colliſione duorum lapidum acutorum abſcindebatur, & inobedientes illi Judæi falſam ſuam præciſionem lapidibus etiam peregerint. Mitto has nugas, cum ſciam, Gentem hebræam traditionis vanæ, fabularumque eſſe amantiſſimam, & figmentum hoc forſitan ex hiſtoria Ziporæ Exod. 4, v. 24. Originem ſuam traxiſſe mihi imaginor. Judico autem, quod Plica Judæorum potius à Cachectica & putredinoſa illorum maligna diſpoſitione exoriatur, quæ in corporibus diſpoſitis impuritatem cachecticam ad peripheriam corporis, & imprimis illas partes, in quibus fuligines exhalare ſolent, expellit. Nam malignitatem plicæ in corruptione Maſſæ ſanguineæ, in acrimonia & viſcoſitate excedente latitare, nemo negabit. Expertus etiam in tribus monſtroſè plicatis didici, qvod Plica, corpore ritè purgato, & affectu lege artis curato, absq; damno & vitæ periculo, cultro tonſorio abſcindi poſſit.

OBSERVATIO XXXVII.
Dn. D. AMBROSII STEGMANNI.
De Colica Periodica.

NOn ſolas febres intermittentes, ſed & ſæpe alios morbos certis ſuis paroxyſmis & periodis gaudere, Obſervationes hinc inde atteſtantur Medicæ. Feci Medicinam cuidam Studioſo Theologiæ Connarienſi, qvi per aliqvot Annos qvavis ſexta ſeptimanâ, poſt qvadrageſimum nimirum diem, tam atroci affligebatur colica, ut per tres & plures dies ob exqviſitos dolores, vix mentis compos eſſet, nec niſi ſuperveniente Diarrhoea, ab illa citius liberari poſſit. Multis hinc inde uſus eſt Medicis, bibit & ex illorum ſuaſu unas atqve alteras thermas, absq; tamen ullo effectu. Præteriti Anni vere cum me conveniret, propinabam illi Vinum antiſcorbuticum laxans, interpoſitis meis pilulis Martialibus, & Eſſentia Pini Martiali, oleoqve Amydal. dulc. intra ſumto, & Clyſteribus anodynis acrimoniam ex Inteſtinis revocabam, â qvibus Medicamentis tantam ſaburram Vitioſorum humorum exonerabat, ut magicis morbis ſuum etiam adſcriberet affectum ægrotus. Hinc, cum Cacochymiam ſcorbuticam planè è corpore eductam concluderem, Carminativis & theriacalibus anodynis tonum Ventriculo reſtituebam, & ſic tam exoptatum finem imponebam huic morbo, ut usq; ad hunc diem liber & immunis vivat â Colica, ſtudioſus.

(*Miſſæ Islebia Norimbergam. d. 26. Januar. Anno 1699.*)

OBSERVATIO XXXVIII.
Dn. D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI.
De Genitalibus Vitulæ monſtroſis.

OBtigerat Amico Vitula, qvam Anno 1698. d. 13. Mart. Anatomiæ ſubjeci: *Caudâ minuta* nata *ſtercus & urinam ex eodem foramine emittebat.*

Sectio detexit, exemtis genitalibus cum Veſica & inteſtino recto,

foramen illud magnum, per quod excrementa exierant, non ani aut inteſtini recti, ſed *vaginæ Uteri fuiſſe.*

Vagina hæc tres digitos transverſos, citra ullas rugas cum lacunis paucis, mundâ & albâ facie, *clitoride* in ſuperiori parte manifeſtâ, comparebat:

Inteſtinum verò *rectum* obliqvè *Vaginæ inſertum* erat, è regione *duorum aliorum minorum orificiorum*, qvorum alterum ad Uterum, alterum ad Veſicam tendebat.

Inſerio autem *Inteſtini* illo memorabilis, qvod rugæ in longas plicas deſinentes anguſto foramine, vix calami olorini capaci, collectæ coarctarentur, per modum annuli, citra magnam protuberantiam tamen, ut inſtar ſphincteris inteſtinum rectum laxari & conſtringi poſſet.

Urethræ orificium qvod ſ. n. longiuſculâ inciſione diſtinguitur, & ab orificio uteri antrorſum qvodam intervallo diſtat, hîc rotundo & ægrè conſpicuo foramine, ſine oblongâ inciſione, orificio uteri juxta erat ſitum.

Poſt *Vaginæ* & *Inteſtini recti* perluſtrationem aperui *orificium ad Uterum tendens*; patefactum non ad collum Uteri, ſed *ad amplam cavitatem, quæ ovum gallinaceum caperet, deduxit*: *Cavitas* ſimili tunicâ qvâ *Vagina* inveſtita erat, citra lacunas tamen ac poros; *orificium* verò *hoc* plicæ contractæ inſtar burſæ formaverant, qvalem & inteſtini recti inſertio monſtraverat.

Inciſâ Cavitate ſecundum longitudinem *verum Colli minoris orificium* cum protuberantiâ annulari, interius papillis duabus prominentibus, tertiâ latente, conſpicuum redditum.

Antrum commune Uteri & *cornua* plena cotyledonibus extantibus. *In Cavitate illa ovi capaci* liqvor erat mucoſus; *In Cornibus* gelatina inſtar albuminis Ovi.

Teſtes carneæ flaccidæ ſubſtantiæ, nullis veſiculis diſtincti.

FIG. III. & IV.

Explicatio Figuræ III.


Genitalia Vitulæ monſtroſa.

A. A. Inteſtinum rectum.

1. Pars ligata.

2. 2. 2. Pars-

fig: III. pag: 60.



BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY

BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY

fig. IV. pag. 61.



2. 2. 2. Pars aperta.
3. 3. Inſertio in vaginam, plicis in formam crumenæ diſpoſitis ad contrahendum & laxandum, annuloqve qvaſi, loco ſphincteris collectis, in qvem omnes plicæ terminabant.
B. B. B. Collum Uteri cum utero ipſo ſecundum longitudinem nondum apertum.
1. Cornu Uteri alterum, ſine Tuba & Teſte depictum.
2. Cornu.
3. 3. 3. Tuba Fallopii.
4. Membrana.
5. Teſticulus.
6. 6. Fundus Uteri diviſus, in qvo ut & in Cornubus Cotyledonum congeries.
7. 7. Locus proprius, ubi verum orificium colli aperti deprehendebatur, qvadam aſperitate cutis reduplicatæ, exterius diſtinctus.
8. 8. 8. Proceſſus colli monſtroſus, multis tunicis involutus, & inteſtino recto atqve urethræ arctè connexus, ut nulla cavitas, qvalem poſtea apertus monſtravit, in illo deprehendi poſſet, licet laxior hæc pars eſſet, præ illa ſuperiori, in qva 7. 7. verum orificium colli minoris poſtea conſpiciebatur.
C. C. C. Veſica Uteri cum Cervice.
D. D. Vagina Uteri aperta.
a. a. Clitoris.
b. b. b. Lacunæ vaginales in lævi tunica, inſtar plicarum.
c. c. c. Fili circa marginem Vaginæ.
d. d. d. Orificium colli, cum anulo qvaſi ex reduplicatione tunicæ.
e. e. Stylus orificio Colli inſertus.
f. f. Stylus orificio Urethræ inſertus.
g. g. g. Annulus rotundus, qvalis orificii Colli juxta poſitus, qvo hæc duo orificia diſtinguebantur, quum alias orificium urethræ oblongo ſulco diſtinguatur.

Explicatio Figuræ IV.

Uteri Vitulæ monſtroſi Collum putatitium, cum Orificio putatitio & vero.

A. Stylus orificio colli putatitio inſertus.

B. B. Vagina uteri aperta.
C. Inſertio orificii putatitii aperta.
D. Inſertio Urethræ orificii non aperta.
E. E. Plicæ Orificii putatitii inſtar crumenæ.
F. F. Proceſſus Urethræ non apertus.
G. G. Cavitas qvæ ovi gallinacei capax erat, tunica lævi, in qvam tanqvam collum, minus orificium putatitium transmittebat.
H. H. Orificium verum colli minoris clauſum, prominentibus qvaſi foliolis.
I. I. I. Orificium verum apertum cum reduplicatione cutis, in qva qvinqꝫ obſervabam foliola qvaſi mari Cretici, cujus figuram & denſitatem referebant.
K. Stylus Urethræ immiſſus.

(Miſſæ Berolino Norimbergam, per Excell. Dn. D. Mentzelium d. 16. Febr. 1699.)

OBSERVATIO XXXIX.

Dn. D. PETRI ROMMELII,

De Clyſtere innoxie per os rejecto.

QUod utplurimum periculoſum, imò funeſtum qvandoqve eſſe ſolet, illud tamen non ſemper & ubiqꝫ tale exiſtit; cum etiam, uti notum, non rarò in Medicina etiam Monſtra contingant. Foemina qvædam nobilis, parvæ qvidem ſtaturæ, bonæ tamen conſtitutionis, tempore hyemali, ſuaſu ordinarii ejus Medici, ob leve aliqvod ſymptoma, clyſterem domeſticum ex jure carnium, ovi vitello, oleo &c. concinnatum, ſibi adplicari curat, illum optimè retinet, poſt horæ circiter ſpatium verò, majorem illius partem, ſupernè per os & vomitum, una cum portione bilis rejicit, odore ſapore & colore clyſterem prius injectum id eſſe, teſtantibus. Summè ob hoc perterrita Domina patiens, mortemqꝫ ſubitaneam ſibi imminere pertimeſcens, propter abſentiam Medici illius ordinarii, me acceſſit, qvæ rejecit monſtrat, inter qvæ præter alia oleum manifeſte conſpiciendum ſe præbebat, cum tamen interrogata, per plures dies, ſe nihil oleoſi, vel aliorum pinguium eduliorum comediſſe, adſeveraret, metumqve ſuam de mortis inſtantis periculo, multis verbis, anxiè explicaret, ſimulqve remedium, qvo inſtans vitæ periculum evitare valeret, ſummis

mis precibus efflagitaret. Ego omnibus circumſtantiis probè conſideratis, nihilqve qvod ſingulare periculum minabatur, (aliter ac in puerulo illo; cujus in Decur. I. Ann. 9. & 10. obſ. 94. p. 245. Miſcellan. Curioſor. mentis fit) obſervans, & accidens hoc, aliqvantulum validiori aut violentiori, juſtoq; celeriori clysmatis adplicationi & immiſſioni, valvulæqve ob hanc & flatus in inteſtino colo retentos, diſtentæ, & non uti decebat connivente, adſcribens; bono animo eſſe, metumq; omnem excutere juſſi, ſimulqve qvo ſecurior ageret, medicamentum aliqvod ſtomachicum & Confortans præſcripſi, & ſic optimè conſolata, ſpem meliorem concepit, gratias mihi egit, & ſine omni ulteriori ſanitatis incommodo, rei ſuæ domeſticæ, laudabiliter præfuit. Conf. Miſcell. Acad. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. 5. obſ. 195. cum Schol. Magnif. D. Præſidis pag. 390. ſeqq. Th. Barthol. Hiſt. Anat. Cent. 4. obſ. 68. v. 369. &c.

OBSERVATIO XL.

Dn. D. PETRI ROMMELII.

De Pica in infante, &c.

MUlieres gravidas, fœminas item alias, & virgines, qvibus menſes (qvi ordinarie alias fluere conſuevêre, ſuppreſſi ſunt, Pica laborare, rarum non eſt, & qvotidie, non dicam â Medicis, verùm à mulierculis, obſervatur. Sic novi fœminam, qvæ gravida, panem ſtercoribus humanis fœtidisſimis ex cloacis eductis, probè intinctum & illitum, ſine noxâ valetudinis, cupediarum inſtar expetebat & devorabat. Vid. Miſcell. Acad. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. 5. pag. 16. Appendic. it. Borell. Cent. 3. Obſ. 2.

Ante biennium, Comitiſſa, qvædam gravida, ſubinde Cretam, qvâ ad ſcribendum utimur, per plures ſeptimanas, ſat copioſè ſine ullo illius aut foetus diſpendio, comedebat, & juſto tempore filiolum optimè formatum & pulcherrimum, candidisſimi coloris, in lucem edidit. Rarius tamen virgines qvibus Catamenia ritè fluunt, hoc affectu vexantur, qvanqvam exempla etiam picantium virginum non deſint. Ante paucos annos illuſtr. qvandam virginem Baroniſſam, jam viduam, novi, qvæ hinc maximo flagrabat deſiderio veſcendi cerâ, & qvoties occaſio dabatur, appetitui ſatisfaciebat. Illuſtrisſima alia qvædam nata Comitiſſa, mihi narravit, ſeipſam non minus in cœlibatu

libatu magnam ſæpius ceræ, præſertim flavæ, qvantitatem comediſſe, tantoqve flagraſſe deſiderio, ut etiam à cereis ſacratis, ſibi temperare non potuerit.

Adhuc rariùs hoc in grandævis obſervatur; alio verò jam tempore, vetulam intra ſexageſimum & ſeptuageſimum ætatis annum jam conſtitutam, diuturnâ picâ afflictam, & qvotidie certam qvantitatem Cretæ abligurientem, ſtitimus.

Magis tamen mirum videri poſſet, Infantes etiam picâ laborare, illorumqve Appetitum, Phantaſiam & Guſtum, æqve affici, depravari & vitiari poſſe. Hiſtoriæ picantium infantum hinc inde obſervatæ & adnotatæ reperiuntur, qvibus hanc noſtram obſervationem ſuperaddere, forſan non ingratum erit.

Illuſtrisſima qvædam Domina Baroniſſa de B. nata Comitiſſa de P. filiolam mihi monſtravit qvatuor circiter annorum, qvæ cæterùm ſana, Pica laborabat, ita tamen, ut appetitus ejus non ad unum ſaltim, & prout alias utplurimum fieri conſuevit, determinatum objectum ferebatur, ſed plures & diverſas res inuſitatas, & ad edendum ineptas, appetebat; Calcem nimirùm ex muris & parietibus abraſam; Carbones; terram; arenam; repurgamenta item conclavium, das Kehricht oder Geniſt/ avidè deglutiebat, & qvidem ſatis copioſè, & per plures ſeptimanas imò menſes, ſine notabili ſanitatis diſpendio, adhibitis, à Practicis commendatis, ſed paucis remediis, ab hoc affectu liberata fuit, jamqve adultior facta, præter pallorem in facie, (qvi tamen non ingratus illuſtribus hujusmodi virginibus eſſe ſolet) bona ſanitate fruitur.

Viros etiam picâ vexari tam rarum non eſt, novi ipſemet virum ex ordine literatorum, qvi mirè eſu muci narium delectabatur, illumqve ſubinde ex naribus, & viſcidiorem pituitam ex ore colligebat, manibusqve tamdiu tractabat, donec exinde globulos formare poſſet, tuncqve deliciarum inſtar deglutiebat. Fœmina qvædam pariter narium mucum ſicciorem, in deliciis habet, illumqꝫ naribus extractum, ori (macim forſan eſſe ſibi imaginans) avidè immittit & edit. Conf. Greg. Horſt. lib. 4. obſ. 7. Oldenburg. Act. Phil. Anglic. pag. 446. ſeqq. Thom. Bartholin. Hiſt. Anat. Cent. 4. obſ. 68. pag. 369. ſeqq. Miſcell. Acad. Nat. Curioſ. Decur. I. Ann. 1. obſ. 83. pag. 199. ſeqq. Item Ann. 6. & 7. obſ. 139. pag. 202. ſeqq. Item Decur. II. Ann. I. pag. 110. & Ann. 2. pag. 77. ſeqq. Item Ann. 3. pag. 187. & Ann. 8. obſ. 68. pag. 171. ſeqq. Item Decur. III. Ann. III. pag. 106. Append. &c. Iſaac

Schook

Schook. in Centur. Probl. problem. 23. p. 20. Ehrenfried. Hagendornii Hiſt. Medico-Phyſicæ Centur. 3. Hiſt. 95. p. 410.

OBSERVATIO XLI.

Dn. D. PETRI ROMMELII.

De fœcunda ſine menſtruis.

APud mulieres non ſolum, ſed etiam apud viros cœteroqvin doctos, in proverbii quaſi conſuetudinem abiit: Arborem fructus ferre non poſſe, niſi præfloruerit; qvod innuere volunt, fœminam ad generandum & concipiendum planè ineptam eſſe, niſi etiam lunare menſtruum debitum, extra graviditatem ritè perſolvat, & cui catamenia debito modo non fluant, Menſium enim fluxus non ſolum maturitatis, ſed etiam fœcunditatis rerum habetur indicium.

Hoc tamen mulierum adagium, non eſſe perpetuæ veritatis, nec menſtruorum defectum ſemper cauſam ſterilitatis exiſtere alibi ni fallimur probavimus, qvando mulierem viraginem in ſcenam produximus, cui nunqvam, neqve in juventute & cœlibatu, neqve adultiori factæ & in conjugio menſtrua fluxêre; imò qvæ qvid menſtruus fluxus ſit, planè in ſeipſa ignoraverat, & nihilominus tamen, felix aliqvot liberorum mater exſtiterat, in partu præter paucisſimum ſanguinem per muliebria nihil excreverat, & lochia, cæterum optimè ſana, nunqvam viderat. Aliam nunc ſiſtimus, Martini Ziegleri uxorem, fœminam optimè temperatam, ſtaturæ ordinariæ evſarcam & ſucciplenam, in flore ætatis conſtitutam, formæqꝫ haud inelegantis. Huic, poſtqvam aliqvoties, & qvidem aliqvando ſatis laborioſè peperiſſet, tandem menſes emanere & prorſus deficere cœperunt, ſine ullo etiam minimo valetudinis diſpendio, vel muniorum muliebrium obeundorum impedimento. Integro qvinqvennio hoc modo elapſo, denuò gravida facta, & annis ſubſeqventibus aliqvoties feliciter peperit, & puerperia ritè experta eſt. Conf. præter Schenck. Panarolum, Guil. Fabrit. Hildan. Hieron. Reuſner. &c. apud Velſch. etiam Thom. Barthol. Hiſt. Anat. Cent 4. obſ. 37. p. 309. item Miſc. Curioſ. Decur. I. Ann. 3. obſ. 132. p. 243. Decur. I. Ann. 6. & 7. p. 92. Decur. II. Ann. 1. obſ 41. p. 114. 117. Decur. II. Ann. 4 obſ. 126. p. 249. ſeqq. Decur. II. Ann. 5. p. 242. item Georg. Hieron. Velſchii Chiliad. II. obſervat. obſ. 252. p. 313. &c.

OBSERVATIO XLII.

Dn. D. PETRI ROMMELII.

De ſuperſtitioſo puerperarum nonnullarum, ſomnum conciliandi modo.

DAntur etiamnum homines, qvi cum Junone & Diana exiſtimant, longè homini beatius eſſe dormiendo nutriri ac pingueſcere; qvam vigiliis confectum attritumqve colliqvari, frangi, ac tabeſcere; qvicq ſomnum pro ſummo bono, ſummaqve felicitate reputant; non curantes Ariſtidis dicterium, qvi ſomnum acerbisſimum nuncupavit publicanum, propterea, qvia dimidium vitæ à nobis exigit, & extorqvet, qvippe qvi vitam nobiſcum ex æqvo dividit, ac diſpertit.

Non malè, noſtro qvidem judicio dixerit, qvi mulieres, millenarum fabularum ac ſuperſtitionum inventrices, fautrices & propagatrices dixerit: Vix morbus vel ſymptoma aliqvod datur, cui multiſciæ illæ, non ſuperſtitioſum aliqvod remedium adhibere & opponere norunt. Impræſentiarum ſaltim qvomodo puerperè (non excluſis aliis mulieribus) nonnullæ, vigiliis nimis defatigatæ, has arcere, ſomnumqve recreatorem & nutritorem membrorum, conciliare ſatagant; & qvod ipſimet aliqvoties apud hujusmodi obſervaverimus, brevibus exponemus. Rectisſimè aliâs Codex ille ſacer, ſive Biblia ſacra animæ pharmaca nominantur; exinde enim qvid nobis, ad temporalem & æternam felicitatem conducibile, plenariè & perfectisſimè addiſcimus. Inveni tamen aliqvoties, (& forſan adhucdum inveniuntur) tam maleferiatas mulierculas, qvæ non verebantur, hoc ſaluberimo ac divino animæ pharmaco, ſuperſtitiosè abuti: Ubi enim vigiliis nimiis vexantur, vel etiam, qvando libentius longiori ſomno indulgerent, tunc ſacra Biblia, ad narcoſin efficiendam, pulvinaribus & capiti ſupponunt, maximè ſibi perſuadentes, hac ratione placidisſimum Deorum, ſomnum ſcilicet, & conciliari, & diutius protrahi poſſe; juratò aſſerentes, effectum hunc ſæpe ſæpius, ſe expertas eſſe, & præſentisſimam vigiliarum propulſatorem deprehendiſſe. Et licet errorem & non tolerandam ſuperſtitionem prolixè ipſis demonſtrare conati fuerimus, vix tamen ab aliqvibus, ut in poſterum ab hoc abſtinerent, obtinere potuimus.

Aliæ, tempore puerperii, alio, non minus ſuperſtitioſo remedio, ſomnum promoveri ac conciliari poſſe credunt: ſaccum enim qvo farina

rina triticea vel ſecalina continebatur, inverſum, einen umgekehrten leeren Meel-Sack/ culcitris ſubſternunt, eundemq; effectum experiuntur, ſomniq; Deaſtrum, hac ratione ſibi propitium reddunt.

Iterum aliæ, pro certo ſomnum provocandi experimento ſummè collaudant: ſi poculum vitreum, aqvâ repletum, infra lectum puerperæ, aut alius vigiliis moleſtatæ, ponatur; placidam qvietem & ſomnum expetitum inde ſibi infallibiliter promittentes.

Eò devenit credulitas dicam an ſuperſtitio, mulierum qvarundam, Chamæleonte mutabiliorum, ut non dubitent affirmare, ſi puerpera ſomno pro lubitu gaudere neqveat, & modo inverſo in lecto ſe componat, ita nempe, ut pedes locum iſtum, qvo caput reqvieſcere debebat, occupent; caput verò vice verſa ibi, ubi pedes jacere opportebat, cubet; tunc placidiſſimè dormire, & blandiſſimo ſomno ſe refocillare, imo ronchiſſare poſſit. Sic aliqvando ad puerperam aliqvam inviſenti, conclave ingreſſo, lectum accedenti, & periſtromatis remotis, mulierem ſuper pulvinari, loco debito cubantem non invenienti, & ubi moraretur ſciſcitanti; illa in Cachinnum ſoluta, ex inferiori lecti parte, ſalve Domine Doctor adclamavit; mihiqve de hoc inconvenienti cubandi modo & poſiturâ miranti, reſpondit: Ne qvæſo mireris aut mihi ſuccenſeas Domine! aliqvot jam noctes inſomnes transegi, frontalia, epithemata, olea, & linimenta, aliàs ad ſomnum conciliandum egregia, in vanum & ſine ſucceſſu adhibui; propterea ſuaſu cujusdam vicinæ meæ, modum cubandi mutavi, & ſicuti vides, inverti, ſicq; ex voto dormivi, nullumq; jam aliud hypnoticum deſidero. Nullo modo ipſi perſuadere valui, effectum hunc potius vanæ credulitati & anili ſuperſtitioni, qvam naturali operationi, eſſe adſcribendum.

Non inconſuetum aliàs eſſe ſolet, ut culcitris & pulvinaribus fungi cynosbatorum, (qvi propterea Schlaff-Kuntzen & Schlaff-Aepffel nominantur,) item auris vel pellis leporina, recens detracta, nec non cranium humanum, ſupponatur, & ſic ſomnus & amica qvies procuretur. Conf. Decur. I. Miſc. Cur. Ann. 6. & 7. obſ. 171. pag. 234 item Decur. II. Ann. 5. obſ. 93. & 94. p. 199. 200. Simon. Paulli Quadrip. Bot. p. 56. Chriſtiani Franciſci Paullini Lagograph. p. 257. & 378. &c.

OBSERVATIO XLIII.
Dn. D. PETRI ROMMELII,
De Hypnotico raro.

INfiniti ferè dantur ſomnum conciliandi modi, propterea, qvia ſomnus (licet à Poëtis mortis frater & conſanguineus dicatur, nihilominus) egregium & dulciſſimum curarum laborumqve levamen adferre ſolet, & nemo (exceptis nonnullis rariſſimis exemplis) ſine maximo ſanitatis diſpendio, diu illo carere poteſt, juxta tritiſſimum illud: *Durabile non eſt, quod caret alterna requie.* Idcirco etiam recreator & nutritor membrorum, imo *pars humanæ melior vitæ*, vocatur. Unde mirum non eſt, homines in ſano non minus qvam morboſo ſtatu, ne inſomnes agere cogantur noctes, maximè eſſe ſolicitos, innumerabiliaqve ferè medicamenta ſomnifera, ſomnumqve inducendi modos, excogitaſſe & inveniſſe; inter qvos non pauci etiam frivoli, ſuperſtitioſi, minusqꝫ probandi & imitandi, cenſendi ſunt; de qvibus nonnulla in præcedentibus adduximus, qvæ nobis talia tractantibus in memoriam revocarunt, hypnoticum, forſan non ubivis obvium.

Cantui & Muſicæ infantes & adultos indormire ſolere, notius eſt, qvam ut verbis opus ſit: ſtrepitum aqvarum, & coaxationem ranarum; Cantum item Gryllorum & Cicadarum, inſtar ſomniferi eſſe, neminem fugit: Aſt Titillatione vigilias pelli, ſomnumqve allici poſſe, non ita tritum eſſe exiſtimo, eò magis, cum titillatio tanqvam dolorifica voluptas, ſomnum potius impedire, & ſomnolentiam excutere ſoleat, ronchiſſantes enim & ſtertentes levi titillatu evigilant.

Ante aliqvot annos illuſtriſſimæ cuidam Comitiſſæ DD. F. à W. ob valetudinem tunc vacillantem, medicando inſerviebam, cui mulier ad hoc officii genus conducta, noctu lectum ingreſſæ, per horæ qvadrantem, vel etiam ulterius, pedum plantas leniter fricando, vel titillando potius, ſomnum provocare ſolebat; absqꝫ hoc enim titillationis officio, aut ſervitio, qvod aliis aliâs maximè moleſtum foret, non, vel admodum ægrè obdormiebat.

Recordor me aliqvando apud Scriptorem qvendam Rerum Turcicarum legiſſe, qvod qvidam ex eorum Imperatoribus, magnis Sultanis dictis (utrum Solimannus vel alius fuerit, affirmare non auſim) conſueverit, ubiqve, etiam in itinere formoſos pueros, ſecum in lecticâ habere, eum ſaltem in finem, ut titillatione & blanda plantarum pedum fri-

eatione, ſomnum, curarum profligatorem, & qvo itineris tædium evitaret, ſibi conciliarent; pro qvo officii genere lauto ſalario fruebantur.

In bello tricennali, & forſan etiam in nupero, militibus in more poſitum erat, præter alios à miſeris nummos extorqvendi modos, etiam plantis pedum ſalem adfricare, easqꝫ ſale conſpergere; qvem deinde per capram vel hircum adductum, delambendo iterum delingi curabant, miſellosqꝫ ita ad cachinnos involuntarios, & qvaſi internecinos obligabant, ſicqꝫ pecuniam, & qvicqvid voluerunt, hujuscemodi ridibunda tortura extorqvebant.

Utrum inter omnia animalia ſolus homo titillationem ſentiat, eiqꝫ obnoxius ſit, propterea, qvia ſolus homo riſibili qvalitate gaudere dicitur, hujus loci non eſt inqvirere.

OBSERVATIO XLIV.

Dn. D. PETRI ROMMELII.

De Evporiſto Emmenagogo.

MAgna utiqꝫ pluviæ & neceſſitas, & præſtantia eſt; qvippe qvâ ſine, non vegetabilibus ſaltim cunctis, verùm etiam pecudibus, gramine qvæ nutriuntur, qvin & hominibus ipſis, tandem ob nutrimenti defectum pereundum eſſet. Præter alias qva pollet, virtutes, non minima eſſe videtur, de qva in ſubſeqventi obſervatione dicetur. Ad Catamenia non ritè fluentia vel ſuppreſſa, in ordinem iterum redigenda, infinita mulieribus nota ſunt remedia, qvorum qvædam Experientiæ qvidem reſpondent, qvædam verò minus. Non prolixi erimus in iis enumerandis, ſed unicum hoc, de qvo loquuturi ſumus hîc ſufficiet, qvo de ſi rectè meminimus ſimile qvid legiſſe, vix recordamur. Casûs qvidem non prorsùs abſimilis mentio fit in Decur. I. Ann. 6. & 7. Ephemerid. Acad. Nat. Cur. obſ. 188. p. 253. ex Hœchſtetero & Tackio, ubi narratur de moniali virgine Ordinis S. Dominici, qvod nempe illa rore farinaceo, Meel-Thau dicto, qvi ſpecies pluviæ eſt menſes remorantes promoverit. Hîc verò nobis non de tali rore, ſed vera pluviali aqva ſermo eſt, uti ſeqvitur.

Novi aliqvot virgines, & inter illas non ita pridem A. C. E. qvæ deficientibus & ſubſiſtentibus menſibus, miſſis aliis medicaminibus, ſolius aqvæ pluvialis repetito potu, priſtinum fluxum ſibi reſtituerunt, & hoc

ſimpliciſſimo remedio, nonnunqvam plus effecêrunt, qvam decantatiſſimis aliis emmenagogis ſpecificis. Utrum vero ſemper & in omnibus optatum effectum habeat & ſuccedat hoc remedium, de hoc dubitare licebit. Interim virtutem aperitivam cœleſti huic liqvori non denegamus. Pluvias enim, præſertim menſe Majo vel ſereno & æſtivo tempore cadentes, plurimo ſui generis ſale eſſe prægnantisſimas DD. Simoni Pauli, in Qvadrip. Bot. & Digreſſ. de Febr. malign. ita cenſenti, aliisqꝫ facile ſubſcribimus. Plurimæ aliæ in menſtruorum ſuppresſione, propria urinâ recenti, repetitim epotâ, ipſa reſtituunt.

OBSERVATIO XLV.
Dn. D. PETRI ROMMELII.
De Varietate circa ſecundinas in partu gemellorum.

NOn jam diſputabimus utrum ſecundinæ, vel ut qvibusdam nominare placet, hepar uterinum, ſive placenta uteri ſit pars foetus nec ne, ſed ſaltim nonnulla, diverſitatem harum ſecundinarum, qvando gemelli generantur, concernentia, in medium proferemus. Plurimi Medicorum olim & nunc in ea verſantur opinione, ac ſi in partu gemellorum, pro diverſitate ſexûs diverſimodè etiam ſeſe habeant ſecundinæ, ita ſcilicet: ſi gemelli ſint diverſi ſexûs, ſecundinæ tunc etiam ſint geminatæ, & quilibet fœtuum, peculiarem obtineat placentam; ſi verò unius ejusdemqve ſexus fuerint, tunc ſecundinas eſſe unitas & ſimplices.

Qvam maximè verò hallucinati ſint talia ſtatuentes, & adhucdum hallucinentur, qvotidiana ferè commonſtrat experientia, qvæ Naturam (ignoſcite qvæſo, qvibus Naturæ hoc vocabulum ſordet) nunc ſimplicibus ſecundinis, pro pluribus fœtibus, non unius tantum ejusdemqve, ſed etiam diverſi ſexûs, contentam eſſe, mox verò duplici placenta in gemellis ejusdem ſexûs luxuriari, docet; prout præter alios, Magnificus etiam & longè meritisſimus Academiæ Cæſareo Leopoldinæ digniſſimus D. Præſes, teſtantibus id Ephemerid. Acad. Nat. Curioſor. obſervavit.

Tempore (abſit jactantia verbis) praxeos noſtræ ſat amplæ, utrumqve aliqvoties nobis etiam obſervare licuit. Trium jam recordamur puerperarum, qvarum ſingulæ gemellos unius ſexûs, nunc puellos, nunc fœmellas, utroqve foetu propria placenta gaudente, in lucem feliciter ediderunt; contra vero non pauciora exempla earum numerare poſſumus, qvæ gemellos diverſi ſexûs pepererunt, unicamqve tamen & ſimplicem,

plicem, utriqve foetui communem habuêre placentam. Sic ante paucas ſeptimanas denuò accidit, ut Conjux D. J. C. E. S. X. puellum puellamqve uno eodemqve partu feliciter enixa, ſimplices tantum ſecundinas, cum duplicibus chordis ſive varis umbilicalibus ediderit; ita tamen, (ut plerumqve fieri aſſolet,) ut placenta, per aliqvalem, aſt non magnum hiatum, in duos qvaſi lobos aliqvantulum diviſa adparuerit. Ambo gemelli optima adhuc fruuntur valetudine, qvos Deus ulterius ſervet. In illuſtri qvadam alia foemina, ante paucos menſes itidem gemellos utriusqve ſexus, unica & ſimplici communi placenta gaudentes obſervavimus, qvorum unus vivus, alter verò vita carens, abortivè prodierat. Qui diverſitatem hanc ſecundinarum, nunc ſimplicium, nunc duplicium &c. diverſo conceptionis tempori adſcribunt, noſtro judicio non prorſus à ſcopo aberrare exiſtimantur.

OBSERVATIO XLVI.

Dn. D. PETRI ROMMELII.

De Cæcitate poſt Venæſectionem.

ALiquot triſtia exempla infeliciter celebratarum Venæſectionum aliis vicibus in Ephemeridibus Nat. Cur. exhibuimus, quibus jam ſeqvens ſubjungere lubet.

Uxor Chriſtophori Rauchen Hortulani, ætatis 66. annorum ob ſenium aliqvali visûs debilitate correpta, menſe februario anni 1698. proprio conſilio, pro more non plebis tantum, ſed etiam eorum, qvibus de meliori luto Titan præcordia finxiſſe, exiſtimandum eſſet, non præparato prius corpore, venam brachii ſibi tundi curat, aſt infelici ſucceſſu: ſtatim enim à Venæſectione, Viſus magis magisqve imminutus, & qvæ antea cœcutiebat, ſpatio trium ſeptimanarum, ferè omninò excœcata fuit, ita ut nihil videre, vixqve diem à nocte diſcernere potuerit, in luce ſive loco luminoſo poſita dolorem haud levem ſenſit, qvi in obſcuro nullus erat. Die ☽ 21. Martii demum medicum petit conſilium, & utrum fonticulus conveniat qværit? præſcriptæ tunc fuêre pilulæ Cephalico-Ophthalmicæ; viſum & caput roborantia, cum uſualibus aliis &c. ſed ſine ſucceſſu, fonticulo qvidem non interdiximus, ſed ejus uſum potius (qvi tamen omiſſus fuit) ſuaſimus, non qvidem qvod ſpem recuperandi viſum, jam planè amiſſum, in iſtum poſuerimus, ſed ſaltim, qvo majorem ad oculos adfluxum, vel paroxyſmum apoplecticum averteremus. Nullum

lum jam amplius dolorem ſentit, & miſerâ ſuâ ſorte contenta vivit. In oculo dextro ſuffuſio adparet nigra, qvi tamen oculus, ante V. S. præ ſiniſtro, ſemper erat ſanus, in qvo, (ſiniſtro ſcilicet) jam ab anno & qvod excedit, macula alba apparere cœperat, poſt V. S. verò, ſubitaneum incrementum ſumſit, quod cœcitas ſubſequuta eſt. Conf. Rumleri obſ. 70. p. 41. in Syllog. G. H. Welſchii. M. Joh. Georgii Schiebelii Part. II. Hiſtoriſchen Luſt-Hauſes pag. 137. & David Schirmers Tafel-Reden num. 9. p. 12.

OBSERVATIO XLVII.
Dn. D. PETRI ROMMELII.
De Gulæ coalitu à Variolis, Lucanica ſublato.

GUla ſive Oeſophagus, infundibulum quaſi eſt, per qvod cibus & potus in ventriculum amandatur, qvo obſtructo, inflammato, aut qvocunque modo læſo, deglutitio impeditur; qvæ deglutitio, utrum actio naturalis, an verò animalis ſit? diſpiciant, quibus volupe eſt, hujuscemodi controverſiis tempus impendere.

Non rarò accidit in variolis, ut ab iſtarum copia fauces & pharynx præcludantur & obſtruantur, ut ægrotantes ægerrimè, interdum planè nihil, per illam fiſtulam transmittant, imò haud rarò ſuffocationis periculum ſubeant. Exempli loco ſit puer ſex vel ſeptem circiter annorum. G. J. textoris filius, tam fœdè à variolis copioſiſſimis, & tandem confluentibus deturpatus, ut magis turpificatum, toto praxeos noſtræ tempore vix viderimus; caput prægrande & tumidum duplo majus adparebat; facies prætumida; oculi arctiſſime ob inſignem palpebrarum tumorem clauſi, ita ut ne minimum eorum veſtigium, ubi laterent, adparuerit; aures, nares, labia & os, in- & extrinſecus variolis ſcatebant, univerſumqve corpus nihil aliud niſi puſtulæ pus & ſanies, ut nullibi non fœdatæ cutis, tantum ſpatium qvod piſi vel lentis magnitudinem ſuperaſſet, invenire potuiſſes &c. &c. Ob nares obſtructas osqve tumefactum & ferè clauſum anhelitum ægerrimè trahebat; nihil vel cibi vel potus per pharyngem undiqvaqve variolis obſeſſum, tranſire, & vox rauca vix verbum intelligibile pronunciare poterat: in ſumma horridum ſpectaculum, monſtrum potius, qvam hominem dixiſſes. Gula etiam ob ruptas puſtulas, omninò quaſi coaluerat, & quia vires, tam magnitudine & malignitate morbi,

quam

quam ob denegatum alimentorum & medicamentorum tranſitum, deficere incipiebant, res intra ſacrum & ſaxum jam conſtituta, planeq; deſperata videbatur.

Rebus ſic peſſimè ſtantibus, quidam cognatorum, puero ægrotanti valdè acceptus, miſelli miſertus, inter alia illum interrogat, num lucanica illi arrideat? Daniel möchteſt nicht eine Brat-Wurſt? ſciebat enim tale edulium ipſi volupe eſſe. Audito nomine lucanicæ, puer qvaſi ex alto ſomno expergefactus, qvi ad interrogata alia, nihil hactenus reſponderat, ſtatim, balbutiente qvidem, & vix intelligibili, magnum tamen lucanicâ veſcendi deſiderium teſtante voce reſpondit. Ja/ ja. Opportune ægrotum tunc inviſentes interrogati, utrum lucanica eſſet concedenda? facillimè annuimus, ſtatimq; ut adportaretur curavimus, ſperantes, qvia tam enixè expeteretur, fore, ut deglutitione edulii tam deſiderati, gulæ coalitæ aliqvalis violentia inferretur ſicqve fauces præcluſæ denuò aperirentur: nec ſpes fefellit, ſtatim enim ac lucanica adferebatur, portionem iſtius, nihil cernenti, ambabusqve arripienti porrigebamus, qvi flagrantiſſimo deſiderio, non ſine violentia & dolore ori intrudebat, vixq; tentata maſticatione, non ſine difficultate ac dolore, abliguriebat, ſimulqve pus & ſaniem ex puſtulis ruptis deglutiebat; ſicq; ſubſequuturo cibo & potui iter liberum denuò reſtituebat, vitæq; jam imminens periculum feliciter evitabat. Hac ratione lucanica præſtitit, qvod neq; Syrupi vel linctus, neq; oleum amygdalarum dulcium, aliaq; præſtare poterant; brevi enim omninò & feliciſſimè convaluit, & adhucdum, adultus jam optimè valet. Conf. Thom. Bartholin. Act. Med. Hafnienſ. Volum. 1. pag. 199. item Miſcell. Acad. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. IX. p. 80.

OBSERVATIO XLVIII.

Dn. D. PETRI ROMMELII.

De Tertiana lacte ſæpius recocto, ſublata.

ALiqvot jam Annis & Tomis ſuperioribus, extraordinaria febrifuga communicavimus, quibus aliud, qvod ſuperſtitionem aliqvam ſapit, hâc occaſione ſuperaddemus.

Quum infinitæ ferè febrium dentur ſpecies, nemo Medicorum, qvod ſciamus, ſibi præſumſit, certum earum numerum definire: qvod tamen Medici hâc in re determinare ac decidere auſi non ſunt, id

plebs, imò vulgi fex, impertinenter ſibi arrogare non erubeſcit, certumq́ febrium numerum, ſua auctoritate (ſi Diis placet) conſtituit, ita ut nec plures nec pauciores, ejus ſcil. opinione, reperiantur, qvam ſeptuaginta ſeptem; qvæ opinio tam altas apud plures egit radices, ut difficile, quin impoſſibile foret, illam ex eorum animis radicitùs exſtirpare. Eapropter non raró febricitantibus ex ſeptuaginta ſeptem diverſis plantis, graminibus, frondibus ac foliis, omnibus ſimul coctis, decoctum præparatur, qvod deinde febre laboranti, tanqvam infallibile febrifugum propinatur, & ita voti ſui compotem fieri jactabunde gloriantur.

Johan. Schmidii textoris noſtratis filio, febre tertiana decumbenti, mater ejus, ex conſilio cujusdam vicinæ, remedium antifebrile, iteratis experientiis (uti jactabatur) probatum, ſeqventi modo exhibuit: Recipiebat nempe lactis Vaccini dimidiam circiter menſuram, illudqve in ſartagine ſeu pultario ſuper igne aperto bullire faciebat; ſtatim vero ac bullire incipiebat, ab igne removebat, & paulo poſt, remittente ebullitione, denuò ebullire ſinebat; & tali modo ſeptuaginta ſeptem vicibus opus hoc reiterabat, ſemperqve, qvoties ab igne removebat, carbone lineolam ſuper focum ducebat, qvibus numerum ebullitionum computabat. Tot demum ebullitionibus abſolutis, qvod reliquum inſtar pulticulæ remanebat, febricitanti calidè horâ ſeptimâ matutinâ propinabat. Sumpto hoc ſæpius recocto lacteo pharmaco, puer in profundiſſimum ſomnum incidit, ut nullo modo, qvicqvid cum illo ageretur, expergefieri potuerit, non ſine ſumma matris medicaſtræ, cordis anxietate, conſcientiæ morſu, planctu & moerore; ita ut pluries exclamârit, ſe filium ſuum, hoc, ut dicebat, toxico, interemiſſe, ejusqve infanticidam exſtitiſſe. Puer interea totam diem, cum noctis dimidio ſtertendo & ronchiſſando conſumſit, donec tandem, circa duodecimam nocturnam, ipſa noctis meridie, poſtqvam ſomnum ultra ſedecim horas continuò protraxiſſet, ſponte ſua evigilaverit, è lecto ſurrexerit, cum parente luſerit, & non multò poſt, lectum repetendo denuò obdormiverit, & dehinc nullam amplius febrilem acceſſionem aut paroxyſmum expertus fuerit, verbo, prorsùs convaluerit.

Notandum, hoc evporiſton (modo hoc termino hîc uti liceat) die intercalari & apyreto fuiſſe exhibitum; lac tot repetitis ebullitionibus ſpiſſitudinem & conſiſtentiam pultis acqviſiviſſe; puerum aſſumpto hoc antipyreto pharmaco, ſtatim indormiiſſe, & continuò ſudaſſe,

imò

imò ſudore qvaſi diffluxiſſe, ita ut eundem abſtergere continuò opus fuerit; pro commodiori ſudoris abſterſione puerum aliqvoties in ſitum & poſituram ſedentis erigere oportebat, qvi tamen nihilominus dormiendo & ronchiſſando, nihil horum ſentiens, pergebat, usqve ad noctis medium, & poſtqvam evigilavit, & uti dictum, cum patre luſit, nihilominus valdè ſudando continuavit, ut ſudorem à facie & fronte, linteis ſubinde abſtergere opus fuerit.

Notandum inſuper, ſi qvis hujuscemodi febrifugo lacteo (qvod per nos unicuiqꝫ licebit, licet ipſimet eo prorsùs abſtineamus) uti velit, ut illud inſcio ægroto, (ſcilicet ut neſciat hoc tanqvam febrifugum ipſi exhiberi) fiat oportet, ſicut hoc in caſu factum eſſe ipſa febricitantis mater, cum omnibus hactenus enarratis circumſtantiis, fuſiſſimè nobis aperuit & explicavit. Alia femina Cauponis apud nos uxor, idem hoc remedium, pari ſucceſſu, ſe aliis ſvaſiſſe, eundemqꝫ ferè effectum expertum eſſe, nobis teſtabatur.

(*An. 1699. d. 25. Febr. Ulmâ Auguſtam Vind. miſſæ.*)

OBSERVATIO XLIX.

Dn. D. VITI RIEDLINI.

De Mania hæreditaria.

MAniacum nunqvam in vita ſua vidit, qvi Maniam inter graviſſimos & horrendos morbos numerandam eſſe dubitat, dum enim hominem non jam ſenſu qvodam nobiliore, non motu, aut qvadam actione vel ſumme neceſſaria, ſed eo ipſo, qvo à brutis differt, ratione nempe privat, & qvidem ſic privat, ut beſtiæ qvam homini ſit ſimilior, non ſolum alios qvosvis ſat audacter aggrediatur, verum & ſibi ipſi violentas injicere manus tentet, alimenta inſtar beſtiarum devoret, pudenda non tegat, lectum commaculet, & ſi vinculis coerceatur, plerumqve DEO hominibusqve maledicat, totqve homine prorſus indigna committat, ut niſi facie adhuc referret, nemo pro homine ulterius agnoſceret, qvæ graviora, qvæ magis horrenda de illo morbo dici poſſent? habet autem is & id mali, qvod nonnunqvam in poſteros qvoqve propagatur, cujus rei ſeqvens hiſtoria teſtis erit. Vir qvidam, qvem plures ob integritatem vitæ commendarunt, cum aliqvot Melancholiæ gravioris inſultus deviciſſet, tandem in Maniam tam gravem incidit, ut & ipſa lora vix ſuffecerint, ad eundem â vio-

lentis actionibus detinendum, unde multi multa de eodem, uti fieri ſolet, retulerunt, inter ea vero, qvæ ad aures meas devenerunt, notatu digniſſimum videbatur, qvod notatum â fide dignis fuit, ejusdem Patrem olim hoc ipſo morbo æqve graviter decubuiſſe, & fratrem ante qvosdam annos, cum, qvi eum obſervare debuiſſent, receſſiſſent paululum, per feneſtras ſe præcipitaſſe, & ſic ante tempus vitæ filum ſibi abrupiſſe, imo & ſororem Maniacam illum olim habuiſſe, ex hoc enim non ita male colligi, qvod hoc malum hæreditariis interdum annumerandum ſit, vix quisquam dubitabit; & in hac ſententia me magis confirmavit Melancholicus qvidam, propinqva mihi cognatione conjunctus, cujus Pater olim Mania laboravit, & hinc ad hoc malum, qvod ſæpe Maniam præcedere ſolet, ſine dubio non parum contulit, avertat Deus, ne & in hoc tandem Melancholia in Maniam degeneret. Ex hac autem obſervatione diſces, illos, qvi â Maniacis Parentibus ſunt progeniti, præ aliis eſſe obſervandos, ſi Melancholici qvid patiantur, cum facilius in maniam incidere poſſint, hincqve haud reprehendi poteris, ſi generoſiora qvoqve remedia talibus Melancholicis adhibueris, ſi vel maxime aliis, non opus eſſe, videatur, hiſce enim in principio ſtatim adhibitis, ne ſuccedat mania, feliciter avertes.

OBSERVATIO L.

Dn. D. VITI RIEDLINI.

De Iſchuria punctura in perinæo curata.

QUod in Iſchuria, cui Mercatorem qvendam ſuccubuiſſe, anno tertio, die Februarii ſecundo Linearum mearum medicarum retuli, apertionem Perinæi ſed fruſtra ſuaſerim, ibi, ſi reliqvas lineas, ſine dubio legiſti, qvia nempe nec Chirurgus tum adfuit, cui ſat tuto operatio hæc committi potuiſſet, nec ægrotus in eandem conſentire voluit, mentem tn. meam, ſic ſervari nonnullos tam gravi decumbentes malo poſſe, propterea non mutavi, qvin in ſententia mea magis confirmatus fui, cum haud ita diu poſt Franciſci Tolleti, Chirurgi Pariſienſis, egregium de Lithotomia tractatum evolviſſem, qvi huic ipſi operationi totum caput XXI. deſtinavit, & tum inſtrumentum, qvo, tum qvomodo ſit inſtituenda? pluribus deſcribit, ut adeo, ſi in poſterum talis iterum caſus mihi obveniret, modo adeſſet, qui commodaret

modaret manus, Chirurgus, eam ſuadere denuo, nullus omnino dubitarem, cum præſertim interea Nicolaus Menageot, Chirurgus Cæſareus meritiſſimus, hiſtoriam feliciter peractæ hujus operationis recenſuerit, qvam hic repetere non prorſus abs re erit. Sunt plures jam anni, qvod Viennæ ſcribæ cujusdam filiolus, puer optimæ ſpei in Iſchuriam incidit, qvæ per aliquot dies inſtans, nulliqve remedio vel minimum cedens, omni ſpe, eundem e mortis faucibus eripi poſſe, Parentes privavit, accidit vero forte fortuna, quod Chirurgus, cujus curæ demandatus fuerat Puer, eundem adiens, in via offendit modo laudatum Menageot, cui, quia familiari ejusdem amicitia gaudebat, caſum recenſuit, utque ægrum ſecum adiret, rogavit, nec defuit hic ejusdem petito, cumque omnia diligenter exploraſſet, tumorem inæqualem ab urina in abdomine ſubortum notaſſet, & penem â tumore tam diſtortum inveniſſet, ut nulla arte Catheter applicari potuiſſet, de punctura Perinæi cogitare cœpit, ne vero aut audax nimium videretur, aut vi morbi ſubſequens mors ſoli operationi adſcriberetur, ſine Medici conſilio eandem inſtituere detrectavit, qua de cauſa Celebris quidam Vir, cum quam periculoſum ſit, in craſtinum expectare, uti quidem Mater voluerat, demonſtraſſet, eodem adhuc die vocatus fuit, qui ſibi imaginatus, Chirurgum in pubis regione, ubi veſica urina repleta aliquantum protuberabat, apertionem hanc moliri, eam quidem aliquoties inſtitutam ſe meminiſſe, at nunqvam feliciter ceſſiſſe, eidem in aurem dixit, at cum hic modum, qvo Perinæum perforare velit, indicaſſet, ſtatim conſenſit, unde paulo poſt inſtrumento hunc in uſum parato, qvod Trocart Toletus nominat, feliciter veſicam aperuit, & immiſſo Cathetere flexili urinam tum in Veſica præſentem evacuavit, nec hunc denuo extraxit, donec & cauſa obſtructionis hujus ſublata fuit, ut nempe interea ſemper urinam per hanc viam reddere poſſet, hæc vero pene demum detumeſcente innotuit, qvi tum infra glandem exulcerari cœpit, per qvod ulcus Calculus, qui hactenus urinæ viam conſuetam intercluſerat, extractus fuerat. Utut autem extracto Cathetere, tum per illud arte factum, tum ab ulcere excavatum foramen aliqvamdiu puer minxerit, cicatrice tamen paulatim læſis his partibus inducta Dei gratia ſic convaluit, ut de qvo conqueratur, hunc usqve in diem non habeat. Sicuti vero hic ſine dubio, niſi tali modo eidem ſubventum fuiſſet, ſervari vix potuiſſet, ita ſane, ubi inprimis certum imminet vitæ periculum, Medicus ab extremis talibus remediis tantum non abhorreat, ut

ea nunqvam prorſus in uſum vocare auderet, cum feliciter in uſum ductorum plura qvoqve non deſint exempla.

OBSERVATIO LI.

Dn. D. VITI RIEDLINI.

De Cervi ventre ſalva vita globo trajecto.

SUnt qvædam vulnera ſic comparata, ut primo intuitu tam certo lethalia pareant, ut iisdem conſpectis identidem mortem potius jamjam inſtantem expectemus, qvam de remediis convenientibus ſoliciti ſimus; verum enim verò, judicium eſſe fallax, & hic non raro experientia nos docet, cum vel graviſſimis vulneribus qvosdam adhuc ſat diu ſupervixiſſe, non paucæ hiſtoriæ teſtentur, ſic Ventriculo læſo multi parvam admodum convaleſcentiæ ſpem habebunt, at qvot, qvæſo! & poſt hujus viſceris vulnera adhuc ſat diu integra gaviſos fuiſſe ſanitate conſtat? ſi vero in homine ejuscemodi qvid notatur, multo magis in vivacioribus quibusdam brutis contingere poſſe, credemus, inter qvæ cum tantum non ab omnibus Cervus imprimis numeretur, mirum non eſt, hiſtorias hinc vide recenſeri, ex qvibus eluceſcit, vulnera ſat gravia eidem aut non, aut ſaltem non tam cito ut aliis letalia extitiſſe, extat qva Cor in his ipſis Ephemeridibus noſtris hiſtoria notatu digniſſima, in qvibus â Sereniſſima Electrice Brandenburgica globulo trajectum deſcribitur & depingitur, unde Cervus qvidem inſtar mortui proſtratus, revivixit tamen; & per tria aut qvatuor paſſuum millia aufugit, ubi tamen is, qvi ſeqventia ſuggesſit, cum hujus hiſtoriæ mentio injiceretur, ſubjecit; novum non eſſe, qvod Corde trajecto Cervi ſupervivant, & non per tam multos qvidem, per centum tamen & plures paſſus profugiant, & longe citius eosdem interimi, ſi aut ſupra aut infra Cor penetret globus, qvæ autem qva Ventriculum ſic læſum itidem tum narravit, jam repetam. Eſt autem Venator, qvi pertinacisſima alvi obſtructione decubuit, cujus ergo cum aliqvando de inteſtinis in aliis inde læſis, & excrementis per eadem, abdomine qvoqve aperto, depoſitis, ſermo injiceretur, ſubjecit; ſi viſcera ſua ſic conſtituta eſſent, uti Cervorum eſſe, noſcat, ſe absqve hæſitatione, ut abdomen aperiatur, conceſſurum, imprimis autem notatu dignisſimum eſſe caſum, qvo in hac ſententia magis confirmatus fuerit, cum enim ante haud ita longum temporis ſpatium filius

filius ſuus ſibi indicaverit, Cervum ſe in ſylva non ita procul ab Urbe diſtante vidiſſe, ut huic retia tenderet, & qvæ præterea reqviruntur, in parato haberet, ſe jusſiſſe, & paulo poſt filium jam juſſa exeqventem ſubſecutum fuiſſe, omniaqve jam ad votum parata inveniſſe, cumqve non ita diu in loco â filio denotato ſtetiſſet, in conſpectum ſuum veniſſe Cervum pluribus Cornuum ramis conſpicuum, qvem illico in pectore ſic vulnerarit, ut mortuus in terram prociderit, accedentem deinde ſe inveniſſe veſtigia vulneris olim jam abdomini hujus Cervi pari modo inflicti, & hinc curioſe eodem aperto in ejusdem exitum indagaſſe, notaſſeqve, qvod Ventrem, qvem Ariſtoteles magnum nominat, cuiq; ipſe nomen germanicum des Wanſtes impoſuit, quem in ruminantibus, quales & Cervi ſunt, ſub primi Ventriculi nomine deſcribit eruditisſimus Peyerus, globus haud ita magnus ex utraqve parte penetrarit, qvem etiam haud ita procul â cute deprehenderit, ſic vero utrinqve labia vulneris cum proxime adjacentibus muſculis coaluiſſe, ut illud vulnus in poſterum Cervo nullam omninò noxam inferre potuiſſet, diuqve adhuc ſupervixiſſet, niſi fatalem in eum globum, qvi hæc in ipſo conſpexit, exploſiſſet. Cautos interea nos & hæc in judicio de Vulnerum lethalitate ferendo reddant, & in homine enim qvædam interdum contingere poſſe, de quibus ne per ſomnium qvidem cogitaſſemus, in procemio jam innui.

(*An. 1699. de 2. Martii exhibitæ.*)

OBSERVATIO LII.

Dn. D. PYRRHI MARIÆ GABBRIELLI.

De Viro ſeptuagenario, tribus quartanis laborante, Boreæ validè efflanti expoſito, convaleſcente.

QUidam nervoſæ complexionis, ſeptuaginta annos agens, tribus Quartanis anno elapſo, Menſibus Novembri, ac Decembri qvæ maximo accedebant cum rigore, laborabat. Circa initium Januarii, flante Borea, cum eſſet ex accidenti ſub dio expoſitus, eum prehendit rigor febrilis adeo vehemens, ut minimè potuerit, niſi poſt duas horas, qvibus maximum frigus fuit paſſus propter ventum frigidisſimum qvi violenter efflabat, domum ſuam reverti. Tunc decumbente ipſo in Lecto, calor febrilis fuit multo minor qvam in paroxyſmis trans-

transactis. Febres duæ ſeqventes fuerunt reliqvis conſimiles: Tertia vero die, in qva debebat febris correſpondens ſecundum ordinem qvartanarium accedere, nulla ſupervenit; unde Patiens cum vidiſſet, ſe tunc eſſe à febri immunem, data opera die ſequenti ſe Boreæ expoſuit; acceſſit tunc temporis febris, ſed minor; ob id iterumque tertia vice adivit locum apertum, ubi borealis venus plurimum efflabat; & nedum febrilis acceſſio fuit minor, ſed ſequentibus diebus nulla acceſſit febris, & perfectè convaluit.

(*An. 1699. d. 7. Martii Senis Auguſtam Vind. miſſa.*)

OBSERVATIO LIII.

Dn. D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP.

De affectu gravi ac diuturno, variis Symptomatis & accidentibus comitato, inter alia Ceraſi nucleo cum urinâ reddito.


QUem modò Curioſorum cenſuræ ſiſto, caſus, non eſt propriæ obſervationis, ſed ab amico Medico eximio, Phyſico Rupinenſi, Domino D. Friderico Tieſſenbach / literis 6. Novembris ſt. Jul. anni præteriti 1698. manu patruelis ſui, Medici quoque Licentiâ recens inaugurati, ad me datis, & quidem verbis ſequentibus communicatus.

Fœmina 55. circiter annorum, ſanguineo melancholica, inordinatæ diætæ variiſque tempeſtatum generibus ob peregrinationes expoſita, menſtruum fluxum per decem annos non experta eſt, nec aſſveta venæſectionibus, bis tamen per ætatem admiſit, cæteroquin ſana, niſi quod aliquando tenſivos dolores, circa lumborum regionem & ardorem urinæ perceperit, quos tamen ſub laboribus minus curavit. Præterlapſa autem æſtate ardor urinæ cum doloribus, circa lumbos preſſoriis, lancinatoriis adeò affligit patientem, ut Medici auxilium ſubire cogatur. Adhibentur à Medico hanc in rem medicamenta, quæ tamen urinæ ardorem non compeſcunt, nec dolores tollunt; ſed contingit, ut cum urinâ coagulum ſanguinis dimittat. Id intuens Medicus, quæ ad hunc ſcopum valent, remedia adhibet, ſcilicet exhibet ſubaſtringentia, ſanguinem diſcutientia & dolores demulcentia. Abeunt

dolores

dolores circa lumbos, manet tamen ardor urinæ, ſed paululum imminutus, imò ad iter neceſſarium inducias aliquales concedit. Poſt aliquot dies patienti commotæ admodum & ambulando & ſuccuſſando ex curru, inopinati dolores ardentes, interpungentes & preſſorii in pectine, ardores urinæ recurrunt, guttulæqve aliqvot ſinceri ſanguinis iterum ex urethrâ excidunt ſtillatim, ardor urinæ & dolores adeo lancinant atqve excruciant, tam circa lumbos, qvàm pectinem patientem, ut lectum petere domum ex itinere reverſa ſit coacta. Medicus ſuſpicatur & veſicæ renumqꝫ ulcus, & adeſſe calculos, dum urina lapillulos conſpicuos, mucoremqve ſanguine ſtriatum exhibuit. Hinc diuretica balſamica ut balſamum Sulphuris terebinthinatum, cum pulvere ex lapidibus percarum & cancrorum, terebinthinâ coctâ & Cinabari Antimonii ex præſcripto alîus Medici in uſum trahuntur. Exacerbantur Symptomata & phlogoſes faciei aliqvando percipit, imò tandem frigore & horrore poſtea exæſtuare in inferioribus partibus incipit, manentibus ſuperioribus ſtrictis & ſubrigidis, deferveſcente poſtea æſtu, nihil ſubſeqvitur ſudoris, ſed urinæ effluxus cum ardore augetur adeò, ut vix illam continere qveat. Rebus ſic ſtantibus accidit, ut ſtatim â cibo potuqve aſſueta ad veſicam redundare ſentiat, imò urinam incoctam maximo cum cruciatu emingat, alviqve ſiccitas ſeu obſtipatio temporaria ſemper comitetur, cadit appetitus, vel potius faſtidium & nauſeam pro cibis liqvidis, potuqve cereviſiæ ſive tepidæ ſive calidæ capit, hinc ſolo decocto hordei cum Cornu Cervi contenta eſt, & urina ſub hoc ſtatu tum lapillulis quaſi refractis, modò albis inſtar lapidum percarum, modò rubris inſtar arenularum, ſine numero, tum materiâ ſubcruentâ qvaſi ex pure, tum mucagine inſtar albuminis ovorum, quod ex teſta ſtudio extrahitur, referta eſt. Symptomata hæc per paroxyſmos non ſtatos ſed vagos qvotidie continuarunt aliqvot hebdomadas: Obſtipatio alia partim per ſuppoſitoria, partim per Clyſteres emollientes & ſtimulantes tentatur & cum referatur etiam cum ſcybalis ſanguineis, vel potiùs ſubcruenti coloris qvicqvam exprimit, imò mucorem ſubcruentum exſpuit, & caput dolet. Ceſſant hæc ſymptomata paululum, poſtqvam ferè per ſex hebdomadas patientem excruciaverunt: interim usqve in hunc diem 9. hebdomadis continuant circa lumbos & pectinis regionem dolores lancinatorii, preſſorii, punctorii, urinæ ardor, ſiccitas alvi temporaria & urina calculoſam, mucoſam, limoſam ac ſubcruentam materiam exhibet. Licet Medicus hæc ſymptomata, leniſſimis diu-

reticis (nam acriora & calida & fortiora minus ferunt) & balſamicis, doloresqve mitigantibus, item emulſionibus, ſimulqve renum & veſicæ inflam̃ationibus inſerviunt, oppugnaverit; attamen maximo cum cruciatu in hunc usqve diem patientem noſtram affligunt, hinc conſilium de hoc ſtatu morbi & auxilium efflagitant cognati omnes.

Hâc ratione in partes curæ vocatus, conſilium pro ſcientiæ & experientiæ modulo pluries dedi, ſed non eodem ſemper effectu aut ſucceſſu, de qvo dum iteratis literis me certiorem reddit, alia inter refert, eodem, qvo nuperrimè caſus transmiſſus fuerat, die, ægram nucleum Ceraſi cum urinâ reddidiſſe, qvem & incluſum iisdem literis mihi transmiſit. Erat is e numero ceraſorum vulgarium, nigrorum, acidorum, qvæ ſi rectè memini Actia Romanis vel Actiana dicta fuerunt, exſiccatorum & coctorum ejus figuræ & magnitudinis, qvam Schema inferiùs delineatum ſiſtit. 

Suſpectæ mihi erat fidei hiſtoria, eò, qvod vias, ê ventriculo in veſicam directas, qvantum mihi qvidem conſtat, Natura agnoſcat nullas, adeò præſertim patentes, ut nucleum ejus magnitudinis transmittere poſſent. (Nam ut hoc, occaſione hâc id ſuggerente, in parentheſi qvaſi addam, utpote non ſemel eâ de re â nonnullis interpellatus, licet Decade II. Ephemer. Naturæ Curioſorum anno I. obſerv. 78. mentio fiat ſectionis anatomicæ â me factæ, ac inventorum ductuum qvorundam ab inteſtino cæco deorſum ad veſicam vergentium; ingenuè tamen fateor, ſectionem qvidem illam â me peractam, ac ſpectatorem qvoq; Dominum illum Veſenfeld, cujus in obſervatione mentio fit, ſectioni illi interfuiſſe; ſed ductus illos qvamvis â me non ſemel, occaſione, dogmatis Helmontiani, urinæ nimirum tincturam ſeu colorem flavum non â bile, qvæ antiqvorum ſententia, ſed â fermento qvodam ſtercoreo, ut illud appellat, ac in inteſtino cœco hoſpitari aſſerit, inde in renes derivato ortum trahere præſupponentis, qvâ fieri potuit, ἀκρίβεια etiam in prædictâ Cadaveris Francofurtani anatome ſedulò qvæſitos, ſed nunqvam inventos eſſe. Num beatus nunc ille Dominus Veſenfeld me fortè abſente tunc, fuerit beatior, adeoqve illos invenerit, me verò inventos celaverit, ne in manes illius ſim injurius, nec aſſeverare, nec negare auſim. Sit fides tantisper penes authorem) Ideoq; reſponſo dato dubia qvædam in contrarium, atqve caſu fortè in lectum, indeqve in matulam incidiſſe, aut in induſio aut alibi in veſtimentis hæſiſſe objiciebam; verùm ille literis denuo ad me ſcriptis ac miſſo paulò poſt patruele ſuo Med. Lic: oretenus refert, qvinto

ante

ante excretum nucleum die ægram ceraſa cocta comediſſe, & forte fortunâ nucleum unum inopinatò deglutiviſſe, ſuperveniſſe poſtea ſpeciem aliqvam diabetæ cum ardore urinæ intolerabili, beneficio Croci Martis aſtringentis, cum ſpeciebus diaplantaginis Mynſ. Eſſentiâ vulnerariâ D. Mich. & tincturâ ſulphuris Vitrioli, Deo benedicente rurſus ſedatam â qvâ qvinto demum â deglutitione die; nucleum illum cum urinâ in urinale incidiſſe, Calculorum aliorum præterea cum urinâ ſucceſſivè redditorum numerum ad tria circiter millia extendit. Lumbricum etiam circa 20. Novembris, ſed per poſticum eliminatum narrat. Aſt cum ne ſic qvidem incredulitati meæ ſatisfeciſſet, ipſe tandem Dominus D. Tieffenbach cum negotiorum aliorum causâ hûc Berolinum excurriſſet, me convenit, & conſcientiæ ſuæ fidem interpoſuit, juratoqve aſſeruit, ſe præſentem fuiſſe actui, ſuisqve propriis auribus delabentis â veſicâ in matulam nuclei ſonum percepiſſe, nec ullum vel fucum vel dolum intercedere potuiſſe, cum â tempore deglutitionis ægra multoties tam veſtes qvâm induſia mutaverit, & vel vicies de die ſtratum propter impatientiam ægræ ob immanes dolores mutandum & aliter ſternendum & accomodandum fuerit, nullum â qvinqve diebus in lecto aut induſio nucleum aut uspiam alibi hærere potuiſſe: Coactus itaqve fui huic, mihi aliàs ἀδυνάτῳ fidem, qvam toties negaveram, qvadantenus adhibere. Verùm qvâ viâ præter ordinariam, qvæ nucleo tam grandi invia & impervia, tot obſtaculis, & impedimentis obſita, tot gyris & mæandris intricata, non capio, cuivis interea credendi aut non credendi aut qvidqvid tandem cenſendi libertatem concedens.

Plurima inter, qvæ tam prædicti ordinarii ejus Medici, qvam meo ac aliorum ſuffragio, variò ſed utplurimùm irrito ſucceſſu adminiſtrata ſunt remedia, â nullo majus dolorum & ardoris atrociſſimi ſenſit levamen, ipſo D. Tieffenbachio diverſis literis & coram qvoqve fatente, qvàm ab anodino Helmontiano â me ſuppeditato, qvietas ei noctes & de die qvoqꝫ Halcyonia qvædam qvandoqꝫ procurante. Vixit interea, ac miſeram ob urinæ incontinentiam, ſtranguriam & ardores identidem recrudeſcentes, vitam ad medium usqve Februarii, anni præſentis traxit ipſa morte, qvâcum illam tunc commutavit, intolerabiliorem.

OBSERVATIO LIV.

Dn. D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP.

De Lumbagine ſeu Dorſi & Lumborum rigiditate cum dolore atroci.

BAro qvidam viginti qvinqve circiter annos natus, caſtra aliqvamdiu ſecutus, & ad Centurionis officium evectus, exercitu in hyberna miſſo, mediâ brumâ eâqve valdè rigida, ultra octoginta milliaria Germanicâ veredo emenſus, Berolinum negotiorum qvorumdam cauſa advolat, altero ab adventu circiter die priapiſmo cum dolore exquiſito tentatur. Vocatus Medicus cum Chirurgo luis eum Venereæ inſimulant, & ptyaliſmum, ceu ſacram in illâ lue plurimorum anchoram ſuadent, tandem conſtanter negantem, poſt applicata qvædam topica deſerunt. Vocatus & alter & tertius, eandem ei cantilenam occinunt, qvos indignabundus ipſe ablegat, interea dolor ille, forte ab applicatis topicis paulatim mitigatur qvidem illo in membro; at per, neſcio qvam, metaſtaſin in lumborum vertebras translocatus, ac ſenſim inibi ingraveſcens, rigorem illis ac dolorem gravem atqve moleſtum inducit. Tandem & ego ad illum accerſor, dum circumſtantias omnes mihi propoſitas examino, cauſas præſertim antecedentes, iter eqveſtre longinqvum ac feſtinatum, ſuccuſſationes diutinas, frigus & incommoda in itinere perpeſſa, cauſas qvoqve itineris animum ſimul cum corpore affligentes &c. perpendo, non ſine ratione ſcorbuticum affectum eſſe judico, & contumacem & diuturnum nec remediis niſi generoſioribus patienter uſurpatis facilè vincendum prædico. Unde, cum diverſorio eſſet exceptus, parum ad curam ſubeundam accommodo, mutare illud, utut vix absqve maximo incommodo poſſet, ſuadeo: In aliud itaqve commodiùs hoſpitium, non ſine exacerbatione mali, lecticâ deportato, ac in lectum collocato, ſpina dorſi integra â colli vertebris ad os usqve Sacrum, adeò rigida facta fuit, ut ne transverſum qvidem pollicem cervix cum dorſo flecti aut â lecto ſuſtolli potuerit absqve immaniſſimis doloribus & cruciatibus, tam ſævis, ut illorum impatiens, non ſemel durante morbo me rogaverit, ut plumbeo globo ipſum trajicerem & vel ſic â doloribus illis intolerabilibus liberarem; verùm non Medici hoc eſſe officium, ſed aut hoſtis aut militis, mihi aliâ methodo procedendum,

aliis-

aliisqve remediis utendum regerens, curam propitio Deo aggreſſus, trimeſtri circiter ſpatio, partim internis alterantibus & evacuantibus, ut & antiſcorbuticis, partim externis ac topicis, Gratiâ ac benedictione Divinâ aſſiſtente, cui ſit omnis honos! abſolvi, ac ſatis feliciter illum in integrum reſtitui. Inter medicamenta interna, panacæa, ſic dicta, Anvvaldina, præcipuas ſibi partes vindicat, utpote cujus qvotidiano ferè duorum, aut trium ad ſummum, granorum uſu, dici vix poteſt, qvot, non unciæ miasmatis ſcorbutici, pulveris nimirum cujusdam roſei planè coloris, impalpabilis, ſub ſpecie urinæ ſaturatò rubentis, mox verò in magmatis illius roſei ſedimentum fatiſcentis, ſed libræ toto morbi decurſu ſeceſſerint, mitigato ſic ſucceſſivè ac paulatim dolore illo vehementi. Inter externa & topica balneum aqvæ inter tepidam & calidam temperatæ, aperientibus nonnullis reſolventibus & diſcutientibus medicatæ, pro tollendâ præcipuè & molliendâ rigiditate illâ dorſi & lumborum, qvo ſex ſeptimanarum poſteriorum ſpatio bis dietim uſus eſt, & in qvod initio qvidem â qvatuor robuſtis Viris lodici inſtratus inter cruciatus, ejulatus & vociferationes ſtentoreas ê lecto ſublatus immittendus, ac rurſus eodem ritu eximendus atqve reponendus erat.

OBSERVATIO LV.

Dn. D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP.

De Fœtus præter opinionem & intentionem parentum admiranda in utero Materno conſervatione.

DEcadis II. Ephem. Naturæ Curioſorum, Anno VIII. obſerv. 565. ariæ adducuntur hiſtoriæ, qvibus fruſtraneos in exturbando fœtu tam artis, qvàm Naturæ conatus narrando, difficultatem provocandi vel directè vel indirecte abortum aſtruere ſatagit Author. Haud multum abludens ab illis notabile aliqvod exemplum mihi qvondam obſervare contigit.

Anno 1666. ad Juvenculam Profeſſoris cujusdam juvenis ſanguinei ac toroſi uxorem, qvi hanc comprivignam ſuam paucos ante menſes duxerat, vocabar, de colicâ & motu qvodam, ut ajebat, præter-

ternaturali, in ventre & ſub hypochondriis ac iliis conqverentem, ac meum de illis judicium ac conſilium expoſcentem. Re probè penſitatâ & cum conſtitutione utriusqve Neonuptorum ac tempore nuptiarum collatâ, prægnantem illam eſſe judicabam, motumqꝫ â fœtu oriri aſſerebam, ſed tam ab ipsâ qvàm à marito, & qvod majus â Socero & Socru, patre matreqve nimirum utriusqve conjugum, ſatis, ut ſaperent, annoſis non ſine indignatione explodebar, imò, qvi aliàs familiæ illius medicus eram ordinarius, derelinqvebar, atqve alius me qvidem ſenior, at hoc in caſu vix oculatior vocabatur; Qui aſſenſum parentibus præbens illam ſtrenuè contra colicam tam carminantibus, qvam purgantibus, nec venæſectione omiſsâ, pugnando exercebat, ſed fruſtra. Motus illi & ſubinde qvidam dolores continuabant nihilò minus: Tertius itaqve & huic adjungebatur, & uterqve collato conſilio nil qvicqvam, qvod vel alterando vel purgando, aut externè etiam applicando ad colicam hanc, uti illam vocabant flatulentam debellandam ullo modo facere poſſe videretur, intermittebant; ſed haud majori qvam ante ſucceſſu. Parentes præterea ipſi cum marito ex ambubajarum, Medicaſtrarum & Medicaſtrorum conſilio tentabant qvàm plurima tam interna qvam externa, eaqve inter qvædam ſatis violenta & periculoſa auxilia; Alia inter ad compeſcendum motum illum uti ipſis putabatur præternaturalem, alliſo & angulo menſæ qvadratæ violenter impacto ventre aliqvamdiu illam detinebant, donec nimirum laſſatus ac debilitatus hac violentiâ fœtus aliqvantisper â motu ceſſaret; aliàs humi aut in lectum proſtratæ utroqve genu incumbentes alvum deprimebant, ut colicam illam exorbitantem cohiberent ſed & hæc omnia irrito effectu. Unde ſuffraganti Medicorum illorum conſilio Berolinum eam deducebant, atqve illîc celebriores Medicorum anteſignanos in conſilium aſciſcebant, qvi ſiniſtrâ relatione, patientis, mariti & parentum dementati aliqvoties illam purgarant, & qvidam ſatis largiter & copioſè & cum virium non exiguâ jacturâ, ter, niſi omnis fallor, venam ſecuerant, ac ſanguinis inſignem copiam profuderant, præter omnem neceſſitatem in ſubjecto gracili ac nil minùs qvam plethorico. Sed & hoc absqve omni, qvem intendebant & ſperabant fructu; Reverti itaqve poſt exactum illic ferè trimeſtre ſpatium domum coacti, turgeſcente jam magis magisqve utero, ac tempore partus paulatim appropinqvante, non intermiſsâ tamen interea ſolitâ, qvàm ante narravi tragœdiâ & torturâ, me rurſus vocabant, ſpe fortè mutandæ â me ſententiæ; ſed manifeſtioribus

ſtioribus jam in illâ confirmatus indiciis, colicam illam brevi vitalem fore prædicebam, ideoq; denuo cum indignatione dimittor. Biduo vix elapſo, motuqve validiùs qvam ante continuante & perſeverante, Matrona qvædam ê viciniâ, honeſta, ac Lucinæ Myſteriis ſatis imbuta, Conſulis cujusdam vidua, invitatur, ut ſuum & illa de Colicâ illa moleſtâ ſententiam ferret, hæc re prudenter expenſa, ſcrutatis qvoq; ipſis Naturæ adytis, obſtetricem qvantocyùs advocandam indicat, periculum & qvidem ſummum tam matri qvam infanti in morâ eſſe, indignantur & contradicunt & huic adhuc illi ſtupidi; Illa verò ſeriis tam maritum qvàm parentes affata terminis, niſi & matris & fœtûs velint fieri homicidæ, ê veſtigio obſtetricem accerſant, ad ſingula enim momenta partum imminere: Hac igitur ocyſſimè accutrente, vix dimidii qvadrantis horæ ſpatio præterlapſo, vivum ac vitalem ſatis grandem fœtum, nil remorantibus omnibus illis objectis valde violentis ac periculoſis obicibus & obſtaculis enixa eſt. Manifeſto exemplo, DEum Vitæ noſtræ ut Authorem, ſic fœtus in utero Materno conſervatorem eſſe Omnipotentem, qvem ſervatum velit ac vitalem, hunc contra nulla valere etiam violentiſſima mortalium machinamenta.

OBSERVATIO LVI.

Dn. D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP.

De Maternæ phantaſiæ in fœtum deſpotico quaſi imperio.

ARgumento non uno dudum perſuaſus ſum præcipuas in fœtu formando & perficiendo, Deo Vitæ Authore ter Glorioſo ſic ordinante, partes animæ maternæ deberi. Novum etenim illud Ovarii Muliebris inventum, ac commentum? mihi adhuc difficultatibus laborare videtur ac tricis, haud ita promtè extricandis. Nec illa in ovis illis præſuppoſitis, ſi non ſubpoſititiis rudimenta totius fœtus fidem adhuc in mente meâ plenam invenerunt: Specioſi qvidem ſunt ingenii valdè prompti partus, at nondum, ut mihi videtur ſatis etiamnum maturi, ut plene adoleſcant. Inter argumenta, qvibus ad hoc aſſerendum moveor plurima, non poſtremum prolis in utero, ut nutriendi, & augendi, ſic efformandi officium matri deberi, & qvidem præcipuè vi imaginativa mentis, phantaſiæ nempe maternæ in fœtum pro lubitu penè agentis. Qvâ etiam in perfecto ferè jam fœtu diverſas

operatur qvaſi metamorphoſes, addit, detrahit, auget, minuit, figuram, colorem, aliaqve accidentia mutat, mutilat, aſtruit, deſtruit, imò annihilat membra, omni procul dubio ante jam efformata & perfecta, & qvod majus, ipſius ferè Naturæ leges transgreditur & tranſcendit, & ἀδύνατα qvaſi patrat, dimenſionum qvadantenus penetrationes committendo. Cujus rei exempla omnis propè generis, in monſtris præſertim variis, ſtupenda, etiam in Ephemeridibus noſtris non pauca hinc inde occurrunt. Cum tamen & mihi qvædam interqve illa & illuſtria & ſingularia, domeſtica etiam cognita ſunt, illorum unum aut alterum communicaſſe cum Curioſis haud ingratum fore aut inopportunum puto.

Primum ac facilè præcipuum illuſtre Illuſtriſſimæ Principis cujusdam, cujus nomini Veneratio, qvam Serenisſimæ ejus Domui debeo, parcere jubet, quod ab ore illius proprio, cum Aulæ ipſius qvondam per octiduum adeſſem, Clementisſimè relatum habeo. Illius cum abominabili exemplo arx, in qvâ ab omni hoſtilitate, vi pactæ neutralitatis, ac prolixisſimarum pollicitationum, omnino ſecura reſidebat, inopinatò ex inſidiis occuparetur, ipſaqve Serenisſima oborti circa crepuſculum veſpertinum, in tranquillâ alias Aulâ, inſoliti tumultus cauſam ſciſcitatura per feneſtram in atrium proſpiceret, ac cuidam paucorum quos alebat, præſidiariorum officiali dextram, qua ictum gladii capiti ex improviſo intentatum amoliri tentabat, amputari cerneret, inopino ac triſti ſpectaculo validisſimè commota, ſumma inſuper & inexcuſabili perfidiâ in captivitatem abducta, unâ cum Principe ſuo & liberis, omniqve opulentisſimâ ſupellectili ſpoliata, qvatriduo poſt, partu difficili enixa eſt, Principem, omnibus aliâs numeris abſolutisſimum ac tam corporis quàm animi dotibus, qvod adoleſcens ejus ætas docuit, excellentisſimum, ſed manu dextrâ, qvæ nusqvam apparuit, mutilum. Alterum Baronis cujusdam, qvæ adhuc in hâc Metropoli, utut valetudinaria vivit, quæ cum pridianâ veſperâ juſculum avenaceum paſſulis minoribus maximo cum appetitu avidè comediſſet, poſtridie fœtum peperit illis ipſisſimis paſſulis toto corpore obſitum, quarum aſpectu cum obſtetrix primo intuitu maximè territa, varioloſum ex ipſo utero materno infantem ſe ſuſcepiſſe autumans, & qvid de iis agendum ſubdubitans, tandem eas ungue tentaſſet, illas ipſas eſſe paſſulas priore aſſumtas juſculo adhuc ſuo aliquatenus imbutas deprehendit, easqve poſtmodum omnes lavacro ſuſtulit. Quibus illæ viis è ventriculo in uterum penetraverint, dixerit mihi Phyſiologus

gus aliquis & erit mihi magnus Apollo, niſi aut mentis maternæ & facultatis illius imaginativæ ſpiritualem agnoſcat energiam, vias præter naturæ ſolitas per invia & ferè ſolida invenientem, aut rudimenta illarum paſſularum in ovulo illo etiam ante conceptum, præſupponat. Verùm poſſet fortaſſe qvisqvam ad comminiſcendum ingenioſus, ad exemplum puta Hippocratis, qvi perſpirabile ac penetrabile voluit corpus univerſum præſupponere poris omnia viſcera dotata, per qvos paſſulæ transvehi potuerint; Elemento primi generis aut Æthe-ri Carteſiano patulos dare poſſemus, ſed adeo patentes concedere aut fingere, ut paſſulas transmitterent â juſculo calido turgentes arduum nimis foret. Aliud autem tertii exempli loco promam magis adhuc difficile explicatu, qvod cum Lugduno Batavorum anno circiter 1660. Hagam Comitis priſti veherer tractili, â viro facie ad honeſtatem compoſitâ prædito, modeſtè tamen & ſatis comptè veſtito, mihi alios inter plurimos, illius vecturæ utriusqve ſexus, variæqve conditionis comites, proximè aſſidente audivi. Referebat ille Batavorum, qvi temporis fallendi ergo varios hinc inde ſermones ſerunt, more ſatis libere toti cœtui. Accidiſſe ſibi haud ita pridem, ut uxor partui jamjam vicina appetitu urgeretur Lactucæ comedendæ valdè intempeſtivo, adultâ jam brumâ, cum ejus nullibi ferè daretur copia. Commodè ſibi tandem in memoriam revocatum, hortum aliqvem ſplendidum, ejusqve hortulanum valde curioſum, leucâ integrâ â domicilio ſuo diſſitum: Ut igitur uxoris ſuæ deſiderio ſatisfieret, (uti ſunt hàc in parte Batavi valdè religioſi, nec facilè appetitui prægnantium qvicqvam denegant) pedeſtri ſe itinere illuc ocyus contuliſſe, & utut difficulter admodum ab Hortulano, tantum lactucæ obtinuiſſe, ut patinam mediocrem implere poſſet, domum itaqve feſtinaſſe atqve pro lubitu ſibi parandam illam obtuliſſe, qvæ qvantocyus præparatam cupidè devorarit omnem, vixqve elapſo bihorio infantem pepererit, ipſiſſima illa lactucâ undiqvâqve ſtipatum. Riſu cum â nonnullis exciperetur relatio, ſanctiſſimè conteſtatus eſt, rem reverâ ita contigiſſe. Ubi tam largos qvæſiverimus poros, qvi lactucæ transmittendæ ſufficiant, qvosve accerſiverimus miniſtros, qvi illam infanti circumcirca applicent. Cæterùm nec deſunt mihi domeſtica qvoqve illius maternæ phantaſiæ in fœtum deſpoterii documenta. Filius meus primogenitus ê primo matrimonio dextra natus eſt luxatâ, & incurvâ, eò, qvod octiduum ante uxor carpento vecta, mendicum in tranſitu luxatam ejusmodi dextram oſtentantem vix oculi ictu ſpectaſſet, ab amicâ ſibi aſſidente maturè monita,

ut oculos averteret: Quod tamen vitium ſpleniorum ope poſtea â me correctum, manusqve in integrum reſtituta fuit. Primogenitus ê ſecundo matrimonio, nævum umbræ ſimilem in alvo propè umbilicum geſtat, fuſcum, digitum ferè longum, ac ſi penicillo umbræ colore diluto imbuto, tincta eſſet cutis, eumqve occaſione aranei, qvi uxoris ſub crepuſculo mecum in horto ſpatiantis, ante vultum ſeſe celeriter demiſerat, qvem illa, ignara qvid rei fuerit, manu abactura, fortè fortuna ventrem â fœtu turgentem leviter tetigerat, indicio manifeſto fugacem illum ſub crepuſculo aranei tranſitum celerem & improviſum, confuſam hanc umbræ tantum ideam menti maternæ circa foetus formationem occupatæ impoſuiſſe. Filia ſecundo genita ex eodem matrimonio ruffo crine nata, idq; occaſione viſi â matre ruffæ ê carpento inopinato proſpectantis puellæ capillitio, cum ædem ſacram mecum qvatriduo fortè ante partum adiret. Uxor, qvâ cum tertio matrimonio junctus etiamnum vivo, ê priori conjugio prægnans, militem â commilitone verberibus malè mulctatum, cruentâ facie ſibi occurrentem, ut illatam injuriam ad Vice-Chiliarchum ac Commendantem (liceat voce hâc ſenſu hodiè uſitato abuti) in arce limitaneâ Lochenicenſi, tribus Stetino Pomeranorum, in confiniis Marchiæ ſito fortalitio, qvi tum erat uxoris meæ Maritus, deferret, ex improviſo cernens, territa ſpectaculo illo horrido, ne ulteriùs illud oculis uſurparet, manu dextrâ totam cum utroqve oculo frontem tegit: Quid fit, paulò poſt partu filium excludit, cujus frons tota unâ cum oculorum palpebris, qvousqve faciem manus tetigerat, nævo ſanguinei coloris fœdata erat, qvi tamen ſucceſſu temporis, illo adoleſcente, paulatim diſparuit. Illius ipſius filii coxæ dextræ rubi Idæi ſatis grande & protuberans morum implantavit ſolius phantaſiæ culpâ, ob denegatum mororum illorum avidè concupitorum ſufficientem eſum, eò, qvod vermiculum in ſpiram inſtar ſerpentis contortum, inter illa reperiens, anguis eſſe pullum putans, deterrita, ſimulqve indignata, coxam ſuam dextra percuſſiſſet. Ut hic taceam characterem cupiditatum maternarum abominabilem foetui impreſſum, vitiorum, libidinum, malitiæ, furti ſimiliumque deſideriorum in prolem phantaſiæ Maternæ vitio transplantatum, cujus nuper adhuc tragicum hîc loci exemplum fuit, mulieris ſupplicium decollationis cum deſiderio & gratiarum actione, fortiter ſubeuntis, qvo ab appetitu furandi, â qvo temperare ſibi nullo modo poterat, tandem liberaretur.

(*Miſſæ Berolino Norimbergam d. 14. Ap. An. 1699.*)

OBSER.

OBSERVATIO LVII.

Dn. D. JOHANNIS HENRICI STARCKII.

De Apoſtemate interno.

ANno 1697. die 7. Martii mane vocatus ſum ad ægram, in ædibus honeſtæ matronæ viduæ, qvàm â defuncto marito die Engelſche vocant, hoſpitantem. Erat illa Generoſi Equitis Borusſi Dni Capitanei â Lesgevvang uxor, vigeſimum ſextum annum agens; â primâ infantiâ ſemper in latere dextro dolores moleſtos ſenſerat, ſed ante ſemeſtre, dolores iſti aucti erant valde, & ſæpius hyſterica paſſione labo-raverat per aliqvot annos cum freqventi vomitu, & doloribus acutiſ-ſimis, ſiti ingenti, & magnâ inqvietudine. In latere dextro circa re-gionem hepatis tumor durus magnitudine panis rotundi trium librar. apparebat. Uſa erat hæc ægra Excellentiſſimo Domino Licentiato Gottſcheid, P. P. Extraordinario, qvem etiam apud eam inveni. Sua-ſi ut ſeqventia remedia præſcriberentur, die 9. Martii. ℞. Gumm. am-mon. acet. ſcyll. diſſol. ℈ij. Mercur. dulc. ritè ppt. ℈j M. F. l. a. c. liq. terr. fol. Tartar. pil. N. XL. S. Eröffnende Seiten-Pillen/ davon des mor-gens allezeit zehen Stücke zu nehmen. Seqvens Emplaſtr. loco dolenti in latere dextro, tumori applicatum eſt: ℞. Emplaſtr. de Gumm. am-mon. Nicot. ſecund. Ettm. aa. ℥iß. Sal. armon. ʒj. M. F. l. a. Emplaſtr. ſuper alut. formâ chart. transmiſſ. extenſ. S. Erweichendes Seiten-Pfla-ſter/ qvod die 16. 19. & 20. Mart. reiteratum eſt, & deniqve: ℞. Tinct. antimon. Tartar. in qva Sal. Tartar. rurſus ablatum ſit, ℥ß. d. ad vitr. S. Seiten-Tropffen/ davon des Nachmittags und Abends 50. zu nehmen. Die 11. Martii ſoſtrum dedit dicto Domino Licentiato, Collegæ meo, eumqve dimiſit me inſcio. Mane cum viſitarem ægram, conqueſta eſt de ingentibus doloribus tumoris. Ergo in mentem incidebat apho-riſmus iſte Hipp. Pus dum fit dolores fiunt acerbiores, & conjectura-bam tam emplaſtr. externè, qvam medicamenta præſcripta internè tu-morem iſtum emollire, l. reſolvere velle, qvia tamen inſtabat preci-bus, ut dolores iſti acuti mitigarentur, præſcripſi ſeqvens: ℞. Tinct. croc. ℥j. Spir. Sal. armon. vinoſ. ʒij. Diſſolv. Camph. ʒiß. M. d. ad vitr. ſubere munitum. S. Zertheilungs-Tinctur, damit offt äuſſerlich den ſchmertzhafftigen Ort zu beſtreichen. Poſt illinitionem hujus medicamen-

 ti be-

ti beneficio pennæ plumoſæ, cum ſemper dictum emplaſtr. loco affecto denuo applicatum eſſet, aliqvantulum remiſſionem doloris percepit. Die 13. Mart. ultimas pilulas uſurpavit, & poſt meridiem præſcripſi ſeqventes pilulas, ut proximo mane iis uteretur. ℞. Maſſ. pil. cacheɛt. ſpecif. M. ℥ij. F. l. a. pil. è ℈j. N. IX. inaurent. S. Seiten-Erweichungs-Pillen/ davon alle Morgen neun Stück zu nehmen. Pilulæ iſtæ meæ Cachecticæ conſtant ex Gumm. ammon. galban. ſagap. ſpir. vin. rectif. ſol. Tartaro Vitriolat. Vitriolo Martis debito mod. calc. Sal. Tartari abſinth. arthemiſ. Myrrh. aloe & ol. d. ſuccin. Secundum certam proport. mixt. Præſcripta doſi pilulas die 13. Martii mane aſſumſit. Quid fit? Circa qvartam horam poſt meridiem citò petit matulam, ut urinam redderet, qvæ ipſam urgebat valde, & ad qvatuor libras urinæ uno impetu reddit maximam partem purulentæ & ſubcruentæ, cum aliqvali tumoris diminutione, qvæ intra ſemihoram, qvâ me ad ſe accerſi curabat ægra, ſubſidens in fundo multum puris albi craſſæ conſiſtentiæ, in medio aliqvam ſanguinis partem, in ſuperficie ſuperiore veræ urinæ portionem in ſe continebat. Aſt qvia de ingenti acrimonia urinæ conquerebatur, hinc ſequens, ne urina valde acris internas partes læderet, & ut pars læſa conſolidaretur ſimul præſcripſi remedium: ℞. Ol. amygd. dulc. rec. exp. ℥ij. Spermat. cet. non rancid. ʒiij. Sacch. cand. albiſſ. ʒij. M. S. Heil- und Linderungs-Artzney/ davon 2. Löffel-voll mit warmen Trincken zu nehmen. Veſperi rurſus cum ingenti dolore in urethra, minxit ad 3. libras urinæ ejusdem conditionis. Die 14. Martii manè ſummo reddidit rurſus urinam ad ſex libras, verum magis ſanguineam, qvam purulentam cum dolore minore. Cum ægra valde debilis eſſet, ne copia ſanguinis jacturam virium augeret, & ut etiam ulcus aliquo modo abſtergeretur, ter una die ſeqventibus uteretur pilulis injunxi: ℞. Balſ. de Copaib. ʒj. Balſ. Peruv ʒß. Trochiſc. Gord. pulv. ʒß. Terr. Japon. elect. pulv. ℈j. M. F. l. a. pil. N. IX. è ℈j. S. Heilungs-Pillen/ davon neun Stücke auf einmal. Interim in initio prandii & cœnæ aſſumſit oleum ſupra præſcriptum. Hâc die ad duas menſuras urinæ purulentæ maximam autem partem ſanguineæ ejecit cum diminutione tumoris & doloris. Die 15. & 16. Martii, iisdem medicamentis uſa, eandem ferè urinæ, copiam reddidit. Die 17. Martii oleo conſumto ſubſtitui ſeqvens remedium: ℞. Unguent. virid. potab. rec. ℥iß. Sperm. cet. ʒiß. M. S. Heilungs-Artzney/ davon als eine Wallnus groß zu nehmen/ mit etlichen Löffel-voll warmen Bier/ mit Zuckerkand ſüß gemachet. Usqve ad diem 22. Martii præſcripta remedia

dia repetiit, verum cum minore urinæ copiâ, & qvidem ita ut tumor omnis evaneſceret. Imo cum die 22. mane urinam ſine ullo pure & ſanguine, crudam tamen & qvidem in parva qvantitate redderet, & ſimul de obſtructione alvi conqvereretur ſeqvens præſcripſi: ℞. Spir. chalyb. c. acido parat. ℥ß. d. ad vitr. S. Seiten-Eröffnungs-Tropffen/davon dreymal im Tage 65. zu nehmen. Alvum inde habuit laxam cum majori urinæ, naturalis fere, profluvio. Die 23. iisdem medicamentis uſa fuit ægra cum ſummo levamine & remiſſione omnium ſymptomatum. Die 24. Martii autem cum ægra metueret, ne reliqviæ ulceris in dextro latere adhuc ſupereſſent, ſeqventem pulverem qvater de die uſurpavit: ℞. Arcan. duplic. Mynſ. antimon. diaphoret. Martialis. Lud. Ocul. 69. pulv. aa. ʒß. Sal. abſynth. Myrrh. Flor. mac. aa. ℈ß. M. F. P. div. in qvat. part. æq. S. Seiten-Eröff-und Beförderungs-Pulver/ auf viermal. Hinc urinam reddidit potus aſſumti copiæ reſpondentem, verum in fundo aliqvantulum puris ſanguine mixti ſubſidebat. Die 25. verò Martii ſeqventes ordinavi pilulas: ℞. Gumm. ammon. diſſol. Vitriol. Martialis. lent. igne ad alb. calc. aa. ʒiß. Lapid. hæmat. ppt. ʒj. M. F. l. a. pil. numero IX. è ℈j. S. Eröff-und Beförderungs-Pillen/ davon 12. Stücke auf einmal. Interim in initio prandii & cœnæ uſum unguenti, conſolidantis continuavit. Et cum uſum harum pilularum laudibus eveheret ægra, urinam plane naturalem colore, odore, & conſiſtentiâ reddens, Die 1. April. juſſi ut pilulæ eædem iterarentur, quarum uſum etiam repetiit adhuc per 3. dies. Sed cum 4. April. de obtuſo qvodam dolore, in loco affecto ad me qverelas deponeret, præſcripſi rurſus: ℞. Ol. amygd. dulc. rec. expr. ℥ij. Spermat. cet. ʒij. Sacch. cand. alb. ʒij. M. S. Heilungs-Artzney/ davon dreymal im Tage 1. Löffel-voll mit warm Bier zu nehmen/ cujus uſum deprædicavit valdè, unde usque ad 18. April, eundem continuavit. Hîc per triduum ab omni medicamentorum uſu abſtinuit. Die a. 21. Apr. ob obſtructionem alvi, & ne aliqvid puris in latere affecto ſubſiſteret, ſeqventes pilulas purgantes præſcripſi: ℞. Maſſ. pil. de ſuccin. Crat. Extract. helleb. n. Merc. dulc. ritè ppt. aa. gr. v. Reſin. gialapp. gr iiij. Ol. d. fœnic. gj. C. Eſſent. aloes F. l. a. pil. numero IX. inaurentur. Sexies inde dejecit, & poſt illam purgationem nullos dolores in latere dextro ſenſit, tumor circa hepatis regionem planè evanuit, nec amplius ab hoc tempore paſſioni hyſtericæ obnoxia fuit, quod ipſa mihi ante duas ſeptimanas, cum Maritus ejus conſilium quoddam â me peteret, dixit, & confeſſa eſt die 10. Decemb. 1698.

(*Regiomonte Auguſtam Vind. d. 21. April. An. 1699. miſſa.*)

OBSERVATIO LVIII.

Dn. D. MATTHÆI BLAUW.

De Febre tertiana intermittente maligna.

URſula Neherin/ Lanionis civis noſtratis uxor propè Sexagenaria, temperamenti bilioſi, præterito anno 1694. menſe Septembri corripitur circa meridiem rigore ac horrore febrili cum ſubſeqvente calore nec non dolore capitis, nauſea, ciborum inappetentia, ſiti ac membrorum laſsitudine &c. abſoluto poſt aliqvot horas paroxyſmo, totalis facta intermiſſio, qvæ eadem tamen invaſio tertio exinde Die ſeu 48. Dierum ſpatio cum iisdem prorſus, ut antea, accidentibus febrilibus rediit, ex qvibus nil aliud concludere licebat, qvam ægram laborare febre Tertianâ intermittente vulgari & benignâ, qvæ in hoc loco freqventiſſima eſt. Notandum autem, qvod ex mala conſuetudine & neglectione plures inter plebeios hic ſint homines, qvi hac febre laborantes haud dubiè ut ſumptibus parcant, pro Cura Medicos priùs non conſulant, niſi proprio damno experiantur, graviora accidere, vel febrem ſponte non cedere, aut contumacem evadere: qvod & febricitanti noſtræ (aliàs pro ſuo ſtatu ſat opulentæ) accidit. In tertia autem febris acceſſione paroxyſmus longe acerbior & vehementior rediit, prout in ſubſeqventibus reliqvis, dum qvidem febris ordinarium typum de tertio in tertium ritè ac periodicè obſervabat, ſed absq; ullo amplius rigore aut frigore; ægra toto paroxyſmorum tempore, præter ſummam virium debilitatem, pulſum languidum, linguæ ſiccitatem & motum convulſivum in labiis, erat ad ſomnum maximè proclivis & verè comatoſa cum ſumma oblivione, ita ut poſt ſuperatum paroxyſmum, qvæ priùs circa exhibitionem extremæ unctionis Sacramentalis aliaq; contigêre, nil amplius recordata fuerit; extra paroxyſmos autem præter ſummam membrorum laſſitudinem, qvæ ægram continuò in lecto ſe continere cogebat, de cœtero ſine ullo latentis aut ſimul conjunctæ febris continuæ judicio, bene ſe habebat, usq; dum poſt aliqvot paroxyſmos ſemper magis magisq; ſucceſſivè decreſcentes ex remediorum præſcriptorum uſu febris emanſit & ægra reconvaluit.

SCHOLIUM.

QUemadmodum in praxi Medica inter febres, hiſce præſertim in locis, nulla frequentior occurrit qvàm tertiana intermittens, ſic è contra

è contra nulla rarior tertianâ intermittente malignâ, qvam obſervare practicis contingit rariſſimè; qvæ propterea paucis forſan nota eſt, eô qvod febres intermittentes malignas dari non ſolùm pleriqꝫ Veteres non cenſuerint, ſed plures etiam Recentiores tales non agnoverint, & omnem febrem intermittentem qvàm primùm deprehendunt, â malignitate liberam pronunciant: qvâ de cauſa cum tertiana intermittens maligna à potiſſimis Authoribus practicis non proponatur, eaqve tam vulgaris non ſit, hinc eam dari, Medici haud pauci non credunt, qvia fortaſſis eam in praxi non obſervârunt, aut non agnoverunt, ſed benignæ inſtar tractârunt, qvi propterea ex hoc errore in ſuo ordinario tertianæ febris prognoſtico qvandoqꝫ decepti ſunt. Dari autem talem febris ſpeciem malignam dicendam, non ſolum tradunt Recentiores qvidam, inter qvas Excellentiſſimus D. Doct. Elias Rudolphus Camerarius Profeſſor Tubingæ Anno 1692. diſputationem publicam de febre tertiana intermittente maligna edidit, mihiqꝫ communicavit, ſed ipſa probat experientia, qvâ ipſemet tales caſus in diverſis ſubjectis & diverſis accidentibus obſervavi, uti ex præſenti obſervatione apparet. Similis qvodammodò caſus legitur in Ephem. Germ. Decur. tert. anno 3. obſ. 138. à D. Doct. Carolo Raygero Medico Poſonienſi deſcripta, ſub titulo febris tertianæ intermittentis comatoſæ, qvamvis non tantum Comate, ſed aliis etiam ſymptomatibus v. g ex Delirio, vigiliis pertinacibus, Syncope, cardialgia, ſingultu, vertigine, convulſionibus, ſiti vel prorſus nulla vel nimis intenſa, extraordinariâ ſummâ membrorum laſſitudine ac dejectione virium ægrum etiam apyretias tempore in lecto decumbere cogente, aliisque febri tertianæ intermittenti benignæ inconſuetis accidentibus ac gravioribus inſolitis actionibus tam vitalibus quàm animalibus enormiter læſis, deprehendi poſſit malignitas in febribus intermittentibus ſimpliciter talibus ſeu alteri cuidam morbo non conjunctis. Nam quemadmodùm in continuis & acutis tam ſimplicibus quàm compoſitis poteſt adeſſe vel abeſſe malignitas (de qua tamen ordinariò acutæ aliqvid in ſe participant, vel ut plurimum ſemper ſuſpectæ ſunt) qvod ex ipſa graviorum & inſolitorum ſymptomatum aut contagii præſentia vel abſentia cognoſcitur, ſic & intermittens præſertim tertiana qvæ ratione citioris motus & vehementiorum ſymptomatum reſpectivè loqvendo ſatis acuta eſt, cur non eadem interdum malignitatis qviddam in ſe continere poſſit, non video, præſertim cum etiam hæc ipſa epidemicè nonnunqvam graſſari ſoleat, uti tam ego in his, qvam

qvam alii in aliis locis experti ſumus: qvamvis hoc non ideo dictum velim, ac ſi omnis morbus epidemicus neceſſariò malignus; vel quivis malignus ſemper epidemicus eſſe debeat, utpote de qvo contrarium omnibus notum eſt. Solet proin hæc febris tertiana intermittens maligna ad modum omnibus malignis conſuetum ſubdolè agere, dum non ſtatim primo aut ſecundo, ſed ſæpe demum tertio aut qvarto die malignitas in apertum prodit, qvæ clanculô illudit & maximè decipit, pſeudopoliticorum more agens, ſignis ſcilicet externis ac verbis blandis vultum ſuavem præ ſe ferens,釘 internè verò venenum reconditum continens ac paulò poſt truculentum com̃onſtans; ad qvam detegendam fraudem magnâ opus eſt Medici prudentiâ, ut hoſtis aſtutiam tempeſtivè ſubodoret, neqve ſuam famam & febricitantis vitam ſecurô nimis prognoſtico & certa reconvaleſcentiæ ſpe factâ, periculosè proſtituat, eventu poſtmodùm funeſtè accidente.

Quando igitur & ſignis ſupra deſcriptis latentem malignitatis fraudem ſubolet Medicus, certò præſumere poteſt febrem non dependere à vulgari benigno febrili fermento, ſed deterioris conditionis humores in cauſa eſſe, qvi veneni inſtar agentes majorem & extraordinarium à ſtatu naturali receſſum cauſantur & tam inſolita atqve atrocia ſymptomata producunt; tunc ſine mora malignitati obviam eundum & antifebrilibus bezoardica ſeu alexipharmaca admiſcenda, vires confortantia adhibenda & accidentibus gravioribus maximè urgentibus inſiſtendum &c. In caſu præſenti ſeqventia fuerunt bono ſucceſſu adhibita; inprimis præmiſſo una vel duabus horis ante paroxyſmum leni vomitorio, præſcripti ſunt pulveres antifebriles præcipitantes ſimulqve alexipharmaci ex C. C. ppt. Sale abſinthii, bezoard. miner. unicorn. foſſ. cort. peruvian. & lap. bezoard. &c. Item ſeqvens potio vel mixtura antifebrilis ſimulq; bezoardica: ℞. Antimon. diaphoret. ʒß. Sal. abſinth. ℈j. Sal. corn. cer. vol. bezoard. miner. aa. ℈ß. Syr. de ſucc. C. B. ℥iß. Aq. C. B. fumar. aa ℥iiß. liq. C. C. ſuccinat. tinct. bezoard. ana ʒj. M. F. pot. pro 2. doſ. horâ unâ ante paroxyſmum ſummenda; pro virium confortatione & ad malignitati febrili reſiſtendum utebatur ſeqventi Electuario molli. ℞. pulv. alexipharmac. ℈ij. ſpec. liberant. ʒß. confect. de hyacinth. ʒß. alkerm. ʒij. conſerv. roſ. rubr. vitriolat. ℥ij. citr. e. pulp. ℥j. Syr. de cort. citr. q. ſ. M. pro elect. de qvo ſæpiùs interdum, etiam tempore paroxyſmi aſſumatur qvantitas nucis majoris. Cæterùm omiſſa V. S. profuit veſicatorium; & ſp. C. C. volat. qvo in ipſo paroxyſmo nares & tempora inungvebantur: unde febris profligata.

OBSER-

OBSERVATIO LIX.

Dn. D. MATTHÆI BLAUU.

De Lotio bufonis ophthalmico.

CAſum refero qvi mihimet ipſi contigit, qvemqve ſummè nocivum fore meritò timui, ſed (Deo ſint grates) innoxium expertus ſum. Cùm anno præterito menſe Octobri in Inſulam Augiæ divitis ad phlebotomiam autumnalem ordinariam in monaſterio Ord. S. Benedicti ibidem inſtituendam vocatus eſſem, celebratis V. Sibus poſtea cum D. D. Religioſis horis pomeridianis in Inſulam ambulatum egreſſus ſum: & ecce nobis occurrunt in via & circa Inſulæ ſepimenta variæ magnitudinis bufones magnâ & inſolitâ copiâ, qvos religioſorum qvidam exercitii gratiâ lapidibus perſeqvebantur, & ego prægrandes qvosdam gladio transfodiebam, qvos inter unus, qvem transfoſſum enſe tenebam, magno impetu lotium in faciem & ipſum dextrum oculum usqve evibravit, ex qvo ingentem pruritum dimidiæ horæ ſpatio perdurantem ſentiebam, nec immeritò metuebam, gravem oculi & viſus læſionem exinde ſuborituram eſſe, aſt domum reverſus, oculum prurientem vino mox collui, unde dolor paulò poſt remiſit, & non ſolùm qvoad viſum & oculum nihil damni aut mali percipiebam, ſed ſanctè aſſeverare poſſum, qvòd ab illo tempore longè perfectiorem & acutiorem viſum in oculo dextro acceperim, & (Deo ſint laudes) etiamnum poſſideam, dum è contra antea ex defluxionibus, ventis auſteris, & itineribus qvovis cœlo & anni tempore peractis, ſæpiùs oculorum rubedine & nonnulla viſus obſcuritate affectus fueram, qvorum incom̃oda præſertim in dextro oculo interea nulla ampliùs perſenſi.

SCHOLIUM.

HAud inanis ex hoc accidente caſualiter facto mihi metus incutiebatur, ſatis gnaro, bufonem verè venenatum eſſe, & teſte *Kirchero* terreſtris toxici & contagioſæ virulentiæ burſam magneticam non immeritò dici poſſe, atq; venenum ſuum mictu, ſalivatione, & vomitu eructare, qvibus tam homines qvàm alia animalia & plantas inficit: proinde experientia docuit, hominem vel in ipſo loco, ubi bufo conſederit, mox infici & vehementibus ſymptomatibus agitari, imò ſolo afflatu nocere poſſe, uti teſtatur author citatus, & *Paræus* de ve-

nenis L. 20. cap. 24. inſuper idem ait Doctiſſimus Kircherus in ſcrutinio peſtis Sect. 3. cap. 6. p. m. 117. bufonem homini maximè inſidiari, dum eum *oculorum halituoſa virulentiâ afflatuq; exitiali omnibus modis ſiderare nititur, & quoniam diſſitum non ſemper oportuno aſpectu adoriri poteſt, hinc naturali ſibi inſito liquore lotioque virulentiſſimo, quod in diſſitos vibrat, hominem aggreditur, ut vel hoc pacto rabiem ſuam ſatiet &c.* qvod de bufonis veneno aſſertum tanto viro ob celeberrima & æſtimatiſſima Scripta toti litterato orbi notisſimo & fide dignisſimo nemo diſputabit, etſi forſan hoc in dubium vocari posſit, utrum in omni ſolo hoc animal æqvali virulentia imprægnatum reperiatur? qvod experientiæ repugnat: eqvidem credibile in Italia & Sicilia aliisq; regionibus meridionalibus utpote calidioribus reperiri venenata animalia longè acrius & potentius venenum in ſe continentia (uti apparet in ſerpentibus, viperis, ſcorpionibus &c. qvàm in hiſce noſtris terrarum plagis ſeptentrionalibus reſpectivè frigidioribus, in quibus tamen non negandum & multiplici experientia compertum eſt, bufones ſuo non carere veneno, prout exemplo mihi conſtat in ruſtico qvodam in pago Fridingen propè Riedlingam Sueviæ, cujus in horto ſuo dormientis faciem bufo irrepſerat, ex qvo ille expergefactus, mox ingenti tumore flavo & ſublivido reliqvas corporis partes petente afflictus fuerat, ut non niſi fortisſimis antidotis internè & externè adhibitis ejus vita ſalvari potuerit: ex qvo apparet latens in bufonibus venenum, idq; non tantùm intro aſſumptum ſed etiam externis partibus humani corporis communicatum ſummè pernitioſum exiſtere, etſi à vulgo pro tali apud nos non habeatur. Quod verò mihi bufonem incautiùs tractanti lotium ejus in faciem meam & oculum evibratum non tantùm læſionem nullam intulerit, ſed potius remedii ophthalmici inſtar, viſum antea non nihil obfuſcatum magis acuerit, hujus tam inſperati effectus cauſam & rationem prudentioribus examinandum relinqvo, deſuper meum impræſentiarum judicium ſuſpendens, interim tamen nulli ſuaſor ſim, ut tam periculoſum oculis ſuis collyrium adhibeat. Hoc tamen adhuc hiſce ſubjungo, Inſulam hanc in lacu Acroniano inferiori ſitam, locum priſcis temporibus fuiſſe omnino ſylveſtrem, nemoroſum, paludoſum, deſertum & incultum, plurimorumqve venenatorum animalium habitaculum, in qvo olim *Pirminius* vir Sanctitate clarus pro ſe ac ſociis ſtudioſè eremum qværens, anno poſt Chriſtum nat. 824. cùm in opere ſuo aptam hominibus habitationem conſtruendo, à nimia totam Inſulam longam & latam occupante virulentorum vermium

mium, buſonum & ſerpentum copia multum impediretur, precibus piis â Deo obtentâ gratiâ effecit, ut per benedictionem ſuam ejusmodi venenata animalia ex Inſulari terra in aquam confugere adegerit, & ſi quæ invenirentur hominibus porrò nocere haud poſſent, neque ullum conſtat exemplum quòd aliqua ex iis noxa hominibus illata ſit: ſimilem planè in modum, quo divus olim Paulus Apoſtolus Melitenſem inſulam à virulento ſerpentum contagio liberavit. Unde factum, ut in Inſula ſucceſſivè exculta, cænobium olim totius Germaniæ celeberrimum exſtructum fuerit, *Augia dives* nominata, qvod nomen etiamnum retinet locus, ſitum habens in tota vicinia amœniſſimum jucundiſſimumqve, in quo præclara & antiquiſſima monimenta reperiuntur &c.

(*Friburgo Briſg. Auguſtam Vind. die 24. April. Anno 1699. miſſæ.*)

OBSERVATIO LX.

Dn. D. SAMUELIS LEDELII.

De Cuticulæ corporis, intra menſem trina depoſitione, ſalvis unguibus & capillis.

Curioſiſſimus Dn. D. Albrecht An. 3. Dec. 3. Obſerv. 124. Ephemer. noſtrarum, eleganter & judiciſiosè diſcurrit de cauſa hujus Affectus, intra corpus latitante. Quia autem in Praxi mea, quaſi quaſi, ejusdem fermè argumenti Obſervatio occurrit, eapropter illam communicare non erubui, ob varietatem circumſtantiarum hic intercurrentium.

Mercator noſtras, Vir ſtatæ ætatis, diætam parùm curans, Anno 1698. nundinas Numburgi ad Salam habendas viſitat, in medio autem itineris curſu corripiebatur pruritu totius corporis, ſubſequentibus puſtulis ſero repletis. Iter taliter qualiter abſolvit, & domum dum repetiit, malum indies augmentum capit, cum tumore faciei, manuum & pedum: dolor partium, præter pruritum, exſurgebat, turgente ſero ſub cuticula, eamque acredine ſua exedente & lacerante. Vocatus & conſultus, ſtatim dabam interna ſanguinem depurantia, acrimoniam ſeri inhibentia, & lenem ſudorem moventia. Mitigato erodentis lymphæ furore, pruritus & dolor aliquid remittebant, ſerum tamen guttulatim hinc inde ſcaturiebat per laceram cuticulam quod lintea munda imbibebant, & certus pulvis quadantenus exſicca-

 bat,

bat. Verùm quid erat? niſi induciæ: exſiccato ſero nova cuticula prodire videbatur, vix autem aliqualem ſoliditatem nacta, ſerum, veluti per cuniculos agens, de novo turgeſcere incipiebat, cuticulamque attollendo, diſrumpebat, & qua data porta proruebat & effluebat, idque trina vice intra menſis ſpatium. Appetitus erat mediocris, nec clamoſa ſitis, quies tamen nocturna lamentabilis, ob exeſam cuticulam & pruriginoſum dolorem. Cereviſia antiſcorbuticis herbis medicata, & decoctum lignorum multum dabant auxilii, & ſic ex DEI Gratia rivuli pororum cutaneorum è glandulis miliaribus prodeuntes, exſiccati & clauſi, cuticulæ juſtam cohæſionem & debitam conſiſtentiam largiebantur, omni malo ad pedes demùm devoluto. Exturbabam itaque has reliquias pilulis è mercurio dulci concinnatis, ſubjunctis antimoniatis & viperinis, cum balneo aqvæ dulcis. Omnes qui ipſum decumbentem viſitabant, dicebant de accepto veneno, ob excoriationem. Inquiſivi in minutisſima, & quia omnis generis piſces apud nos venum exponuntur, præprimis hoc Anno, ubi ob Viadri maximam inundationem copioſos & etiam inconſuetos vidimus piſces, hæſi in opinione, an non aliquid noxii his ipſis obtinuiſſet. Verùm omnia fruſtra. Carnes aſſatas, comites itineris aſſumpſerat, & in diverſoriis ova, juſcula, carnes ſanas, comederat cum ſociis. Ergò concludebam apparatum morbificum coacervatum in corpore. Amant noſtri carnes ſuillas recentes & fumo induratas, piſces item omnis generis, & vivos & mortuos, cancros quoque è variis fluminibus, bibunt vina auſtera, qvalia per aliqvot Annos hic fuerunt, cereviſiam item fecibus repletam & vix 10. à coctione die potandam. Judicabam morbo huic ſuum itidem contuliſſe ſymbolum, Tempeſtatem hujus Anni variabilem, modo enim calor nimius nos urebat, modo frigus nos premebat, intercurrentibus imbribus copioſis. Curabam huncce ante aliqvot annos morbo Cephalico, maniam minitante, detentum. Hæc omnia ſufficientia fuere generandi ſalia ſcorbutica ſanguini & lymphæ communicanda, qvæ deinde bonitate naturæ, accedente ſimul commotione, in itinere inſtituta, partes petiere exteriores, huicque malo primitias dedêre. Pauco interjecto tempore, dum putabamus nos omnia ſuperaſſe mala, & ægrotus noſter ſocietati hominum ſe iterùm immiſcebat, gratulationesque de reſtitutione colligebat, de novo male habere incipiebat. Ruminabat obitum uxoris, intermiſſos ob decubitum labores examinabat, & cum detrimento rei familiaris conjunctos offendebat, nundinarum infelicitas ſuum

etiam

etiam contribuebat : ergò penitus confuſus & fermè deſperatus, ſui negligens, diætam poſtponebat, vineam aliqvando freqventans, pruna legebat plurima, & ventriculo jejuno obtrudebat, dein aliis eſculentis pro appetitu inhiabat, vino qvoqꝫ acido appetitum excitabat, & ſic novum apparatum morbificum colligebat, exinde ingruebat affectus aſthmatico-ſcorbuticus cum palpitatione cordis, & metu ſuffocationis, imò antiquus Capitis affectus de novo concurrebat cum ſenſu obtuſo, ita ut planè ſibi non eſſet præſens. Sopitis his malis, demùm intellectus plenè redibat, æger autem omni poſthabito ſelectu ciborum, qvicqvid in buccam veniebat, comedebat, & ſic fundamenta cachexiæ ponebat, qvæ vires ſumens, atrophiam illiciebat, comitatam tumore pedum, & diſſolutione virium, lentaqꝫ morte tragœdiam hancce finiente.

OBSERVATIO LXI.

Dn. D. SAMUELIS LEDELII,

De Evomitione vermis.

RUſticus 26. annorum in pago Drena, hoc ipſo Anno 1699. menſe Febrnario derepentè corripitur dolore cordis lancinante, *es freſſe Jhn ums Hertze/* cum difficultate reſpirandi, & ſubitanea virium proſtratione metuqve repentinæ mortis. Conſilium itaqve celeranter qværunt apud Nobilem Dominam, cum paupertas alia remedia intercluderet. Hæc conſilium in arena capiens, quum Annus hicce defluxiones & deſtillationes plures nutrierit, putat adeſſe catarrhum ſuffocativum, ob reſpirationem difficilem, porrigit itaqꝫ oleum lini recenter expreſſum. Aſſumit ſtatim ægrotus, nec tamen inde levatur, ſymptomatibus ſupra notatis continuantibus, ſentit præterea continuò nauſeam cum ſumma anxietate. Jacet ita ut moribundus per aliquot dies, tandem inſurgit natura, omnibus collectis viribus & unico ſatqve forti vomitu exturbat ſaburram vitioſam & pituitoſam è ventriculo, cum verme, qvinqve transverſos digitos longitudine æqvante, leniter ſeſe adhuc motitante, ſtatim autem moriente : caput primam articulationem digiti indicis æqvaverat magnitudine. Hoc exantlato labore, cardialgia evaneſcit, reſpiratio exiſtit facilior, & cibo potuqꝫ refectus, indies priſtinas recolligit vires, plenè jam ex Dei Gratia valens.

lens. Adſtantium judicium erat quod præterita æſtate ſeminium hujus vermis cum impura aqva imbiberit.

OBSERVATIO LXII.


Dn. D. SAMUELIS LEDELII,

De Conditoriis urnarum Germanorum.

DIes diem docet, id qvod & in noſtris Curioſitatibus obvenit. Deſcripſi Ann. I. Dec. 2. Obſerv. 36. Ephem. noſtrar. vaſa effoſſa, qvæ Germanorum veterum urnas eſſe, jam ex uberiore relatione patebit. Ad eruendos lapides pro certo ædificio D. Reiche junior, hos aggeres in loco deſcripto fuit aggreſſus, poſt meum ad Gorlicenſes à Grunberga abitum, & qvia plurima iſtiusmodi vaſa eruit, ideò ſtudio ſingulari tales monticulos cautè denudavit, lapides removendo, terramqve inſtratam diſpergendo. Lapidibus ordine poſitis ſeptum circulum invenit, & qvidem mole maximis, qvos 5. vel ſex perſonæ vix potuerunt amovere. Ambitum circuli ſive locum urnis deponendis conſecratum repperit aliqvando lapidibus minoribus ſtratum, wie unſer Stein-Pflaſter/ an autem ubiqve ſic fuerit, certò determinare neqvivit. Cæterum nulla calce firmati lapides inventi, ſed, ſoli arenæ circulari forma inſerti. In hoc totius familiæ urnæ fictiles fuere reſervatæ. Uti autem una familia numeroſior alterâ, ita etiam diſparitas numeri urnarum ſeſe exerebat. In aliqvibus circulis qvatuor offenderunt urnas ſepulchrales, in aliis tres, in aliis qvinqve, imò ſeptem in qvibusdam. Urna externè elegantioris formæ, variis lineis & figuris picta, qvatuor clypeis ornata, internè monſtrabat ſtrias auro coloratas, wie vom Rauſch-Golde beſtrichen/ viſu decoras. Urnarum color externus varius, partim luteus, cinereus, gryſeus, partim ad nigredinem vergens, aliæ politæ, aliæ non item, qvædam ex glarea & arena, qvædam ex mixta & impura terra, aliæ circulares cum duabus anſis parvis, aliæ absq; anſis, qvædam qvatuor oſtendunt monticulos, variis lineis pictos, absq; manubriolo, alvum qvædam habent capacem, collum anguſtum oblongum, qvod tamen variat, dum qvorundam colla longiora, aliorum breviora inventa fuêre. Figuras aliqvot noſtris ſimiles offendes in Jacobi à Mellen Hiſtoria urnæ ſepulchralis Sarmaticæ. Urnas ipſas qvod attinet, aliqvot fuerunt coopertæ & clauſæ, aliqvot non, præprimis minores plerumq; fuerunt absq; operculo.



BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY


fig. V. p.103.
fig. VII. p.144.
fig. VI. p.103.

culo. Omnes capaciores tectas conſpexerunt operculo, in qvibusdam contuſo & comminuto: & ſic honoratiorum oſſa in capacioribus urnis depoſita, clauſurâ ſingulari ſtudio fuerunt cohoneſtata. In centro veluti circuli ſeu medietate, major Urna ſtetit, cui à ſiniſtro latere adhæſit urna aliqvantulum minor, capax tamen, & geminam hanc urnam, veluti primariam cingebant aliæ minores magnitudine differentes. Primaria urna ſemper ſuprà operculum poſitum habuit unum, duos imò & tres lapides majores, qvi interdum comprimendo & aggravando urnam comminuerunt. Materia urnas capaciores replens fuerunt oſſa comminuta, albicantia, prunæ, arena cineribus commixta, in minoribus urnis nil niſi arenam flavam conſpexerunt, nunqvam autem oſſa, prunas, cineres, exceptis duabus inter centum. Prunas qvod attinet, in & extra urnam repertas novimus, ſiqvidem combuſtionis veſtigia etiam lapides magni operculis urnarum impoſiti, oſtenderunt. Oſſa combuſta admodùm comminuta, ita ut qvicqvid fuerit vix dignoſci potuerit, particula tamen cranii, coſtæ & molæ aliqvando viſa. Uti ſuprà notavi, grandiores urnæ ſemper cinctæ minoribus, tres tamen capaciores, absqve comitibus inter numero plures inventæ. Varia utenſilia his urnis aſſociata, calix fictilis cum anſula, & in hac foramen, alia item vaſcula variæ formæ: magnum cochlear cum manubrio, qvalia in urnis videmus. Urna grandior elegantioris ſtructuræ & formæ phialam ſeu vas vitreum appoſitum habuit, humore limpido repletum, qvod operarius improvidè oculis & manibus tractans, fortè è manibus cadere ſinit, lapidibus illapſum & fractum. Videſis Decur. 3. Anni I. Obſerv. 94. Amiciſſimi noſtri Valentini. Æneæ acus aliqvot repertæ qvoqve, qvarum figuras adjecta Charta monſtrat. Fig. V. Materia harum æs erat aut vilius argentum, erant præterea vitro viridi incruſtata, von grünen Schmeltz/ id qvod rubiginem prohibuerat. Harum acuum aliqvot viderunt apud contuſam urnam, unamqve in ipſa urna. Curvus culter, qvem Fig. VI. dat, ibidem qvoqve viſus, apud urnam, qviqve adhuc aſſervatur, ut Curioſis monſtrari qveat. Annuli itidem metallici inventi, & apud urnam fruſtum ferri inſtar ſagittæ, fibulæ qvoqve. Annulus aliqvis formatus inſtar noſtrorum annulorum qvo matrimonium firmamus, propè contuſam urnam jacuit, viridi vitro incruſtatus, ut & gemina fibula. Metalli fruſta nulla in conditoriis noſtris unqvam offenſa. Annulorum, fibularum & acuum eadem materia metallica, de qva conſultus Aurifaber nihil certi afferere valuit, niſi qvod dixit: Es

wäre

es wäre faſt wie acht=löthig Silber. Plures nummos apud qvasdam urnas collegit certus ruſticus ante qvadraginta annos, ſuppresſit tamen ne Domino fundi cogeretur extradere, aurifabroq; clanculum vendidit. Unicus nummus argenteus à noſtris fuit repertus, ſimilis Antiqvorum Romanorum numiſmati. Capaciſſimam urnam, aut ſi mavis, Vas fictile, qvale usqve huc nec vidi in ſcriptis, nec alibi, in agro Grunbergenſi inventum, monſtrabat mihi D. Reiche, mercator, & adhuc ſervat. Chriſtianſtadii ut & Jeſchkendorffii in Comitatu Sorano, varia effodiuntur vaſa figlina, qvæ an noſtris poterunt aſſociari urnis, in poſterùm erit occaſio inqvirendi.

Fig. V. & VI.

OBSERVATIO LXIII.

Dn. D. SAMUELIS LEDELII.

De Odore mortis indice.

VAria mortis indicia in vita communi occurrere, qvotidianum eſt. Hoc Anno 1698. obibat illuſtris Perſona ſeqvioris ſexus, humoribus ſcatens ſcorbuticis: hæc aliqvot ante mortem diebus, non cadaveroſum, ſed dulcem ſpirabat odorem, nauſeabundum tamen. Advocatus dum intrabam conclave, ſtatim odor hicce nares feriebat, inqvirebam itaq; unde hic odor? Adſtans Chirurgus reſpondebat, exhalat ab ægrotante, & jam per aliqvot dies animadvertimus. Paululum ſubſiſtens in conclavi, ſentiebam è corpore decumbentis talia effluere miasmata, qvamobrem cum præter alia mortifera ſigna, & hocce concurreret, prædicebam mortem. Notat enim diſſolutionem humorum, ſalibus rebellantibus, & fermentationem ad corruptionem vergentem. Dum asſidebam ægrotæ ad ſemihoram & ultrà, non tàm nauſeabundus erat odor, qvam cum in liberiore aura commoratus, iterùm accedebam, tum enim naribus valdè moleſtus exiſtebat.

OBSERVATIO LXIV.

Dn. D. SAMUELIS LEDELII.

De Veſpertilione mortis nuncio.

VEſpertiliones in cellis & locis obſcuris nidulari, novum non eſt, id qvod anſam dedit ſubſeqvens annotare. Poſt tricennale Germanorum

manorum bellum, aurea pace redeunte, vocabatur à Comite de Promnitz, ad Diaconatum Soranum, Parens meus piè defunctus. Dum itaq; Mater p. m. in domo Parochiali prima vice cellam viſitat, veſpertilio circumvolitans terret matrem, qvæ relicta cella hypocauſtum ingreditur, patriqve viſa narrat. Repetunt cellam cum ancilla nihil tamen amplius vident de hacce ave. Anno 1670. cellam freqventans Mater, ex improviſo iterùm conſpicit veſpertilionem, qvem per viginti Annos non viderat, neq; in cella, neq; in domo: exinde valdè conſternitur, & variis ſe macerat cogitationibus, nemini tamen explicat, qvid autem ominari debeat, neſcit. Aliis interim negotiis detenta domeſticis, rem oblivioni tradit. Poſt paucas ſeptimanas Parens Apoplexiâ forti celerè viventium numero eximitur, hinc putat Mariti mortem indicaſſe Veſpertilionem denuò apparentem. Fateor, multoties rem examinavi, & tandem ad haſce deveni cogitationes: fortuitum eſſe, qvod primo ingreſſus Anno veſpertilio ſe monſtravit, & intra viginti annos, non amplius, niſi ultimo, qvo laribus hiſce mei valedixerunt, anno. Veſpertilio lugubribus ſi annumerandus venit avibus & lucifugis noctuis, res ſolutu facilis. Domum invenerunt vacuam noſtri, extincto priore Diacono, & ſtetit ita per aliqvot ſeptimanas absqve inqvilinis, hinc facilè fieri potuit, ut apertis feneſtris & januis, ad diſcuſſionem halituum ſilente nocte, veſpertilio intraverit & cellam pro habitaculo elegerit. Matre autem prima vice cellam petente, & candelam ardentem manu tenente, excitatus veſpertilio, retrogredientem volatu fuit inſecutus, liberiorem qværens aërem: Semel autem egreſſus ob clauſas fores, redire neqvivit. Huc accedit, qvod numeroſa familia in anguſta domo huic hoſpiti nullum amplius conceſſit locum ſemet abſcondendi, pueris omnes domus angulos perreptantibus & viſitantibus. Muſæ amant ſilentium, idem & hæ nocturnæ aves, ergò hic illis nullum aſylum aut domicilium. Qvod autem ultimo abitus Anno, & B. Patri emortuali, rediit, caſu itidem factum: anqve idem qvi primo ſe monſtravit, an alius fuerit veſpertilio, decidere difficile eſt, qvamqvam ultimum videtur probabilius.

Ratio cur Animalia qvædam mortes hominum præſagiunt, adſcribitur miaſmatibus è corpore languido prodeuntibus, qvæ ſagacioris naris animalia præſentiunt. Ergo & hicce veſpertilio effluvia ſenſit è corpore B. Patris morbido emanantia, & qvia numeroſa familia tum erat imminuta, potuit effluviis allectus, latere in domo, & matrem in cellam euntem prælucente candela, volatu comitari. Hæc mea

eſt ſententia, nam ad divina aut diabolica hic confugere, ineptum puto. Hoc tantùm addo, qvod varia iſtiusmodi in vita communi occurrentia, qvorum ratio non tàm facilè erui poteſt, falsò adſcribantur cauſis ſupra naturalibus.

OBSERVATIO LXV.

Dn. D. SAMUELIS LEDELII.

De Morte à butyro.

BUtyrum venenis reſiſtere, notum etiam eſt in ſchola vulgi, hinc manè ſi comedatur, aureas continere virtutes, affirmatur, mortem autem intuliſſe, hic leges. Illuſtris Eqves de Schachtman referebat mihi, qvod, poſt depulſum à Vienna Turcarum exercitum, ſub magno Saxone, cepiſſet Turciſſam cum infante. Hæc qvia aliqvoties audiverat, qvod infanti ſacrum Baptiſmatis lavacrum eſſet deſtinatum, qvamprimum hicce heros patriam reviſere poſſet, ideò eò malitiæ devenit & deſperatum hocce conſilium cepit. Omni die infanti aliqvoties infudit butyrum calidum, idqve continuavit ad maciem usqve, & tandem ipſam mortem. Fecit hoc ſummo ſtudio, Muhammetiſmo penitus faſcinata, ne infans per Baptiſmum Chriſtianis aſſociaretur.

(*Grünebergâ Sileſiorum die 3. Maji, Anno 1699. Norimbergam miſſæ.*)

OBSERVATIO LXVI.

Dn. Lic. CHRISTIANI FRIDERICI GARMANNI.

De Hyoſcyamo Alterco.

VIr pannificium exercens & Conjux ejus, cum aliqvot annos concorditer & mutuo amore vixerant, ex improviſo verba inter ſe commutare, & iracundiâ incitati, ſæpius in maledicta compellabantur, ita, ut verba inſolentia & contumelioſa dando & accipiendo ad verbera dilaberentur. Maximè verò, utut concordes animorum mutationem ſentiebant hypocauſto concluſi, in qvo ad rabiem qvaſi converſi, primum rixis & contentionibus, poſt plagis & pugnis maritus maritam

tam invadebat, qvæ ut ſeverè & vehementer vindicaret, toto nitebatur ſanguine. Dolebant extra hypocauſtum conſtituti vicem hanc ſuam Conjuges, & vicinos non leviter conſternebant hæ animorum dividiæ. Curioſiores aliqvid magici ſub his latitare, ſuſpicabantur, adeoqve omnes hypocauſti primùm & poſt domus angulos, rimas, loculamenta & receſſus exqviſitè excutiendos decernunt. Qvod ubi factum, in ſuperiori Textrinæ, in hypocauſto conſtitutæ, parte magnam ſeminis Hyoſcyami chartæ involutæ qvantitatem inveniunt: qvo ſublato, oppidò animis temperies rediit, & *Omnis ceſſavit contentio, murmur & ira.*

SCHOLIUM.

§. 1. Hyoſcyami vox fabam ſuillam notat; Fabam ſuis Arcadicæ *in Antidoto (apud Galen. l. 9. d. compoſ. med. c. 4. p. m. 945.)* vocavit *Philo.* Rationem ex *Æliano* dedit *Joh. Ruellius (l. 1. d. Nat. Stirp. cap. 20. p. 89.)* qvod paſtu hujus herbæ reſolvantur & convellantur Apri, qvi tamen aqvas protinus adire & cancros venari, ſi fabula vera eſt, & ſic rabiei mederi, dicuntur. Barbaris ut eſt *apud Martinum Sylvaticum (in Pandect. Med.)* Hiusqviamus, inde etiam Jusqviami nomine ab iisdem donatus, qvod nomen officinæ in Galliâ *teſte Joh. Ruellio (l. 3. d. Natur. Stirp. cap. 107. p. 610.)* receperunt, qvodqve unus & alter pro Arabico ineptè venditavit. *Ap. Apulejum (d. Herb. cap. 4.)* διοςκύαμος ſ. Jovis faba audit, qvod â Jove divinum doloribus medicandis obtinuerit beneficium, ut *Gabriel Hummelbergius (in comment. in Apulej. p. 53.)* hariolatur. Cur verò fabæ acceperit nomen, & non potius glandis qvercinæ, cum ad hujus formam magis accedat capſula illa ſeminiconda, qvam falsò multi Hyoſcyami fructum dictitant, nemo facilè edicet. Nullo ſanè modo mihi erraſſe videntur Monſpelii qvidam, qvi *teſte Geſnero (l. de Hort. German. Operib. Valer. Cord. adj. f. 262. a.)* Priapejam appellarunt.

§. 2. Triplicem hujus paſſim fecere differentiam, â majore aut minore ſeminis nigredine deductam, qvod, qvò nigrius eò magis venenatum & deleterium experientiâ id ſuggerente judicatur. Diceres de eo.

Hoc nigrum eſt hoc tu Medice atque ægrote caveto.

§. 3. Communi Medicorum & Experientiæ calculo intrò ſumtum ſemen, folia & radices mentem tentant, Spiritus in intemperiem

agunt, dementantq́ꝫ, Scotomiam, Vertiginem, Stuporem, Catalepſin & ſomnum profundum qvin & ἀναισθησίαν demum inducunt.

§. 4. De vini igitur Naturâ eſſe Hyoſcyamum *Plinius* (*l. 25. c. 4.*) ſcripſerat, qvamvis in margine qvædam manuſcripta veneni (pro vini) habere *Jacobus Dalechampius* (*c. l. p. 1133.*) animadvertat. Præ vino namq́ve venenum præfatas qvalitates ſibi vendicare, nemo non arbitrabitur, niſi forſan Arcadicum illud prodigioſum, qvod, *iterum memorante Plinio*, (*l. 14. c. 18.*) fœcunditatem fœminis importat, viris rabiem.

§. 5. Ex hoc fonte promanarunt varia Hyoſcyamo *â Madaurenſi Cive* aſcripta cognomina, v. g. Adamas, qvod, *cenſente Hummelbergio* (*c. l. p. 54.*) qvemadmodum Lapis Adamas Magneti ſuppoſitus ligat ipſum ut ferrum attrahere non poſſit: ſic etiam herba hæc ſoporando hominem ligat, qvo ſenſibus & vitæ muniis uti non valeat. Hypnoticon â ſomno qvem inducit. Εμμανὴς Romanis inſana, noſtris Toll-Kraut/ Italis diſturbio â maleficio, qvod ad inſaniam & furorem agat, qvæ cauſa etiam fecit, ut maniapœos vocata ſit. Dithyrambion ſ. Bacchicam qvaſi ebriam, â Baccho qvi Dithyrambus dictus. Typhonion â Typhone Vento, qvod, qvemadmodum is violenter in orbem actus dejicitur, & hinc circulo vertitur, ac, cuicunq́ꝫ rei incidit, vim validiſſimam infert; ſic etiam herba hæc guſtata, mentem caputq́ve infeſtando vim illis infert, & amentiam Ebrietati ſimilem, & capitis vertigines facit, qvibus homo concidit, & ſe, & omnia, quæ circà ipſum ſunt, in gyrum verti & circumagi putat. Apollinarem Romanis vocatam Herbam autumat *Idem* (*p. 53.*) qvod doloribus mitigandis qvaſi divino beneficio & ab Apolline conceſſam vim habeat, qvæ cauſa etiam fuit, ut Pythonion â Pythio Apolline nuncuparetur; *Caſp.* tamen *Hoffmannus* cauſam credidit (*l. 2. d. med. officin. c. 111. §. 1. p. 258.*) qvod qui ſumſerint, delirent inſtar Poëtarum. Evenit inde, ut hoc modo intoxicati oreſpument, & mulorum cantilenam rugitu æmulentur, aut eqvorum hinnitum, qvod *Dan. Sennert.* (*l. 6. Med. Pract. ſ. 7. c. 8. p. 307.*) annotavit.

§. 6. Sed unde Alterci nomen Hyoſcyamo impoſitum? Altercum (Alterum habet *Dalechampii* editio Francofurti 1608. forſan Typothetæ errore) Arabicum cenſuit *Plinius* (*l. 26. c. 4.*) qvibus & Altercangeno vocari ipſe retulit. Set Bênchon Arabibus dici *ex Abuali Ibn-Tſina* (*l. 2. Canon. Med. tr. 2.*) novimus, & Sicaranon *Golius* (*Lex Arab. Camo ſ. Camuſo*) prodidit. Altercum verò Arabicum eſſe *Vopiſcus Fortunatus*

tunatus Plempius (*in not. ad Abuali Ibn-Tſinæ Canon. Med. l. 2. tr. 2. p. 80.*) inficiatur. Pro Arabes, Alios forſan legendum, qvod & in MSto qvodam offendit (*c. l.*) *Jacobus Dalechampius*, & Arabici Codices forſan *Plinio* incogniti, cum eos (*l. 1.*) ſi rectè memini non alleget. Pro Latino venditat forſan rectius *Scribonius Largus* (*c. 181.*) qvod qvi biberint caput grave venisqꝫ diſtentum habeant, menteqꝫ abalienentur, cum qvâdam verborum altercatione. Quidam, *teſte Plempio* (*c. l.*) qvaſi Altericum dictum autumant, qvod mentem alteret.

§. 7. Sanctè mihi qvidam Vir fide dignus affirmavit, ſi ſemen in Circulum Ruſticorum choreas agentium projiciatur, ſtupore mentis ruſticos tentari, & Cholerâ effervescente in altercationes prolabi pugnisqve & verberibus invicem certare. Alius, cui fidem non facilè derogo, cum ſemen Hyoſcyami in cavitatem fideliarum projiceretur, fornace calefactâ, Nobiles in iſto hypocauſto commorantes & comeſſantes irarum œſtro, animorumqꝫ impetu confuſos ſe invicem vulnerantes & confodientes vidit, ità ut unus ex illis etiam gladio confoſſus obierit.

§. 8. Hoc fieri ratione veneficæ conſtellationis Saturni in Scorpio, qvi Martis domus eſt, cum Mars rixis & odiis præſit *Auguſtus Etzlerus* (*Iſagog. Phyſ. Mag. Med. B. 7.*) ratiocinatur. Choleram augere ut Dæmoniaci videantur *J. B. Porta* (*l. 1. Phytognomon. c. 12. p. 22.*) aſtruxit, qvod & memorabili hiſtoriâ confirmavit (*in l. 4. Dioſc. 63. p. 530.*) *P. Andr. Matthiolus*. Miror igitur qvod fecerit, ex *Aurifabro falſario ſubito factus Medicus Paracelſicus, Leonhard. Thurneuſſer* (*l. 59. qui eſt d. urin. deſtillat. c. 12. fol. 85.*) Hyoſcyamum Choleræ averruncum, & *citatus Porta* (*l. c l. 8. c. 1. p. 468.*) Hyoſcyamum Solarium Herbarum Catalogo inſeruerit, qvâ in parte Portam ineptire dudum ante me concluſit (*c. l. Etzlerus.*)

§. 9. Intro ſumtum Hyoſcyamum & â Spiritibus ſubactum, Craſin etiam ſuam ſervare & mixto imprimere, haud aliter ut Elleborus in Coturnicum carne, de quibus & aliis alibi prolixius (*l 2. d. mirac. mort. Tit. 2. § 41.*) ſunt qvi non dubitant. Periculoſum igitur pronunciavit *Joh. Michaël Savanarol.* (*tr. 2. Pract Maj. c. 8. f. 34. b.*) delectari eſu ſtomachorum Turdorum, eò qvod in eis qvandoqve reperiantur baccæ juniperi, qvia & comedunt hyoſcyamum & in qvantitate qvæ hominem interficit. Et hæc qvidem de Hyoſcyami Herbæ, radicum & ſeminis ſi aſſumantur noxâ, qvam qvidem variis exemplis firmarunt *Joh. Schenckius* (*l. 7. obſ. med. p. 379.*) *Joh. Witichius* (*Præfat.*

in vade mecum Med. German.) *Philipp. Salmuth.* (*l.* 2. *obſ.* 88. *p.* 103. *P. Borellus* (*Cent.* 4. *obſ.* 45. *p.* 314.) *Helmontius* (*tr. Jus Duumviratus n.* 22. *p.* 244.) *Sim. Pauli* (*quadripart. Boton.* (*l.* 3. *p.* 347.)

§. 10. Externum uſum qvod ſpectat, an eadem Symptomata ciere potis ſit herba hæc, ad cujus nomen exſpuere non ſine horrore, *monente Simone Pauli* (*c. l.*) nondum in cognitione herbarum verſatum deceat, multa ſunt qvæ perſuadent. Aureum *de Effluviis & Atmoſphærâ* libellum *Roberti Boyle* qvi non leviter perlegit, effluviorum etiam ex vegetabilibus copiam & virtutem maximam non negabit. Noſtra ſanè cum reliqvis recitata hiſtoria affirmativæ maximè favere videtur. Ut è multis Aconitum prætereà adducam, qvod è longinqvo, ut & ſolo tactu mures necet myoctonon vocatum & thelyctonon qvod tactis fœminini ſexus animalium genitalibus eo die inferat mortem *Joh. Ruellius* (*c.l.p.*89.) annotavit.

§. 11. Experimentum ſeqvens (*l.* 4. *Mund. Subt. ſ.* 2. *c.* 8. *prop.* 2. *p.* 234.) in literas retulit *Athanaſ. Kircherus*: Fiat canalis longus in formam tubæ, qvem ità diſpones, ut latius orificium per murum extra conclave alicubi firmetur, reliqvo canali intra cubiculum ſ. conclave aliqvod porrecto. Si dicto canali herbas deleteriâ qvalitate præditas, uti hyoſcyamum, Mandragoram, Solanum, Scammonium indideris, tunc Venti vehiculo totum cubiculum nocivis vaporibus impleri videbis, & aliis qvidem Somnum, aliis acutiſſimas capitis dolores, qvibusdam Cardialgias, ſimiliaqve Symptomata ex noxiâ & perniciosâ qualitate accidere comperies.

§. 12. Semen in hypocauſto calido repoſitum, aut etiam fornaci ejusqꝫ calidis fideliis inditum, magno agmine aporrhæas, imaginationis dislocationem Spirituumqve eccentricitates inferentes exhalabit. Incenſo ſemine Hyoſcyami revera evolant vermiculi dentium inquilini, etiamſi non attingat fumus vermiculoſum dentem, fabuloſum reputat id qvidem *Jacobus Hollerius* (*ad l.* 5. *Galen. d. comp. med. Perioch.* 5. *p.* 87.) ſed experientiâ reclamante. Unicam modò *D. Matthæi Jacobæi* Obſervationem (*è Thom. Bartholin. T.*1. *Act. Hafnienſ. Obſ.* 14 *p* 209.) proferre libet: Ancilla, *inquit*, odontalgiâ immani diu vexata, topicis & ſpecificis nec qvicqvam adhibitis, ſuaſu tandem juvenis cujusdam, ſeminis hyoſcyami ſuprà prunas injecti fumum per infundibulum ore excepit, unde ſubitò plusqvam qvinqvaginta vermes è cavitate dentis proſiluerunt, albicantes & exiles admodum vix fili craſſitiem æqvantes, qvi ſtatim, ſe non nihil intorqvendo, mortui ſunt. Sedatus qvidem

dem dolor fuit nec poſt rediit, ſed vertigine, ſtupore & imbecillitatè capitis ex eo tempore correpta ſuit, qvæ nec dum, dum iſta ſcriberet, omninò evanuerunt, ut plus hic mali qvam illic boni fuerit. En fumi ſeminis Hyoſcyami vim topicam & ſtupefactivam! Aſſentirer igitur illis, qvi *apud Job. Bapt. Portam* affirmant (*c. l. p. 162.*) ſi colis inteſtinum ulcus Hyoſcyamo ſubter proluatur, deliria contingere, riderem verò *cum M. A. Sinapio* (*tr. d. doloris remedio p. 147.*) *Job. Freitagium* (*tr. d. Opio*) opium Hyoſcyamo corrigere tentantem, & contra *Joban. Beguinum* (*l. 2. Tyrocin. Chym. c. 9. p. m. 35.*) *cum Job. Hartmanno* (*in not. ad Beguin. p. 36.*) è Laudani compoſitione Eſſentiam ſ. Tincturam Hyoſcyami exeſſe juberem.

§. 13. Sed annon etiam in noſtris caſibus aliqvid faſcino tribuendum? Pythagoræ, Prophetis, Oſtani & Zoroaſtro herbam noſtram fuiſſe cognitam, peculiaribus nominibus dotatam, ex *Apulejo* ignotum eſſe non poteſt. Quid autem *Apulejo* Prophetæ? *Gabr. Hummelberg* (*in Anton. Muſæ de Vetonicâ libell. Enarrat. p. 8.*) hoc nomine Gentilibus Magos exprimi rectè judicat, hiqve non qvæ ſimpliciter futura prædicebant & vaticinabantur vates, ſed qvi vaticiniis religionem & Medicinam miſcebant, in qvo tota Magicæ artis ſumma olim conſiſtebat.

§. 14. Narcoticis autem Stupefactivis ſomniferis libenter uſum fuiſſe Sathanam μυριοτεχνίτην nulli non patet. Et qvi melius ſimplicibus & incautis imponere, ſenſusqꝫ cum internos tum externos faſcinare poſſet qvam ejusmodi ſimplicibus in certum qvoddam corpus compactis? Conſideremus Lamiarum unguenta, quorum ope certo anni tempore aëra petere & in longinqua loca evolare ibidemqꝫ comeſſationibus & Choreis tempus fallere nituntur, *à Job Bapt. Porta* (*l. 2. Mag. natur. c. 26 f. 85. a.*) editione quidem primâ libris quatuor conſtante & Antvverpiæ 1560. excuſa, in recentioribus namque editionibus eorum deſcriptionem expunctam comperies, & maximam paginam facere in his hypnotica, & mentem dementantia patebit: Et hâc de causâ forſan etiam inter Magica locum obtinuit Hyoſcyamus, & pilſina, Bylſen quaſi Bylweiſen/ (quo nomine Lamiæ noſtris exprimuntur) Kraut/ ut & Zigeuner-Kraut (*ap. Simon. Paul. c. l.*) appellatur.

§. 15. Duo comprimis faſcinationis genera memorabilia conſiderationi noſtræ ſe objiciunt; Amoris & odii. Utrumqꝫ an naturali modo contingere poſſit, paucis disquiram. Amorifica quidem media dari, multa perſuadent. *Paracelſus* iſta non ignoravit, dum (*Tr. 1. de Morb.*

Ament.

Ament. c. 5. p. 497.) ſcribit: Daß etliche Stück (ſeyn) die wir hier unbemeldet laſſen / ſo einer dieſelben einen andern zu eſſen gibet / Frauen oder Mannen/wird da eine unzerbrochene Liebe für und für. Daraus kommt/daß etliche Knechte/ die ihren (Herren) ſolches zu eſſen/ zuſchmeicheln/ darvon ihnen entſpringt eine ſolche Liebe / daß die Knechte über die Herren ſind / wie wir de Republicâ melden. Alſo durch ſolche Artzney die Hunde und das unvernünfftige Vieh in eine ſolche Liebe gezogen werden/ gegen den/ der es ihnen giebet. Alibi *T. 2. Op.* in Auslegung Magiſcher Figuren *Fig. 2. p. 576.*) mentionem facit des Rebis und des rothen Zennoth. Rebis explicat *Mart. Rulandus* (*Lex Alchem. p. 402.*) Excrementum alvi, ità Cataplaſma ex Rebis Columbarum in Aceto roſaceo in Hydropiſi adornandum præcepit (*l. 2. d. Vit. long. c. 7. p. 846. Paracelſus*, aut capillos. Zenoth rubrum verò forſan Zenith, quo Menſtruum ſanguinem alias indigitat.

§. 16. Ex ſanguine humano philtrum fieri poſſe *Joh. Hartmann.* (*in notis ad Beguin. Tyrocin. Chym. l. 3. c. 1. p. 59.*) & ex eo *Daniel Beckerus* (*l. 1. Microcoſm. Med. c. 14. p. 133. ſeq.*) docuit. *Add. Andr. Tenzel.* (*Med. Diaſtat. c. 7. p. 89.*) & transfuſione unius ſanguinis in aliud corpus fratrum atqve conjugum diſſidentium reconciliationem fieri poſſe hariolatur (*in Clyſmat. nov. c. 10. p. 59.*) *Elsholzius.* Egregiè *immortalis noſter Sachſius* (*l. 2. Gammarol. ſ. 2. c. 9. §. 7. p. 875.*) ut morborum per ſanguinem attractio ita & amorum. Narrat *Eruditiſſimus Theodorus Moretus Soc. J.* (*in literis ad Sachſium datis*) ſe noviſſe hominem, qui Roſam arborem ſedulò ſuo ſanguine aliquoties è venâ educto rigaverit, Roſas Magnati cuidam induſtriè porrexit ipſe, aut porrigi juſſit, ut cum odore Roſæ tranſiret in Principem affectus Sympathicus in officialem, affectu tam potenti, ut Princeps ipſe admiratus fuerit: itaque monitus de affectu naturali, roſas poſteà nullas accepit, niſi quas ipſe decerpſiſſet.

§. 17. In Simplicibus eſſe quæ in Amores, iras, imò in certas tantum perſonas feruntur *Helmontio* (*Tr. Jus Duumviratus n. 54. p. 248.* placuit. Novi (*alibi Tr. de magn. vuln. curat. n. 27. p. 599. commemorat*) herbam paſſim obviam, quæ ſi teratur & foveatur manu, donec intepuerit, mox alterius manum detinueris, quoad & illa tepeſcat, amore tui ille totus continuò ardet ad aliquot dies. Detinui pedem cujusdam catuli, hic confeſtim peregrinum me ſecutus, adeò ut noctu ante cubiculum ejularet, quo eidem aperirem, renunciatâ herâ ſuâ. Adſunt Bruxellæ mihi hujus facti teſtes. *Hactenus Helmont.* Simplicia talia allegat *Sylveſter Ratray* (*cauſ. Symp. & Antipath. p. m. 56.*) Orchidis

dis ſpecies, Eryngium, Erucas, paſſeres, Schincos, teſticulos animalium ſalacium, ſudore hominis irrigata & ſic exhibita conciliant amorem, ita ut comedentes ſequi cogantur eum, cujus ſudore imbuta ſunt. Sic caſeus detentus ſub axillâ hominis donec madeſcat, ſi canibus exhibeatur eos ſequaces reddit. *Hæc Ratray.*

§. 18. Si in rigidiorem cenſum prout debent veniant hæc ſimplicia, parum aut nihil ad rem facere definiendum erit. In omni Magnetiſmo præſto ſit mumia ſ. Spiritus magneticus, vehiculum & Magnes neceſſe erit. Spiritus mumialis in ſudore tanquam vehiculo hæret, ſudor verò ne & ille diffluat & evaneſcat, ut ab aliqvo attrahatur ſubjecto, requiritur. Ita neque Orchis amorem conciliabit niſi ſudore irrigata, neque ſudor niſi Spiritu mumiali imprægnatus. Cum verò Orchidis radicis activitas Spiritui ſ. Archæo noſtro facilè communicetur & aſſimiletur, quod in ſalacitate concitandâ & reſtaurandâ omninò pateſcit, idq; *è Kirchero* memorabili obſervatione (*l. 1. d. Mir. mort. Tit. 11. §. 14 p. 107.*) declaravi, ideò & mumiam ſecum rapit, ut Archæo intimius nubat, & in Centrum ejus admiſſa inſeparabili cum eo conjugatur & ſymbolizet. De ſudore legi meretur (*l. 2. Med. Magnet. c. 16 p. 147.*) *Guilelmus Maxvellus.* Quod ſi Magnes ſit alimentoſum quid, v. g. Caro, panis, caſeus ſudore inebriatus, parili felicitate in ſinum Archæi depoſitum mumiale admittetur.

§. 19. Dari etiam plantas, quæ brutorum ferociam dote ſingulari infringant, annotatum reperimus. Caprificus tauros quamlibet feroces collo eorum circumdata, in tantum mirabili natura compeſcit, ut immobiles præſtet *Plinio autore* (*l. 23. c. 7.*) ſcimus. Vaſcanos ajunt Herba quam Martaget corruptè (Martagon rectius) dicunt, Tauros alligatos ferociam deponere. Citius, *judicat Scaliger, Exerc. 178. ſ. 2. p. 580.*) Lyſimachia fuerit iſtorum Martagon. Nam boum jugo inter ſe non convenientium impoſita, eorum componit animos ad concordiam.

§. 20. Quod ſi in amorem & concordiam tam facilis deſcenſus, cur non & in iram & odium facilior prolapſus, cum ad hoc caro noſtra depravata magis inclinet atq; ad illam. Et ſanè cauſæ naturales proſtant variæ, quæ humorum & Spirituum orgaſmum ciere, inque varios gyros & feroces impulſus eosdem proritare valent. *M. Aurelius imp* (*teſte Mondoveo l. 3. d. Vit. M. Aurel c. 10.*) in literis *ad Antigonum* exaratis iſta narrat. Agens, *inquit*, ſeptimum ſuprà vigeſimum annum, degebam in Inſula Cethir, cui & Cypri nomen eſt: ibi

mons eſt non admodum excelſus, Arcadius nomine, in eo Flabia naſcitur herba, cui inditum â naturâ eſt, ut ſi excidatur, emanet ab eâ liquor ſanguineus tepeſcens, quo dum tepor durat, ſi quis ab alio contingatur, occultâ quadam ratione trahitur in amorem ejus, qui tetigerit; at ſi is ſuccus refrixerit, eoq́ quisquam contingatur, amoris refrigerationem, benevolentiæque averſionem inducit, *Citante Simon. Majolo (T. 1. Dier. Canic. Colloqu. 20. p. 623.) Laurembergius (l 2. Horticult. c. 5.) & ex illo B. Noſter J. C. Frommannus (l. 1. de Faſcinat. p. 2. ſ. 3. c. 4. p. 343.)* De hac herbâ Flabiâ apud alium mentionem non invenio, *commentatur Caſp. â Rejes (Camp. Elyſ. jucund. quæſt. qu. 29. n. 12. p. 352.)* niſi eadem ſit cum Catamance, quam *Plinius (l. 27. c. 8.)* Theſſalam herbam indigitat, illiusque deſcriptionem ſupervacaneam eſſe tradit, cum ad amatoria tantum conveniat, & ad magicas detegendas vanitates electam eſſe pronunciat, quoniam areſcens contraheret ſe ad ſpeciem milvi exanimati. Ita & *Excell. Dn. D. Leonbartus Urſinus, meus olim in almâ Lipſienſi in Botanicis Præceptor adhuc poſt fata colendus, Nobiliſſimo Noſtro Dn. D. Gabr. Claudero, Amico & Collegæ, dum viveret, ſuaviſſimo,* herbam nominavit, quæ ſi aliquandiu in manu detenta â maſculo porrigatur fœminæ, pervicaciſſimam excitare reciprocè inimicitiam credebatur. (*vid. laudati D. Clauderi Diſputatio Inauguralis de Philtris ſ. 35.*)

§. 21. Odium facilè concitabit Hyoſcyamus, cum, ut è ſupra dictis clarum evadit mentis quatiat ſubſellia, animique halcyonia, varios fluctus & gyros Phantaſiæ concitando, turbet excutiatque. Quamvis igitur pro Magicâ actione habita fuerit â vulgo illa Conjugum diſcordia, naturali tamen adminiculo concitata propriè Magica proclamari non debuit. Non dubito quin â Mago aut Saga ſemen Hyoſcyami in hypocauſtum depoſitum fuerit, nec ſine verbis certisq́ ceremoniis rem confectam puto. Verba interim & Ceremoniæ nil profuere ſuperſtitioſis & cultui Diabolico addictis. Ne quidem Diabolus materiam cogere poteſt, docet *(c. l. p. 148.) Guilh. Maxvellus,* qui activorum paſſivis applicatione, ſi quædam fecerit miracula, perpetrat; multò minus illæ naturam cogere poterint, ut quidam vana credulitate infecti putant. Nam licet ſuperſtitione vanâ fœdatæ quædam futilia miſceant, (quod quidem ab Antiquis factum, unde traditiones ſumſerunt, ut imaginatio violentius propter opinionem cujusdam divinitatis præſentis in effectum impelleretur, ſicq́ totâ conſpirante naturâ effectus producerentur: quod tuæ equidem conſiderationi relinquo,

quo, ſi forſan ex hiſce pauculis verbis proficuum aliquod elicere poteris) naturaliter tamen quæcunque faciunt operantur. Quod ſi quid quod Sphæram intellectus noſtri ſupergrediatur præſtet per Sagas Diabolus, ſcientiæ ejus naturali noſtram ſuperanti, dandum. Ut namque dotes naturales latentes ex Lapidibus, Metallis & Herbis eruere novit Chymicus, & exaltare præ Seplaſiario, cui decocta communia parare incumbit; ita & diabolus motu & modo nobis incognito corporum naturalium vires efficaciores ſiſtere valet, non easdem illis infundendo, ſed latentes ſuſcitando, ut majori activitate agant in objectum, cui devoventur. Et hoc illum in Hyoſcyami ſemine præſtitiſſe nullum mihi quidem dubium eſt.

(*Chemnicio Auguſtam Vind. d. 9. Maji Anno 1699. miſſa.*)

OBSERVATIO LXVII.

Dn. D. JOHANNIS LAURENTII FEHRII.

De Fœtu mortuo à Chirurgis ſalvâ Matre feliciter extracto.

UXor Civis noſtratis primarii A. 1695. partu difficili laborabat, & licèt dolores partus urgerent, omniaq; ad partum inſtantem ſigna adeſſent, tamen ſucceſſus ex voto non reſpondebat, tandem poſt multos labores brachiolum fætus prodibat, obſtetrix cum aliis rerum harum peritis fœminis in brachiolo reponendo & reprimendo omnia, quæ factu opus eſſe videbantur, tentabat, ſed fruſtra. Hinc balneatorem, multa de operationibus chirurgicis, in fætu per inſtrumenta ex utero tracto feliciter peractis, jactitantem vocabant, aſt ejus attentata antehac aliquoties minùs felici eventu comprobata neque Medicis matrem medicamentis tàm internis, quàm externis juvantibus, neque aliis arridebant, unde juſſu noſtrô dimiſsô balneatore duo Chirurgi artis periti accerſebantur, qui, conſideratis omnibus circumſtantiis, fætum jam mortuum deprehendentes non adeò crudeli, ut vulgò ſolent, ſed ſatis providâ ſeqventi operatione à matre liberabant: Primò brachiolum extrahebant, & circa caput oſſis humeri à corpore ſeparabant, eoque remoto digitis funiculum circa collum ducebant, collumque fætus nonnihil fortius ligabant, atqve deinceps ſub ligatura

 verſus

verſus dorſum collum à trunco ſejungebant, poſtmodum binos fætûs pedes digitis apprehendebant, eosqve cum reliqvis corporis partibus educebant, tandem per funiculum extra uterum propendentem collo alligatum, cooperante ſimul matre, caput extrahebant, ſicq; matrem à præſentiſſimo mortis periculo liberabant, quæ adhuc dum ſalva, in præterito anno rurſus filiolam feliciter enixa eſt.

(D. 3. Junii Anno 1699. Svinfurto Norimbergam miſſa.)

OBSERVATIO LXVIII.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

De Herpete ſola aqua marina curato.

ORiginem, progreſſum, & quidquid ineſt arti Medicinæ, Obſervationibus magna ex parte deberi, ait *Excellentiſſ. D. Georgius Baglivus in Romano Archi-lycæo Anatomes Profeſſor diligentiſſimus, ac Amicus meus ſingularis in lib. primo de praxi Medica cap. 2. pag. mihi 6.* undè meritò ad Apollineam excolendam Artem *Academia noſtra Leopoldina Imperialis* in colligendis Medicis obſervationibus quovis anno inſudat, & collectas publici juris facit ad utilitatem Reipublicæ Medicæ; Liceat ergo nunc mihi ſeqventem Collegis noſtris Curioſis communicare hiſtoriam de Herpete ſola aqua marina curato; erat enim Plebeus quidam noſter Ferrarienſis temperie bilioſa præditus, annorum ætatis 33. menſe Junii Anno 1696. qui hinc inde in coxis, brachiis, utroque genu, & cubito, pectore, ac facie maculas habebat elevatas, rubras, ſcabras, aſperas, & ſerpentes, ac de novo hinc indè erumpentes; Cui conſilium à me petenti balneum aquæ Marinæ commendo; qui etiam ter, quaterve ad ſe lavandum nudus, in vicinas maris Adriatici aquas deſcendit; & ſic ſanitatem optatam recuperavit, ac à fædo illo affectu liberatus fuit; hinc chirurgus noſter Ferrarienſis fide digniſſimus mihi elapſa die retulit, ſe feliciter duos viros curaſſe herpete laborantes ſola lotione aquæ ſalitæ cum adjecto ſulphure, & alumine; Alios autem ſcio peritos adhibuiſſe in tali profligando morbo aquas thermarum.

OBSERVATIO LXIX.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

De Tumore inſigni à capitis lotione.

A Capitis lotura per æſtatem, obortum ſub ala ſiniſtra fuiſſe tumorem teſtatur *Marc. Aurel. Severinus de recond. nat. abſceſſ. lib. 4. c. 5.*

pag.

pag mihi. 168. cui penè ſimile exemplum, me obſervaſſe recordor An. 1698. Menſe Auguſto dum ruri eſſem, in filia cujusdam Ruſtici annorum ætatis 12. cui puellæ alioquin ſanæ poſt lotionem capitis á matre factam aqua frigida ſurditas ſupervenit, à quâ ſuborto inſigni tumore in brachio dextro liberata fuit; tumor autem ſuppuratus feliciter curatus eſt; nunc ſana vivit, & Domino benedicit.

OBSERVATIO LXX.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

De Cœcitate, ex intempeſtiva ſanguinis miſſione.

PHlebotomiam aliquando juvare, aliquando noxam afferre, ſcimus. Idque experientia indies comprobat; ſic Anno 1698. die 7. Decembris Adoleſcentem obſervavi, alioquin ſanum, cui alvi fluxus ſupervenit; Vocatus Medicus, ſanguinem, è brachio dextro ad libram, unam extrahit; quo miſſo ſenſim ſine ſenſu viſionem amittit, alvo prius ſuppreſſa; Multa adhibita ſunt â mè remedia; omnia verò fruſtranea fuere; nam cœcus, & nunc ipſe quoque vivit.

OBSERVATIO LXXI.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

De dolore maximo dentium nive appoſita ablato.

AQuam nivis dolores dentium ſedare, ait Avicenna lib. 2. tract. 2. cap. 524. idemque quadam hiſtoria narrando confirmat Zacutus Luſitanus in ſua praxi medica mirabili lib. 1. obſerv. 85. ſic Famulam ego vidi, annorum 35. temperiei bilioſæ, quæ à multis annis dentium dolore vexabatur; multis fruſtra tentatis auxiliis, tandem nivis uſum ſubiit; hac enim circumpoſita dentium ſuorum dolorem mitigabat; Econtrà verò Civem honeſtum noſco, qui temperamento ſanguineo præditus, quotiescumque frigidam guſtat potionem, illico in dolorem dentium incidit; ita ut cogatur non tantum calidè comedere, ſed & calide bibere.

OBSERVATIO LXXII.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

De Vermibus per tuſſim rejectis.

PEr tuſſim vermes in phthiſicis aliquando ejectos fuiſſe ſcribit Fælix Platerus Prax. tom. 3. de animal. excret. cap. 13. lib. 2. pag. mihi. 786. Et ego hoc An. 1699. in peripneumoniaco, obſervavi per tuſſim excretum vermem rubrum & non exiguum; poſt cujus excretionem ſequuta eſt magna ſanguinis purulenti copia; indeque Mors.

OBSERVATIO LXXIII.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

De Morte à frigido Potu.

POmponium Lætum virum doctiſſimum, ac conſtantiſſimi animi, & vitæ frugalis ſeptuagenarium, è vita exceſſiſſe ob aſſumptum gelidam potum, narrat *eruditiſſ. Sim. Majolus in canicul. dier. tom. 1. colloq. de montibus.* Gelidiſſimo enim, ait ipſe, vini potu ventriculi calorem oppreſſit; Idemq; me obſervaſſe recordor Anno ſalutis noſtræ. 1697. Menſe Junio die 17. in puella ætatis annorum quinque, quæ poſt aſſumptam gelidiſſimam emulſionem, illi à Patre exhibitam, iliaco dolore affectam, intrà breve quatuor dierum ſpatium, tumefacto, atque indurato ventre obiit magno patris dolore; pariterque recordor de Juvene Ariminenſi ætatis annorum 27. qui poſt aſſumptionem non parvæ quantitatis peponis glacie gelidi facti, incidit in febrem ardentem â quâ quinta die necatus fuit.

OBSERVATIO LXXIV.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

De Pulvere Febrifugo.

GLobulum cupreſſinum ſiccatum, atque pulveriſatum ad pondus drachmarum trium in vino albo generoſo exhibitum in acceſſionis principio, febres intermittentes curare, ait Clariſsimus Dominus Alexander Paſcolus, Peruſinus Medicus, & Lector eruditisſimus in ſuis ſermonibus ad calcem ſui tractatus de febribus nuper typis dati Italico

Italico idiomate pag. 55. Idemque ego hoc anno 1699. pluries expertus fui, & præcipuè in quadragenario hypochondriaco, quartana febri pertinaciter affecto per annum, qui tandem ope pulveris hujus prædicti, bis exhibiti, modo ſuprà notato, ſanus evaſit; Monialem pariter hoc remedio curatam vidi, & liberatam ab erratica febri per biennium infeſtante; Poteſt etiam exhiberi remedium ſupradictum ſequenti modo: ℞. pulv. Globul. cupresſin. Drach. ſemis Julep. ſimpl. q. ſ. m. f. Boli aurati aſſumendi antè prandium, ſuperbibendo lib. 1. aquæ Nocerianæ, vel aq. hordei, quod verò continuari debet ſex dierum ſpatio, ut advertit loco citato laudatus *Dominus Paſcolus.*

OBSERVATIO LXXV.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI,

De calculis in pericardio.

HOneſta quædam fœmina, annorum ætatis. 33. temperamenti bilioſi trium filiorum mater, ſuppresſione menſium primò afficitur, itâ ut ſe gravidam eſſe exiſtimaret; aſt ventre non tumeſcente tertio à catameniorum ceſſatione menſe, frequentem ſyncopem patitur, à quâ tandem necatur; Aperto cadavere ala pulmonis dextra atri coloris reperitur, inq; ea aperta materia atra tartarea apparet; in corde nihil novi; in pericardio verò tres Lapillos invenimus ſubviridis coloris, quorum duo exigui erant, alius autem magnus & duarum prorſus unciarum ponderis; cætera in hujus mulieris corpore ſana erant. Dè variis rebus præternaturalibus in pericardii cavitate repertis mentionem ego feci in mea *Diſſertatione dè Pericardio* impreſſa in tomo primo Bibliothecæ Anatomicæ *Dn. Clerici & Mangeti*, impresſionis ſecundæ, Genevæ. Anno 1699. pag. 916. quam Lector curioſus videat; Sic me legiſſe recordor apud *Wierum de Præſtig. dæmon. & Burnetum in Theſaur. Medic. pract. lib. 3.* in Imperatoris Maximiliani ſecundi, corde ſecto, inventos fuiſſe tres lapillos quantitate piſorum, unus interim major altero colore rubigineo, qui Imperator dum viveret frequenter gravi cordis palpitatione afficiebatur.

(*Ferrariâ Auguſtam Vind. d. 30. Jun. Anno 1699. miſſæ.*)

OBSERVATIO LXXVI.

Dn. D. MARCI GERBEZII.

De gravida ex nimio ſanguinis profluvio demortua.

AStrorum influxum plurimùm in ſublunaria poſſe, communis quidem eſt ſententia, & à Joh. Matthæo Fabro Medico & Aſtronomo Wirtenbergenſi celeberrimo, non pridem in *Vindiciis* ſuis *Aſtrologiæ* de novo confirmata: nil tamen eam ſpeciale poſſe expreſsè manutenere conatur Antonius le Grand in *Inſtitut. phil. ſecundum principia Renati des Cartes part. 5. Art. 22.* ſolo excepto Sole, à quo unico procedere dicit cuncta, quæ communiter ſyderum influxui imputari ſolent. Prouti ejus rationes pluribus videri licet loco citato; quid tamen re ipsâ tenendum ſit, litem in ſcientia iſta magis verſatis diſcutiendam relinquo. Interea certum refero illà ipsâ die 27. ſcilicet Junii currentis anni 1699. quam in Calendario ſuo utero gerentibus funeſtam prædixerat Author Calendarii Anglicani ex Quadrat. Saturni & Veneris eâ ipsâ die invicem concurrentibus his verbis:

> Saturnus droht der Frauen-Schaar
> Nun abermalige Gefahr/
> Mancher wird die Grabes-Stätt
> Zubereit zum Kindel-Bett.

Repente & improvisò hâc in noſtra Labacenſi urbe ex nimio ſanguinis per uterum profluvio obiiſſe pisſimam Matronam Mariam Victoriam Tholnitſcherin natam Zanetam jam in poſtremos dies gravidam. Utrum autem tamen inopinatus iſte caſus allegato influxui potiùs, quàm cuipiam alteri cauſæ ſit imputandus, alii dijudicabunt. Contrarium intereà videtur ſuadere id, quòd nulli alii gravidæ quicquam ſimile ſive eâ, ſive paulò antecedentibus diebus accidiſſe obſervatum fuerit; paucis pòſt diebus verò felicisſimè pepererint aliquot vicinæ mulieres, veluti domina Floriantſchitſchin, Vidmayerin, & aliæ. Unde improviſum iſtud fatum bonæ Matronæ potius ex eo accidiſſe videtur, quòd, quantum ex ejus antegresſis indiſpoſitionibus, febribus puta ſæpius perpesſis, ophthalmiis, ictero flavo, ſodâ ſeu ventriculi

ardore

ardore &c. conjicere licet, illa ſanguinem habuerit tenuem valde, & acrem, plurimâve bile refertum, qui quà acris vaſa ſanguifera ad uterum protenta facilè exedere potuit, quà tenuis autem penetrare, & perfluere, adeò, ut corpus, quantùm mox à morte ſectum cadaver monſtraverat, cæterum quoad omnia optimè conſtitutum, ferè penitùs ſanguine exinaniverit. Quòd id autem illâ ipsâ die, quam, uti allegatum, fatalem prædixerat utero gerentibus citatus Author Calendarii Anglicani, acciderit, puto id per accidens ex quacunqve demum ignota cauſa accidiſſe: Aliàs audio memoratam Matronam pluriès in hac geſtatione ſanguinem ex utero emiſiſſe, ex opinione tamen, quòd id ſibi minimè obeſſet, hoc neglexiſſe, præterquam unicâ vice, quâ ut ei fortè immoderatiùs profluenti obviaret, pro revulſione ex dextri brachii Salvatella aliquot uncias ſanguinis cum deſiderato effectu emiſerat.

Curioſum aliàs eâ ipsâ die in eâdem domo, & ſub ipſo memorato Matronæ obitu accidit & iſtud, quòd dictæ Matronæ minimus natu Frater Antonius Zaneti, Syntaxeos ſtudioſus, à febri tertiana intermittente, in cujus exacerbatione is tunc decumbebat, ſolo ex ſororis obitu concepto terrore, & mœrore curatus fuerit; adeò, ut per integros 14. dies à febri liberrimus fuerit; poſteà eâ qvidem rurſus prehenſus, Sed fortè ex aliâ ipſi data cauſâ. Quid aliàs terror in curandis variis morbis ſubinde valeat, videre licet in Eph. Nat. Cur. Dec. 2. Ann. 3. Obſerv. XCIII. & An. IX. Obſ. LXI. & Obſ. CXC.

(*Miſſa Labacô Norimbergam d. 28. Auguſt. Anno 1699.*)

OBSERVATIO LXXVII.

Dn. Lic. ROSINI LENTILII.

De Lapidibus aureolis è veſicis boum.

Monſtroſæ tantum non quotidie delirantis Naturæ μεταβάσεις, niſi enormisſime enormes exiſtant, inter curioſas obſervationes vix amplius locum merentur. Idem quis pene de *calculis* dixerit, qvorum, e nulla non corporis parte erutorum, pleni ſunt omnes *Ephemeridum* libri. Omnium vero pervulgatisſimi ſunt, qui in lapidicina corporum animalium κατ᾽ ἐξοχὴν ita dicenda, veſicam volo, generantur.

tur. Nollemus hic quidquam commemorare, dummodo illius erutos quoque *calculos aureo colore pictos*, multis in libris notatum reperiſſemus. Lepidiſſima hæc aurifodina, quæ nos in admirationem cum pluribus rapuit. Terni propemodum anni ſunt elapſi, cum *Allerhemium*, inſignem *Rhætiæ Noricæ* vicum tranſiremus, & ecce, noſter olim ex aneuriſmate periculoſe decumbens æger, Lanio loci, tranſeuntibus monſtrabat *globulos aureos diverſæ magnitudinis, minimum granum milii, maximum ſemen cannabis aut Coriandri æquantes*, præfulgidos & aſpectu jucundisſimos; horum integrum manipulum in bovis mactati veſica repertum, nec unquam à ſe, vel alio lanione alioqui viſos; bovem cætera ſanum & valde pinguem fuiſſe. Nos, qui & ipſi globulos antidhac ſimiles non videramus, de munere gaviſi, cum venæſectioni *Sereniſſimæ Principis OETTINGENSIS* affuturi theriotrophium *Schrattenhofienſe*, adiremus, ipſi *Sereniſſimo Principi*, Domino noſtro clementisſimo, globulos oſtendebamus, qui & ipſe phænomenon elegans admiratus, unum globulorum argenteo ſui ſcipionis manubrio levisſimo negotio in pollinem redegit, haut ſecus, atq; ſi eſſet ex vitri lacryma conflatus. Nos autem eorum aliquos curioſius rimati, reperimus ſubſtantiam *Talci Muſcovitici*, ſeu *glaciei Mariæ* ſimilem, pellicuLoſam, ſic ut majori globulo minor identidem, id eſt, huic rurſum minor, usque ad vix notabilem parvitatem includeretur; intus autem pelliculæ longe fulgidius fulgidisſimi ad inſtar obryzi reſplendebant, colore extimo primæ pelliculæ ſeu potius involucri, magis æneo vel orichalceo exiſtente. Fruſtilla pellicularum per microſcopium examinantes quum luci obverteremus, ea tunc etiam quidem aureola, ſed non æque ſplendentia, pellucida tamen animadvertimus: luci autem dorſum obvertentes materiam plane corneam vel unguium æmulam nobis videre videbamur, pelliculis innumeris invicem ſibi incumbentibus, quale quid obſervari ſolet in oculi cryſtallino humore exſiccato, & ſupra dicto *talco Muſcovitico*. Levisſimi cætera globuli erant, & exacte rotundi, intra dentes ſtatim in pollinem tenuisſimum diſſipabiles, nullius odoris neq; ſaporis. Immerſionem aquæ impune ferebant non inde molliti nec vividi coloris aureoli micam perdentes. Iſtiusmodi Sphærulas cum Fratri noſtro uterino, *Phil. Franciſco Erichio*, Pharmaceuticæ artis per multos jam annos ſtudioſo oſtenderemus, intra veſicas bubulas (quæ magna copia Pharmacopolis venduntur) tales ſe jam aliquoties reperiſſe ipſe affirmabat. Quin & Magnificus noſter *Reiſelius* jamjam ſibi viſos ajebat. Quo pacto tales generentur, curioſi

curioſi disquirant? Aliquid certi determinare propterea difficile cenſemus, quod aliquæ nos circumſtantiæ lateant qui bovem nec ipſi vidimus, nec ejus interanea, urinæ cumprimis ergaſteria luſtrare potuimus, fortaſſe quid ibidem locorum comparuiſſet, quod miræ lithogeneſias ætiologiam ad minimum facilius cognoſcibilem reddidiſſet. Metallici quid fuiſſe remixtum propterea difficulter credimus, quod ſumma levitas repugnare videatur. Cæterum in urina plus arenarum recondi, quam quisquam crediderit, plane perſuaſi ſumus. Rerum colores in modificatione varia lucis in corporum præcipue ſuperficiebus fundantur. Lucem urinis ineſſe phosphororum coctura confirmat. Ne quid dicamus de urina noctu lucida, qualem in ſemetipſo Magnificus noſter *Reiſelius Ann. VI. & VII. Dec. I. Obſ. 193. Ephem. noſtr.* obſervavit. Porro in animalibus eorumque partibus aurei coloris parum reperitur; nam, quod de Sqvamis piſcis *Dorado* recenſetur in *Thom. Gage itiner. nov. Hiſpan. cap. 3.* eas nempe ſubter aquis auro contra ſplendere, utrum idem color extra aquas quoque compareat, incertum, immo non credibile eſt. *Pſal. 68 v. 14. de alis columbinis* dicitur, *quæ opertæ videntur argento, & fulgorem habent auri.* Dantur inſecta cantharides &c. quorum alæ & corpora fulgore aureo reſplendent. Hinc & mos Veterum capillos aureis cicadis ornandi, de qvo *Hannem. ov. hermet. p. m. 362.* ex *Ariſtophan. & Thucydid.* Adeo verum eſt, qvod in proverbio dicitur, *non omne quod fulget, aurum eſſe.*

OBSERVATIO LXXVIII.

Dn. Lic. ROSINI LENTILII.

De Contabeſcentia à faſcino mira & memorabili.

CUm circiter ante qvadriennium fama per ora virum volitaret, in *Sereniſſimi Marchionis Brandenburgici Sede, Onoldo,* familiam propemodum integram, parentes puta, cum liberis omnibus faſcinatos ſucceſſive contabuiſſe & occubuiſſe, ſic ut uno mortuo ſtatim alter ægrotare inciperet, litteras dedimus ad *Excell. Dn. Doct. Andr. Roſam i Archiatrum Weiltinga-Würtenbergicum & Phyſicum Onoldinum,* Patronum & Cognatum noſtrum, eumque rogavimus, ut, ſi qvid eſſet in iſto rumore veri, circumſtantias rei nobis aperire ne gravaretur, quod, pro ſua humanitate, fecit. In latinum a nobis tralata ejusdem germanica relatio, ita ſonat: Caſus faſcinatorius, qvi in Ædis noſtræ pri-

mariæ Campanili altero, qvod noſtri Cornicines incolunt, contigit non hoc demum anno, ſed jamjam ante decennium obſervari cœpit, ſeqve diverſa in ſubjectis diverſis ratione exſeruit. Cum iſto tempore Turricola templi oppidani *Joh. Paulus Kirchner* ex hora informationis Muſicæ, qvam certo diei tempore in urbe docendo conſumere ſueverat, domum rediturus eſſet, in platea ſubito horrore, æſtu & anxietate corripiebatur. Domum reverſus (a) tanto pediculorum, notabilis magnitudinis variorumqve colorum agmine ſe obſitum conſpicabatur, ut arte nulla eos extirpare poſſet, nil qvidqvam juvante diligentia & ſedulitate in everrendis & mutandis laneis juxta & lineis veſtimentis. Qvoties enim purgatiſſimas & nitidas veſtes corpori vix applicuiſſet, pediculi miſerum catervatim adoriebantur, cum tamen, qvod mirum, nec uxor, tori communis ſocia, nec liberi ab his animalculis moleſtiæ qvidqvam paterentur. Hæc plagarum Ægyptiarum haud infima, per tres integros menſes miſerum afflixit, donec, ſuaſu neſcio cujus, depromtum ex Oſſuario hominis mortui qvoddam oſſiculum, amuletum intra veſtimenta geſtaret, qvo vix applicito pediculi primum veſtimenta, & cum idem qvoqve oſſiculum lecto inferret, hunc etiam expedita fuga migrarunt. Cum ea tribulatione perfunctus eſſet, alia qvædam columbarum primo domeſticarum pullos, adultis intactis torquere cœpit. Qvotqvot enim pulli ſuum vix uterum, ovi dico putamen, fregiſſent, educationis curam ludebant, quippe compreſſu, qvaſi per prælum exercito, necati. Huic plagæ contraitum ſuffitibus herbarum & raſuræ Cornu caprilli (b) intra periſterotrophium incenſis. Territus iſta calamitate Paterfamilias columbas abdicavit, adoptatis in earum locum cuniculis: Verum & hi vertigine primum corripi cœperunt, mox in ſaltus miros ac tripudiales indeſinenter, tanqvam choream S. Viti ducturi, erigi, dum ſucceſſive mortui concidiſſent. Jam vero gallinaceo generi maleficium infeſtum eſſe cœpit, quippe matres almæ, ovorum genetrices, una poſt aliam preſſibus malignis compactæ interibant, qvod germanicè eloquimur: Man hat ſie zu todte geritten. Paſſibus enim retrogradis titubantes crura divaricabant, adeo compreſſæ, ut inteſtina per anum exprimerentur. Cum igitur & ſuperſtites gallinas vir afflictiſſimus domo exegiſſet, malum canes & feles invaſit, torſit, interemit. Jam non ſupererat qvidqvam animalis bruti, dæmoniacæ crudelitatis objectum, itaqꝫ denuo patrem familias abominanda diaboli inſtrumenta adoriuntur, qvi paſſim in extima cute vibicibus maxime dolorificis vexabatur. Ante triennium, Anno nempe 1693. tempore autumni,

filiolus

filiolus natu maximus, annorum novem puellus, in toto ſiniſtro corporis latere tabefieri cœpit, qvod malum & reliqvas poſtea corporis regiones occupavit, ſic, ut ſenſim totus marceſceret, absqꝫ tusſi, vel ulcere, appetitu integerrimo, imo nimio. Hic 17. ſeptimanas à prima invaſione emenſus, vivum ſceletos, diem obiit. In Conſilium acciti Medici tam *Onoldini* qvam extranei. Nonnulli vermes, alii hecticam, alii coalitionem (c) (das Anwachſen) cauſſabantur. Hinc, qvod fieri ſolet, Medicamenta inter ſe longe diverſisſima, pro cujusvis ea ſcribentis hypotheſi, ſub pulverum, decoctionum, mixturarum, unguentorum &c. ſchemate parabantur, non neglectis qvoqꝫ ſudorificis, a qvorum ultimorum uſu cutis dura, ſcabra & ſqvamoſa evaſit, neqꝫ hactenus ulla faſcini ſuſpicio fuit. Hoc filiolo mortuo Anno 1695. eodem anni tempore Filius alter qvinqvennis conflictari cœpit, qvi, antea ſanitate fauſtisſima gaviſus, puerorum more aliqvando ſaltans, in ipſo ſaltandi actu pedum omni uſu privatur, ſic, ut a regione lumbari ad usqꝫ pedum extremitates non alius, qvam paralyticus compareret. Nec enim ab illo momento pedum aut femorum ullus vel ſenſus, vel motus, iſtis præterea partibus actu frigidis exiſtentibus, præter id, ſi aliqvando in tumorem ſuſtollerentur, tunc enim nec calor aliqvalis, & ſenſus obtuſus tactu percipiebantur. Excrementa alvi & veſicæ per totum morbi decurſum inſenſibiliter evacuata. Semeſtri circiter ante obitum miſelli corpuſculum ulcera tria occuparunt, unum ſcil. os ſacrum, reliqva duo coxas, vel potius nates. Veniebant absqꝫ dolore, & absqꝫ dolore permanebant, adeo ut ſupra nates ulceratas ipſe ſine doloris ullo ſenſu ſedere poſſet, ac medicamenta maxime acria ſine ſenſu ferret. Hæc ulcera ſtatim atro colore fœda non tamen aut ſerpebant, aut phagædena fiebant; ex uno vero, ſcil. eo, qvod os coccygis vel extremitatem ſacri occupabat, osſicula tria absqꝫ labore ac dolore ope volſellæ exemta. Per totum morbi decurſum æger probe paſtus tabe nihilominus conſumebatur, &, poſtqvam per annum integrum & tres hebdomadas decubuiſſet, beate exſpiravit. Huic miſero varia qvoqve remedia tam in qvam externa, per Medicos & alios, qvod infra pluribus memorabitur, cumprimis etiam Conſultore magnifico *Dn. D. Lœlio, Archiatro,* (idqve, cum de faſcino jam eſſet orta ſuſpicio) *balſamum magicum Pforzheimenſe, ſeu oleum hyperici compoſitum,* fuerunt uſurpata. Notandum, qvod a primo iſtius balſami uſu puellus alterum pedem iterum paulisper movere potuerit, gaudio tamen vix durabili, qvippe brevi rurſum im-

mobilis, talis ad finem usq; permanſit, continuata licet hujus balſami propina Poſt mortem aperto corpore omnia viſcera ſine labe reperta, ni acidum valde, qvem exhalavit ventriculus, odorem excipias. Eo adhuc vivo tertius qvoqve trium circiter annorum puellus, initium ægrotandi fecit, virium debilis & emarcidus, in utroqve pectoris oſſei latere conſpectui præbebat foveas, (qvales & in priori viſæ) ſatis capaces, ut introrſum qvaſi trahi coſtæ viderentur. Abdomen prætumidum, qvod tamen ab uſu pharmacorum qvorundam a *Carnifice Noribergenſi* ſuppeditatorum emollitum, ſubſedit. Eopſe momento, qvo mœſti parentes a funere fraterculi medii domum reverſi eſſent, miſellus hicce per frontem & naſum qvaſi ſuggillatus cernebatur, ab eoq; tempore vires adeo defecerunt, ut ea ipſa ſeptimana fato defungeretur, afflictisſimiq; Parentes heptaemeri unius ſpatio duobus filiolis juſta ſolvere cogerentur. Mortuo huic puello abdomen denuo turgere, tendi & liveſcere, ſic, ut *Balneator Weinbergenſis* in adjutorium accitus, culpam in toxicum conjectaret. Ad hos binos puellos, cum Medicorum præſcripta nil effeciſſent, *Carnifex* primo *Noribergenſis* vocatus, mixturas aqvarum & pulverum in & externe adhibendas dedit, natu vero majorem prognoſtico reliqvit. Poſtea *Bubulcus Zeilacenſis*, non procul abhinc, conſultus, cereum e variis gummoſis liqvoribus compactum in promtu habuit, cujus portionem prunis injiciebat, exceptoq; mappa ſordida (mit einem alten Tiſch-Tuch) fumo, puellos ſuffiebat, qvorum natu minor immenſum vociferabatur, major patienter ferebat. Suffitus hic ſæpius repetendus erat. Præterea qvantitas herbæ (qvam ſimul transmitto, & a noſtris rhizotomis ac vulgo appellatur Beſchrey-Kraut/ (d) weis Johannis-Kraut/ der Alt-Vatter ꝛc. ego vero ſpeciem *antirrhini* puto) tanta, qvæ novem obolis veniret, ex aqva fluviali puellis pro balneo coqvebatur, lotura inde ſemper turbida, viſcida & gelatinoſa evadente. Minor puellus inde meliuſcule habere videbatur, ſic, ut pedibus inſiſtere poſſet, valetudine tamen nunqvam ſtabili. Major natu nil inde levaminis qvidqvam ſenſit. Dictus bubulcus eadem qvoqve cerei maſſa totum campanile, ſingulaqve conclavia perſuffiebat, ab antico campanilis limine incipiens & in poſtico deſinens. Inter ſuffiendum ſub ſcala qvadam turricolis omnibus ſcandenda, corpus cylindricum, ovi gallinacei figuram & magnitudinem æqvans, colore nigro, tactu neſcio qvid piceum referens, involutum ſtramini reperiebat, qvod retrorſum de turri projectebat. Qvod autem & hujusce bululci auxilium ſublevandis

vandis miſellis impar eſſet, Patriq; ab aliis Ruſticus qvidam de *monte Ruperti* prope *vallem Meſſinganam* laudaretur, & hujus conſilium fuit exoratum, qvi puellis emplaſtrum, utriusqve genu parti ſilveſtri affigendum, quin & pulverem circa lunæ qvadras uſurpandum, & aqvam pro litibus externis miniſtravit, ſed incaſſum omnia: qvippe major natu, (ſeu medius è tribus) tertio poſt horum uſum die, ſummo cum dolore & ejulatu, minimus autem paucis abinde diebus, modo, qvem ſupra memoravimus, obierunt. Ad qvem ultimum qvoq; accerſitus *Balneator Weinbergenſis*, oleum ad tres guttulas bis per diem hauriendum, & liqvorem colore ſoporeq; muſtum recens referentem, pro lotione cum ipſius puelli, tum omnium totius campanilis liminum præbuit, qvin & in ipſo lunæ novæ ingreſſu circa veſpertinum crepuſculum ſubter oſtiorum dicta limina, Sacculos parvos variis herbis (qvas inter & *victorialis* agnoſcebatur) refertos defodit, campanili qvoqve ſuffitibus delibuto; quibuscum diligenter pergerent, carbones huic actui deſtinatos in profluentem abjicerent, nec de veſtimentis Heri per triduum (erat tunc circa Feſtum Nativitatis Dominicæ) cuiqvam qvidqvam mutuo concederent, præcepit. Ante vero, qvam hi bini puelli fatis ceſſiſſent, & ipſe Pater haud adeo belle habere cœpit, & in eo præſertim hypocauſto, qvod ſibi ſuæq; ſupellectili Muſicæ in altero campanili ejusdem templi occupaverat, inſolita qvædam evenire animadvertit; Qvoties enim cunqve illuc ſe collaturus per ſcalas aſcendere vellet, in hypocauſto dicto tumultum qvaſi menſæ ſubvertendæ percepit, nemine tamen qvoqvam præſente. Hypocauſtum ipſum ingreſſus, anxietate metuqve inevitabili fatigabatur, qvamvis ut timorem elideret, binis vicibus ex inſtituto ſemet inebriavit, nullo tamen cum juvamine. Poſt mortem filiorum, e filiabus major natu, tertium ſupra decimum ætatis annum terens, mox ab anni 1696. Calendis ægrotandi fecit exordium. Primo vomitus, interdum deliria, marcor & muſculoſæ carnis conſumtio. Et, qvemadmodum ſupra dicto modo puellis in utroqve pectoris oſſei latere foveolæ extiterunt, ita virgunculæ in pectoris ipſomet medio cavitas orta non ſine dolore exqviſito. Qvoties per ſcalas anteriores deſcendiſſet vel aſcendiſſet, illico vomere cogebatur; poſterioribus vero ſi ſcalis uteretur, tale nihil patiebatur. Menſe Martio ejusdem anni Patrem afflictum tuſſis, aſthma, faciei interpolatæ inflationes, qvin dolores qvoqve punctorii per utraqve genuum utrorumqve latera, ſpinam dorſi & pectus angebant. Qvietus aut ſtans aut ſedens pejus habebat,

habebat, remiſſius, ubi corpus moveret. Magnif. *Dn. Doct. Lœlius* heic rurſus multa, ſed absqve ullo fructu, ordinavit. Electa igitur medicamenta *Balneatoris Weinbergenſis*, dum interea ludimoderator qvidam Paganus campanile conſcendens, fluctus omnes unius Ducati pretio componi poſſe aſſeverabat, calcataqve ſimul pedibus anteriore ſcala, *ſub hac*, infit, *miſeria veſtra ſepulta quieſcit*, cum ad rem ventum eſſet, ipſe non tantum auxilia recuſabat, verum & a ſuo Magiſtratu in examen vocatus, tales ſe ſermones habuiſſe pernegabat. Hæc dum aguntur, etiam octo annorum filiola natu tunc minima valetudinis infirmatæ qvædam de ſe indicia ſpargebat: major autem iſta per dictas ſæpe numero ſcalas deſcenſura, numqvid ſuſpecti poſſet invenire, qværere volebat, parentibus iſtud propoſiti ſua ſemper auctoritate inhibentibus. Accidit autem ut clam illos ante præteritum Pentecoſtes Feſtum ſubter ſcalas viſitatum iret, illicqve ſua manu repertam intra commiſſuras gradus rimam ſibi ampliaret. Erat autem dictæ ſuperioris Scalæ, tantum ex aſſeribus compactæ gradus infimus. Ecce tibi! qvid ibi reconditum animadvertit, ſtatimqve ſuis Parentibus, hi vero Magiſtratui oppidano indicarunt. Gradus illi per delegatos ſummoti obtutui ſiſtebant icunculas cereas primum binas, poſtea adhuc unam, binas feminini, maſculini generis tertiam. Harum una maſſæ palmam longitudine & latitudine æqvanti & ex pice, vitrorum fruſtillis, pilis ovorumqve putaminibus coagmentatæ; reliqvæ binæ ejusdem generis alii maſſæ, qvam halecum inſuper capita, cantharides & ejuscemodi plura auxerant, involutâ fuerunt. Hæ imagunculæ diverſis qvoqꝫ aciculis hinc inde confixæ cernebantur, una qvippe ternis, alia circa nates, rurſum alia circa pectus, alia circa Spinam dorſi ſurſum vergente, puello natu medio ſine dubio dicata. Icuncula altera qvatuor, tertia ſex icunculis confixæ viſebantur. Poſtqvam hæ qvisqviliæ, acubus prius extractis per carnificem in cineres redactæ fuiſſent, illico melius utræqve filiolæ cum ſuo Parente habuerunt. Atqve, ut Campanile totum ab ejusmodi faſcinatione liberum præſtaretur, omnes ſcalæ ſubmoveri juſſæ. Sub earum aliqva oſſa qvædam, puta femoris, tibiæ & fibulæ, pro pede infantili agnita, cum duobus cornubus hircinis reperta. Hæc oſſa *Balneator Weinbergenſis* ſecum recipiebat, ægros certo qvodam oleo purgabat, ſuffimenta denuo ſuppeditabat, atqve, ut metum omnem jam deponerent, ſi forte in campanili tumultus audiretur, monebat, nunc enim ſe ab omni maleficio plane pleneqꝫ liberatum iri. Nec fefellit eventus. Nam ea nocte,

quæ

qvæ SS. Pentecoſtes Feſtum præceſſit, horrendæ turbæ in turri univerſa exortæ, ſic ut filia natu major altum clamitaret, cujus tamen clamoris, nec illo tempore a ſomno excitata, nec hodienum ſe conſciam eſſe affirmat. Inſeqvente ipſo die Feſto tanti rurſum ſtrepitus, ac ſi ſtrictis in contignatione ſuperna gladiis maleferiati qvidam congrederentur, qvæ res illis qvoqve permoleſta erat, qvi prope templum excubias nocturnas agebant. Noctu alterius diei Sacræ tumultus idem, qvin & phantaſma Diabolicum, cubiculi ejus, in qvo turricola dormiebat januam adoriens ferramenta clauſtralia horriſone qvaſſavit. Ab eo vero tempore, *DEO* ſit laus, omnia qvieta & ſana, præter id, qvod filia natu major valde ſit macilenta, dextrumqve latus pectoris cavitatem adhuc qvandam oſtendat, ſiniſtrum vero, cui applicatum toties memorati *Balneatoris Weinbergenſis* unguentum viride, qvadantenus elevatum ſit. Spes autem eſt, per hujus tam externos litus, qvam propinatum intus oleum, valetudini ſuæ penitus eam redditam iri.

SCHOLIUM.

(a) Laudet *Heinſius*, utcumqve velit, oratione peculiari pediculos, *admirand. rer. admirabil. encom. p. m. 134. ſeq.* Tributum a Mendicis hauriant *Mexicani* Reges, nimirum pediculos aliqvot, qvos hi pendere cogantur, & qvorum innumeri ſacculi in aulam *Mexicanam* comportati fuerunt, ex *Nieremberg. Franciſci* im Luſt-Garten *p. 1711.* Alantur in *Hiſpania* pediculorum innumeræ myriades, juxta *Auct.* der Monat-Geſpräche/ *Anno 1691. p. m. 332.* Imo dentur homines ſemibruti, qvi pediculos undiq; conqviſitos, avide, cupediarum ad inſtar, devorent, qvalem præbet *Ex. Clauderus Ann. 6. Dec. II. Eph. Cur. obſ. 176.* Nos adeo non delectamur animalculorum iſtorum commercio, ut omni potius ratione eorum exſtirpationem ſuadeamus. Inter ea vero, qvæ horum examina fugant, medicamenta, non infimum locum tenent *oſſa demortuorum* intra veſtes qvocumq; modo geſtata vel de collo ſuſpenſa, quorum effectum ſalutarem plus ſemel vidimus, licet ab Auctoribus raro commendentur. Morbos itidem a faſcino qvantum concernit, oſſa humana eis freqventer adhiberi, novimus. Sic ſuffitum e dentibus humanis, ſui generis oſſibus hinc inde Practici, cumprimis etiam *B. noſter Clauderus Dec. II. Ann. IV. Obſerv. 136. Ephem. cur.* commendant, etiam in iis, qvi ſunt à malo Dæmone obſeſſi:

qvamvis ab hoc amuleto pediculi etiam per faſcinum non producti abigantur. Præterea digitum hominis demortui ad fuganda iſthæc animalcula *Reuſnerus obſ. 31.* laudat. Utut ſit, non eſt tamen indignum inqviſitione, qvo ex principio demortuorum oſſa agant? Certum eſt, pediculos etiam in hominis vivi corpore confertiſſimos, eum, poſtqvam extinctus eſt, illico deſerere, qvo ipſo conficitur, eos ab humorum putredine neutiqvam progigni. Qvemadmodum igitur verior hactenus de pediculorum geneſi Sententia lucem non vidit, qvam ea, qvod e Seminio ſuo, ſeu ovulis, in lac vel alia nutrimenta depoſitis & ſimul deglutitis oriantur, felicius in iis, qvi ſero acido-acri viſcido, ceu ſeminiorum iſtorum apta matricula, abundant, qvales ſunt pueri, qvæ dicta ſeminia cum talismodi ſero in glandulas extimas delata, fota & excluſa ſuos partus edunt; (hinc in locis maxime glanduloſis horum uberior qvoqve pullities; vid. *Dolæi Encyclop. Med. lib. 6. cap. 11. p. m. 1020. & Pechlin. lib. 1. Obſ. 24.*) ita charactere vitali in lympha totius corporis deleto illico ſe proripiunt. Cum autem oſſium humanorum materia omnino qvoqve ſit in lympha qværenda, ſic, ut ſint ex lympha viſcida coctum qvaſi gluten, in oſſeam deniqve ſubſtantiam immutatum: vid. *Havers Oſteol. p. m. 25.* & ipſa, ſcil. oſſa, præter antiqvorum opinionem vivant, nutriantur &c. charactere vitali & in demortuorum oſſibus deleto pediculis abigendis ea inſerviunt. Si deniqve dantur gentes, qvæ monetæ loco majorum ſuorum oſſibus utuntur, certe in eis vix erunt, qvi a pediculis infeſtentur, niſi fortaſſe monetæ hujus genere deſtituti pauperrimi, ſic, ut & ibi pauper fortaſſe ubiqꝫ jaceat. vid. Monatl. Unterred. *1692. p. m. 318.*

(b) *Suffumigia* cum *Cornu capræ* peſtis tempore, it. ad excitandos lethargicos & epilepticos, jam antiqvioribus uſitata vid. *ap. Schröd. lib. V. Cl. I. p. 474. Pharmacop.* Hyſtericis paroxyſmis eadem apta. vid. *Ettmüll. Schröd. dilucid. & Fr. Hofm. clav. Schröd. Lit. Capra.* Contra morbos a faſcino, uti ſuffimenta præ aliis multum valent, *vid. Ann. III. Dec. III. Ephem. Cur. obſ. 204.* Ita *Cornu capræ* huic intentioni non incommodum, vel e teterrimo, qvem exhalat, fetore hariolari licet: præcipue cum genus caprinum dæmoniacis præſtigiis aptum reperiatur; hinc & in hac ipſa Hiſtoria inter alia faſcinationis inſtrumenta recondita duo Cornua hircina reperta, & Hircos Diabolo immolari ab Indis Orientalibus, per *Rogerium* in der offenen Thüre zum verborgenen Heydenthum *lib. 11. cap. 15.* docemur, præter id, qvod ipſe *Salvator* noſter *Matth. 24. v. 32. 33.* impios *Hircis* comparavit.

(c) De

(c) De iſta *coalitione*, von dem Anwachſen der Kinder / ſalſe ſed vere ſcribit generoſiſſimus noſter *Argus, Dn. Francus de Frankenau, Agoniſm. Phyſico-Med. 9.* & medicamenta proponit ibid. infantibus illa hypochondriorum tenſione laborantibus proficua. Origo erroris mulierculārum fortaſſe haud alia, qvam eo, quod ſubter coſtas Spurias digitum infigere non poſſint, hinc interiorum partium aliqvod accrementum ad coſtas, qvale tamen nec ipſæmet ſatis determinare ſciunt, imaginantur. Sed vera ratio, cur illuc adigi digitus non poſſit, eſt abdominis a flatibus diſtenſio. Propterea carminativa, & præſertim *Salia volatilia oleoſa* diutius exhibita ad gtt. iij. iiij. *aqua menthæ, carvi &c.* paginam omnem abſolvunt, dummodo interdum & blanda evacuantia dentur, ex *gialapio* cum *hydrargyro dulci* & *manna* miſto.

(d) Beſchrey-Kraut/weiſſes Johannis-Kraut ꝛc. Non eſt *antirrhini* ſpecies, qvam mihi vir excellentiſſimus transmiſit, ſed *ſideritis*, cujus eſt multa contra morbos a faſcino, cumprimis in balneis utilitas. Vid. inter alios *Carrichterum & append. ad Muralti Chirurgica Königii noſtri* von Heilung der zauberiſchen Schäden. Expertiſſimum eſt, iſta *ſideritide* infantes & faſcino totos emarcidos denuo curari, ſi in profluente coqvatur pro balneo. Univerſa tunc, qvod mirum, aqva gelatinoſa qvaſi & turbida evadit. Ejusmodi balnei qvoqve mentionem injicit *Excell. Albrecht Ann. II. Dec. III. Ephem. Cur. Obſ. 204.* parati nempe ex *ononide ſpinoſa, hyperico & radice ſideritidis.* Noſtris autem in oris *herba* præ *radice* expetitur & non ſine emolumento adhibetur. *vid. etiam Schröd. Pharmacop. lib. IV. Cl. 1. p. 159. Höfer. in Herc. Med. lib. V. cap. 4. p. 317.* iſtos puellorum morbos, qvos vulgo dem beſchreyen adſcribunt, ſoli prohibitæ tranſpirationi acceptos fert, ac de *balneo* è *ſideritide* confecto ſcribit, illud juvare poros cutis reſerendo, unde tranſpiratio facilior ſeqvatur; huic intentioni autem præ aliis accommodam eſſe *ſideritidem*, qvia (virtute qvaſi ſaponaria) mirum in modum ſordes cutis abſtergat, qvotus qvisqve enim decoctum ejus volæ manus, etiam recenter lotæ & mundæ indiderit, & vel parum digito volam fricuerit, ſtatim ſtrigmata cutis copioſe eliciet.

OBSERVATIO LXXIX.

Dn. Lic. ROSINI LENTILII.

De bonis horis male collocatis, circa meditationes ſuper pluviam coccoidem.

ANte biennium famigeratiſſimus *Tuberana Roteburgicus* Machaon, D. *Höchſtetterus*, Fautor & Amicus noſter, transmiſit *Cocculos*, neſcio qvales, magna copia de cœlo cum pluvia delapſos, adjecta ſeqventi narratione: Hiebey überſchicke ich auch / verſprochener Maſſen / die in unſerer Land-Wehr zu Liechtelau / den 9. May 1697. durch einen Wetter-Regen gefallene granula miliformia, welche auf eine halbe Stund Wegs die Erde zwey Finger hoch bedeckt / den ſiebenden Tag hernach aber durch einen Platz-Regen wieder fortgeſchwemmet worden / auf welchen eine ſechs-tägige Kälte erfolget / ſo an der Jagſt / Tauber und Mayn dem Wein-Stock und Korn hart zugeſetzet. Dieſe granula gleichen allerdings dem Tropff-Schweffel / geben auch / wann ſie im Licht angezündet werden / faſt einen ſolchen Geruch und Flammen. Hactenus *χαριέστατος Höchſtetterus*.

SCHOLIUM.

Miras interdum res aut cum *pluvia* aut inſtar *pluviæ* de cœlo præcipitari, omnium Hiſtoriarum monumenta, qvin & ipſæ noſtræ *Ephemerides* loquuntur. Aliqvorum ſaltem & mentionem injiciamus, Anno 1596. in *Norico* juxta *Donaverdam* circa qvintam Veſpertinam, ad qvadrantem horæ, qvarto Non Sextil. Sanguine pluiſſe narratum eſt, qvi in folia & veſtimenta hominum guttulis impreſſis in varia loca transmiſſus eſt, ex *Thuan. Hiſt. lib.* xxxxv. *p.* 935. *a.* Utrum revera qvid ſanguinei fuerit, an color pluviæ tantum rutilus, incertum eſt. Multum enim hic ſuperſtitioni vulgi acceptum eſſe ferendum, nemo facile dubitavit; namq; & ſub linea meridionali in *Guinea* pluvia rutileſcit, ſed & valetudini incolarum eſt ſumme noxia, qvod, qvorum cutis ejusmodi pluvia tangitur, illico febricitent, aliove morbo tententur, & veſtes hac ipſa permadidæ putreſcant, ut inſtar goſſypii diſcerpi qveant, ni ſtatim ad ſolis radios ſiccentur; qvinimmo nonnunqvam adeo fervet hæc aqva, qvaſi ad ignem ſit cocta: *Guineenſes*, ne cuti adhæreat iſta pluvia, qvoad totum corpus *oleo palmæ* oblinuntur, vid. *Franciſc.* im Guineiſch- und Africaniſchen Blumen-Puſch *lib. I. c. 2.*

p. 14.

p. 14. Proditum eſt & à qvibusdam in ditione *Emdenſi* apud *Friſios orientales* exeunte anno ſanguine pluiſſe *Thuan. lib. XLVIII. p. 1021. a.* In aliqvibus *Americæ* locis pulices pluit, ſed, qvæ â ventis in aërem antea ſublatæ erant. *Continuat. Acoſt lib. III. cap. 2. Franciſci* im Luſt-Garten *p. 928.* De pluvia ranarum ejusqve cauſſa, *vid. ibid.* Ubi Auctor contra aliorum mentem ranas in nubibus generari ſtatuit. *vid. etiam Jacobæus de ran. & lacert. Cap. I. p. 18.* Sententiam eorum ſibi arridere dicens, qvi ranas è locis vicinis abreptas alio transferri & vi pluviæ ac tempeſtatis in Terram dejici autumant, cum viſum ſit *Athenæo* aliisqve piſces cum imbre decidiſſe; *Cardanus* qvoqꝫ affirmet, ventos per juga montium ſævientes & ranas & lapides per aëra deferre, unaqve cum imbribus in terram demittere. In *Norwegia* mures depluere, *Lemmender* ſeu *Lemminger* dictos teſtatur magnus *Olaus Wormius.* Hucusqꝫ *Jacobæus.* De hac murium pluvia legi qvoqve poteſt *Paullini noſter* in der Zeit-kürtzenden erbaulichen Luſt. *Obſ. 50.* ubi inſuper tempus Anni notatur, qvo mures cum pluvia decidere ſolent, nempe circa *Feſtum Annunciationis*; qvod iſti mures omne gramen & ſegetes depaſcantur, adeoqꝫ ſint venenati, ut pecora gramen ab iis admorſum guſtantia ſine omni auxilio mori neceſſe habeant. De pluvia cinerum in *Archipelago*, flammarum in monte *Veſuvio* eruptionem inſeqvente, narrant *Acta Anglicana 1666. Januar. §. 6.* De aliis qvibusdam pluviis miraculoſis vid. *Miſand. Delit. Bibl. 1690. p. 1147. ſeqq.* qvos inter non eſt minima pluvia *Sodomitica*, ab eodem deſcripta in ejusdem Anni p. 1120. it. pluvia mannæ &c. Omnium autem primo de hujuscemodi pluviis evolvi dignus eſt Excell. *Hartmannus noſter*, *Append. ad Dec.* II. *Ann.* VII. *Ephem. Cur. p. 1. ſepq. in Differt. de annona & telis in Curlandia cœlitus delapſis, per tot.* ubi de annonæ pluvia ex *Thuano* mirabilia exempla adducit, interim tamen *cap. 1. §. 3.* non immerito notat, non æqve certum eſſe, qva fide tradantur ab Auctoribus ejus- „ modi pluviæ prodigioſæ, partim, qvod non diligentiam adhibuerint, „ qvam qvidem par erat in re adeo inſolenti adhibuiſſe, circumſtan- „ tias accurate adſignando, partim, qvod plerorumqve fides ſubleſta „ eſſe cœperit, poſtqvam curioſior indagatio multiplices errorum de- „ texit modos, qvibus Scriptorum ſive ſimplicitas, ſive incuria illa- „ qveari poterat. Sic Excell. *Gerbezius Ann. X. Dec.* II. *Obſ. 61. Ephem. Cur. in Villaci*, urbis *Carinthiæ*, vicinitate 1691. circa principium Martii, frumentum qvoddam, qvod Siliginem putabant, depluiſſe recenſet, eam vero tantum putatitiam, non veram, fuiſſe, ſed berberum

potius acinos, ventorum violentia in aërem ſublatos, & cum pluvia, nive & grandine rurſum deciduos; qvamvis veri & genuini frumenti cum pluvia qvoqꝫ delapſi hiſtorias non omnes eſſe prorſus vanas Illuſtriſſ. *Celſi* Scholium bene notet. Cur aliqvando Terris pluat, *vid. in Diſput. Klinchameri de natur. mineral. habita Jenæ Præſ. Schenkio 1662. Exercit. 3. circa finem.* Et de pluvia Magica *Styriaca*, qvæ in integra alnorum ſilvula folia ſerpentum charactere tinxit, magnificus noſter *Lebenwaldus Ann X. Dec.* II. *Eph Cur. Obſ. 154.*

Jam *Cocculorum* noſtrorum Hiſtoriam, ſi placet, texamus, & videamus, utrum, qvid ſint iſti cocculi, erui qveat? Cocculi itaqve noſtri non ſunt unius exacte magnitudinis, utplurimum tamen ſemen cannabis æqvantes. Figura ab uno latere convexa, ab altero cavitate notabili prædita, & plane talis, qvalis eſſe conſuevit qvarundam conchularum marinarum; Color pallidus ex albo ſublivescens, qvaſi gummi tragacanthæ, aut ſuccini pallidioris, aut, ſi mavis, Cornu bubuli pellucentis, ſuperficies primo aſpectu lævis, qvæ tamen inciſuras verſus cavitatem ductis conchulas æmuletur, in cavitate rugoſa, nigra vel ſordida potius, qvisqviliæ & ſordes nigricantes, ſubſtantia qvaſi cerea, qvamvis duriuſcula, non tamen friabilis, ſed ſciſſilis, pondus leviſſimum. In aliqvibus, ſed his paucis, granulum nigerrimum, inſtar ſeminis papaveris nigri cavitatem opplebat, ſui dimidia parte prominulum, ſed preſſu digiti levi, ſicut pulveris pyrii granulum, in pollinem comminuendum, ut, utrum caſu lutoſum qvid, primo molle, poſt induratum cavitatem eam ſubierit, an ſint corpuſcula, neſcio qvalia, eidem domeſtica, incertus relinqvaris? Aliqvibus fontanam ſuperfudimus, ut, numqvid horum textura mutaretur, exploraremus; intra dies aliqvot Color magis albidus, conſiſtentia mollior, ſciſſi cultro facilius cedebant, nec aliter ſcindenti videbatur, ac ſi rapam vel raphanum vetuſtate jam ſqvalentem (eine pelzigte Rube) cultro divideret. In aqvam cætera tincturæ nihil depoſuerunt. Et aridi cocculi, & in aqva macerati, ſi manderentur, plane ἄποιοι, nulliusqve ullius ſaporis idea perceptibiles: nec intra dentes qvaſi lapideum qvid ſtridebant, ſed ita dentibus cedebant, veluti fabæ, piſa, lentes aut ſimile qvid manſum. In acetum vini per triduum immerſi, molliores qvidem, qvam aridi, evaſerunt, duriores tamen illis, qvi ſubter aqvam aliqvandiu jacuerant, cæterum iſtorum color plane cinereus, qvaſi atramento pallidulo tinctus, neqve hic alia aceti tinctura. Incenſi haut qvidem difficulter inflamabantur, ſed odor non admodum

Sulphu-

Sulphureus, nec diu flagrabant, ſed in carbonem friabilem illico & fere dicto citius fatiſcebant ſi nari flammam celeriter admoviſſes. Sulphureum vix perceptibile qvid olere videbantur, reliqvus fetor erat qvaſi putaminum nucis incenſorum, momentaneus tamen & celerrime evanidus. Poſt deflagrationem nil ſuarum dimenſionum amiſiſſe cernebantur. Jam vero & microſcopium in examinis adjutorium accitum. Obverſi itaqve lumini tragacanthæ ad inſtar, qvam & colore referebant, pellucebant, intus in cavitate ſuperficies aſperrima, qvaſi vetuſtate corrugata, & qvalis v. gr. interior aurea ventriculi turdorum tunica, nec foris qvoqve lævis, ſed inæqvalis & foveolis, veluti citri cortices, prædita. Qviſqviliarum in cavitate contentarum ſpongioſa qvaſi ſubſtantia. In qvibusdam cavitatibus oblongæ ſordes prima fronte Speciem vermiculi ludebant, ludebant autem. Qvi in aqva fontana qvin & aceto, parum emolliti fuerant, in lateribus diſciſſis pulpoſam ſubſtantiam, qvalis eſſe ſolet raparum aut raphanorum, haut obſcure præ ſe ferebant. Hæc igitur ſunt cocculorum noſtrorum phænomena. Utinam primis à pluviali delapſu diebus eos recentiores videre licuiſſet, aut aliæ ſcitu maxime neceſſariæ circumſtantiæ litteras *Höchſtetterianus* eſſent comitatæ. Sed, qvid vota poſſent? Profecto de cocculorum horum eſſentia, atqve utri Regno Naturæ ſint adſerendi, certi qvid ſtatuere difficillimum. Tametſi enim cum omnibus tribus Regnis aliqvid commune habeant, ſunt tamen alia, qvæ eis Sedem, aut in hoc, aut illo, aut iſto, certam figere prohibeant.

Excellentisſimo *Höchſtettero* putantur qvid *minerale*, & qvidem *Sulphureum*, aliis qvoddam *ſemen vegetabile*, rurſum aliis, ſi non *concha, capſula* tamen aut *ovum* cujusdam *inſecti*. Rurſum nonnullis qvid ſupernaturale, aliqvibus magicum, nonnemini naturale in aëre genitum æſtimabantur.

Supernaturale nil patimur tamdiu dici, qvamdiu causſis naturalibus qvocumqve adhuc modo acceptum ferri poteſt, aut qvod operæ qvoqve ſit pretium. Cur autem, ſi *DEO* viſum eſt patrare miracula, ea in re tantilli momenti patret?

Magicum ſi qvis dicat, non eqvidem pernegamus malum Dæmonem miras, easqve ſatis prodigioſas res noſtro conſpectui ſiſtere poſſe: qvod ubi facit, in perniciem generis humani facit. Hinc etiam ludicris ejusmodi delectari vix mihi perſuadeo, niſi noxa ſimul in *imaginem DEI* redundare qveat. Cum noſtris autem cocculis operam, ſi recte res æſtimetur, oleumqve perdidiſſe videri poſſet. Qvamvis

enim

enim in relatione ſeptiduanum frigus, viti frugibusqve valde nocivum, iſthanc pluviam eſſe ſecutum recenſeatur, iſtud tamen frigus imbrium potius, qvi cocculos de terra ſublatos proluvione abripuerunt, conſectarium, qvam Cocculorum effectum, dicendum putamus. Recte „ *Hartmannus noſter loc. cit. cap.* IV. *§. 6.* nimis vacivæ horæ Dæmoniis „ fuiſſent, ſi in tales nugas, citra damnum mortalium, tantum tem„ poris impendere habuiſſent; Eſt enim veroſimillimum, non temere „ qvid à Sagis patrari, niſi inimicis incommodum, aut ſibi commo„ dum qvomodocumqve exinde promittere qveant. Nil autem hic inſoliti ſecutum.

In *aëre* genitos fuiſſe ſive cocculos, ſive qvo veniant alio nomine moleculæ, vix cuiqvam Phyſico credibile exiſtat. Largiamur nobiliſſimo *Hartmanno loc.cit.c.V. §. 2.* (*vid. etiam* Schreyer. *trin. fluid. magn. cap. 1. membr. 20. §. 3.* aliisve rerum naturalium ſcrutatoribus, cenſus mineralis aliqva minus ſolida in aëre gigni & cum pluviis delabi poſſe; atqvi noſtra corpuſcula non tantum ſolidiora ſunt, & propemodum, imo, qvid dico propemodum? revera nimium organica, qvam ut aëreæ generationi ſint apta; Sed & mineralium cenſum rite examinata, non ſubeunt. Sin igitur aut ex animali, aut vegetabili penu deſumta, longe minus credibile vel poſſibile exiſtit, ea fuiſſe in aëre producta, per iſta, qvæ toties citatus *Excell. Hartmannus cap.* III. & IV. paſſim contra animalium & vegetabilium in aëre generationem erudite commentatus eſt. Neqve nunc demum â noſtra Sententia diſcedemus, qvæ jam olim in *Oologia noſtra*, forſan adhuc edenda, *omnia ex ovo* prodire, multis rationibus & experimentis firmavit. Credat itaqve dictus *Schreyerus loc. cit. cap. I. membr. 14. §. 4.* Semina animalium vel Plantarum elevata & putreſcentia in pluviali regione locuſtas & ranulas reddere. Credat *Kircherus* Spermatica vermium, Serpentum, ranarum, ſimiliumq; animalculorum corpuſcula ſublata in humido calidoqve aëre repentina geneſi excluſa, prodigioſam pluviam cauſſari. *Mund. Subterr. Tom.* I. *Lib.* IV. *cap. 5. propoſ. 9. p.m. 211.* Nos organica ejusmodi corpora tam cito non coqvi, qvam coqvuntur aſparagi, tamdiu credemus, donec contrarium firmis rationibus & experimentis adſtruatur. Cui enim fini diverſa ſexus â *DEO* creatio? cui fini multiplicationis iterata benedictio? Si negotio multo leviori per generationem qvaſi inſtantaneam vivas ejusmodi & ſentientes creaturas aër depluere valet, qvæ tot dierum labore per fotum & incubationem in ovo generantur, aut, ſi mavis, evolvuntur, immo, qvo-

rum

rum perfectionem vel leviſſima aëris injuria fruſtrari qveat? Non igitur in aëre generantur iſta; ſed in aërem, vi ventorum, ſublevata deorſum poſtea præcipitantur, ut paullo poſt videbimus.

Proinde, cum *terram* agnoſcant matrem, ulterius, an *mineralium* claſſi noſtri cocculi ſint accenſendi, nec ne, diſpiciendum? Nos, aliorum pace, per phænomena ſupra delineata, nobis minerale qvid imaginari non poſſumus. Nil metallicum color & pondus, nil Salinum ſaporis inertia, & recuſatum aqvæ imperium, nil Sulphureum fruſtra expectatus in accenſis odor Sulphureus, nil lapidiforme aut marcaſiticum ſciſſilitas & maſticatio præ ſe ferebant.

Si qvid *vegetabile* adſtruas, præter cujusdam plantæ ſemen efficere nihil qveas. Si vero ſemen, aut ejus erit capſula, aut ipſummet ſemen. Capſulas tam craſſa ſubſtantia præditas Botanicorum fortaſſe nemo unqvam viderit; & qvamvis granula nigra in cocculorum qvorundam cavitatibus contenta, papaveraceum vel analogum ſemen aſpectu primo mentiantur, attamen friabilitas eorum ſordes potius & lutum, qvam ſemen prodebat. Milium non eſſe, vel cœcus vidiſſet. Semina qvidem dantur, v. gr. *cynogloſſi*, qvæ ex una parte ſint convexa, ex altera qvadantenus concava, ſed inſtar lappularum ſunt hiſpida. Præterea per microſcopium nuſpiam viſitur aut hilus aut hiliforme qviddam, nec in aqva macerata, ut molliora reddantur, intumeſcunt, aut ullius vegetationis veſtigia præbent.

Fatemur qvidem, nos non parum gaviſos, cum in *Ephemeridum noſtr. Dec. III. Ann. III. Obſ. 39. ab Excell. Schulzio prodigioſam milii pluviam* adnotatum conſpicaremur; eo magis, qvia granorum iſtorum deſcriptio cum noſtris cocculis in multis conveniebat: qvippe, qvod majora fuerint milio, cerei coloris, ſubrotunda, ab uno latere convexa, ab altero concava, conchulæ ad inſtar, aut, ſi mavis, capituli boleti, fibrillam nigricantem aut purpuraſcentem in cavitate iſta ſua oſtendentes, duriuſcula, non ſtatim dentibus cedentia, eo ſolo excepto, qvod dicantur, poſt intervallum lingvam ſenſibili qvodam amarore affeciſſe, qvod noſtri cocculi non faciunt, ni fortaſſe cauſſa vetuſtas exiſtat, & recentiora ejusmodi ſaporem habuiſſe ſuſpicemur; nam alioqvi adeó granula hæc ſunt noſtris ſimilia, ut ovum ovo, ſic, ut propemodum ejusdem ſortis fuiſſe mihi perſuadeam. Confirmabar in Sententia de ſemine cujusdam plantæ, qvod in ea ipſa obſervatione dicatur, â circumſpectioribus cauliculos qvosdam ſemiputridos allatos, de qvibus granula talia pediculis ſuis pependiſſent, ac deniqve

 animad-

animadverſum multo labore eſſe *Semen alſines hederaceæ Tabernam. lib. II. ſect. 11. cap. 3. num. V. Alſines hederulæ folio Caſp. Bauhin. num. I. Morſus gallinæ folio hederulæ Lobel. Obſ. p. 247.* imò, qvod ſemen cauli ſuo adhuc paſſim adhærens folliculo incluſum, raro unicum, plerumqve geminum, nonnunqvam tergeminum, cavitatibus ſibi mutuo obverſis; atqve, qvod eſt cardo rei, ſemen ipſum terræ, peculiaribus vaſculis ad id unice deſtinatis, menſe *Septembri* commiſſum & per hiemem adſervatum, vere ſecuturo progerminans, plantam virentem vegetam omnibus numeris ſuis perfectam ſiſteret. *vid. m.* die monatliche Unterredungen *An. 1694. menſ. Sept. p. m. 766. ſeq.*

Enimvero, qvam iſta cumqꝫ cum noſtris cocculis congruere videantur, aliqva tamen ſunt, qvæ diverſum qvid haut obſcure arguant. Primo enim ſapor, qvod modo dictum, nec eſt amariuſculus, nec, qvod die monatliche Unterredungen pag. 771. innuunt, Sinapini qvidqvam refert. Deinde ex relatione *Excell. Schulzii* propemodum diſpaleſcit, grana iſthæc cum pluvia non decidiſſe, ſed, qvod in agris maxima eorum copia reperiretur, è capſulis ſuis maturitate; ut fieri ſolet, excuſſa, & agro poſt meſſem vacuo undiqꝫ relicto comparentia, â vulgo cum pluvia cœlitus delapſa putata fuiſſe. Noſtros autem cocculos cum pluvia revera decidiſſe, præter relationem *Excell. D. Höchſtetteri*, licet αὐτόπτης nemo nominetur, probabile tamen reddit (1) tempus vernum, *nona* ſcil. *Maji* dies, ubi ſemina ejusmodi nondum maturuerunt, (2) qvod agri iſto tempore vix herbam, nedum meſſem, fuerint experti, igitur, ſi vel maxime per totam hiemem iſta Semina jacuiſſent, impoſſibile æſtimetur, ea non fuiſſe citius ab Agricolis, qvam *nona* demum *Maji*, animadverſa. (3) Qvod neceſſe videatur, ejusmodi granorum plurima, etiam terræ ſuperficiei tantum incumbentia, vi pluviarum humectata, iſto tempore, qvo non eſt ullum in toto anno vegetius, germinare debuiſſe, cum defalcata poſt meſſem frumenti grana, ubi diutius ſuper agros jacent, non ſine meſſorum damno germinent. (4) Ex relatione comparet, non ſolum ſuper agros ea fuiſſe reperta, ſed integrum diſtrictum adeoqꝫ & prata & vias, per mille paſſus (ſi 4000. paſſus milliare conficiunt) obtexiſſe, & deniqꝫ (5) qvod omnium maxime notandum, ad binorum digitorum altitudinem accumulata ſurrexiſſe. Jam, ſi toti agri totius ditionis *Roteburgenſis* ejusmodi *Alſine hederacea* ſtudio fuiſſent conſiti, omniaqve earum Semina, vi turbinis illuc delata, utrum tamen dicto modo qviverint coacervari, dubitari poſſet. (6) Spectandos præbui

cocculos

cocculos noſtros Uterino Fratri *Philippo Franciſco Erichio*, Pharmacopoeo, & botanico expertiſſimo, qvi grana, ſeu ſemina *alſines hederaceæ* (qvæ *veronicis* juxta *Raji* methodum potius accenſenda) noſtris cocculis aliqvanto minora nec per omnia ſimilia adſerebat. Dolemus, qvod excludamur tempore iſtos cocculos Terræ mandandi, ſiqvidem ut *Ephemeridum Annum novum* attingant iſtæ *Obſervationes*, ad vernum tempus expectare non poſſumus.

Siccine igitur ex *animali* regno prodierunt? Plane & hic arduum certi qvidqvam pronunciare. Primo in ea plane ſententia fuimus, eſſe *cochlearum* fortaſſe minimarum qvasdam *conchulas*, aliusve innumero alicubi numero prognati inſecti ſublatis, poſt excluſionem, & in unum locum cum pluvia proſtratis, vi ventorum conchulis. Aſſentire videbatur figura, qvalis conchyliorum qvorundam marinorum, concinnæ inciſuræ concheniliis Tinctorum haut abſimiles circa rimam vel hiatum cavitatis concurrentes, cavitas ipſa, qvæ non adeo obſcure innuebat, contentum in ea, non fruſtra â Natura fabricatum, animalculum qvoddam, cujuscumqve demum generis, fuiſſe. Poſtea, cum admorſio cocculi, Conchaceæ ad inſtar ſubſtantiæ non intra dentes excitaret ſtridorem, ſed more leguminum cederet maſticationi, venit in mentem, an fortaſſe cujusdam inſecti, v. gr. *locuſtarum, Cochlearum, formicarum, ova* majuſcula eſſent, qvæ poſt exitum animalculi collapſa, corrugata & per conſeqvens crasſiora qvoqve reddita exaruiſſent?

Locuſtas eqvidem qvod attinet, eas nonnunqvam innumerabiles *ovorum* myriades poſuiſſe, hiſtoriarum fide docemur. *Relatio Francofurtenſis autumnalis 1686.* exhibet *locuſtarum Galliæ Delphinatum* depopulans examen; ubi inter alia reperta femellarum ſubter Terram habitacula, caveæ ſcil. longitudine & cavitate Scriptorii calami effictæ, in qvibus ova grani miliacei magnitudine, horumqꝫ ferme numero qvinqvaginta in una caverna; Sed & ejusmodi ovorum non profundius digito transverſo latitantium 180. Centenarii effosſi perhibentur, qvorum aliqva excluſa pepererant 300. Centenarios *locuſtellarum*; non majorum vulgaribus muſcis. Et qvamvis hæc *ova* minora videantur, qvam, ut cocculis noſtris, exſucca cumprimis & arida æqviparari poſſint, de aliis tamen *locuſtis Galliæ Provinciam 1613. Menſe Majo* vaſtantibus, alicubi legimus, eas autumnali tempore innumeros ovorum acervos, *ova formicarum*, NB. vulgo dicta magnitudine paulisper exſuperantium, congesſiſſe, & pasſim locis arenoſis in Terram defodiſſe,

ſe, qvæ ova arefacta & exſucca, vix minorem qvantitatem, qvam cocculi noſtri indipiſci poſſunt. Sic & *Acta Philoſophica Anglicana 1665. Mens Jun. Obſ. 6.* recenſent *Ukrainam* æſtate ſicca infeſtari *Locuſtarum* examinibus, qvarum ſingulæ 200. vel 300. ova pariant &c. Et, qvamvis non immerito qvis mirari posſit, unde tantus ovulorum ejusmodi numerus, qvi mille paſſus terræ duorum digitorum altitudine contegere valeat? is tamen mirari deſinet, ubi qvanti *locuſtarum* exercitus, nonnunqvam per aëra volitaſſe viſi, qvi aërem offuſcando noctem in ipſa meridie pæne induxerint, conſiderarit. Legatur inter alia *Diſſertatio Exc. noſtri Kirchmajeri Epiſtolica, de Locuſtis inſolitis tergemino examine & portentoſo numero è Thracia Daciaque in Pannoniam inferiorem perque Auſtriam in Germaniæ regiones plures ſeſe infundentibus, & pabula, qua tranſitus ferebat depaſcentibus, Witteberg 1693.* Aliamqve *Diſputationem de Locuſtis immenſo agmine aërem Jenenſem implentibus, habitam Jenæ Præſide Hebenſtreito; Reſp. Chriſtiano Prange 1693.* Credibile eſt locuſtas alicubi matrices aptiores pro deponendis & excludendis ſuis ovis reperire, ibiqꝫ turmatim conſidentes fetificare, qvemadmodum qvid ſimile innuit *Excell. noſter Raygerus Ann. II. Dec. II. Eph. Cur. Obſ. 22.* nempe, qvod illud Inſecti genus prima vice comparuerit in partibus *Trans-Danubianis Anno 1684.* ubi nimirum ante annum graſſatus exercitus hoſtilis omnia fere compita jumentorum hominumqve ſtrage complevit, illorumqꝫ imprimis eqvorum, mulorum & camelorum. Hæc igitur cadavera nidos ſibi elegiſſe locuſtas, & illuc ova ſua depoſuiſſe, qvin credamus, aut certe ſuſpicemur, nil prohibet. Inſecta enim morticinis delectari vel apum examen in cadavere leonis â *Simſone* repertum credibile fecerit. *Judic. 14. v. 8.* Et qvamvis, eodem *Excell. Raygero* notante locuſtæ præcedenti qvoqve anno, nulla tali ſtrage edita, ſint viſæ, potuit tamen alibi locorum, illinc longe diſſitorum, pecoris qvædam è contagio mortui ſtrages contigiſſe.

Cochleas ova parere candida, oculorum lucii piſcis magnitudine, è *Geſnero* adducit *Excell. Muraltus noſter Clav. Med. p. m. 485.* & magis curioſe *Antonius Felix, Abbas Marſilius, epiſt. ad Malpigh. de ov. cochlear.* qvorum aliqvot acervos non tantum in hortulo, florum bulbulos effoſſurus, reperit, ſed & prope lapides cujusdam horrei, qvæ ova non excedebant magnitudinem grani piperis: Color eorum albeſcens erat; qvæ vero animalculum jamjam protruſura eſſent, paululum liveſcebant, teſta tenuis erat, talis tamen, ut dextra tractata reſiſteret, rotunditatemqve ſuam, ſine ulla læſione ſervaret. Hactenus deſcriptio

Marſi-

Marſiliana; Jam vero, ſi qvis icones p. 19. adjectos, eorumqve cumprimis duodecimum, qvem ita expreſſe Auctor deſcribit, qvod ex eo ovulo jam prodierit animalculum, teſta vacua, aliqvantum NB. contracta & corrugata, magnitudinem inſuper oculi lucii piſcis, colore lividam, ſubſtantiam glutinoſam & mucilaginoſam, deniqꝫ rimam fere dimidium teſtæ occupantem, contempletur, magnam ſane cum noſtris cocculis paritatem, ſi rite metiatur, inveniet. Tametſi enim craſſiores ſint noſtri cocculi, corrugati tamen ſunt, atqꝫ adeo minores in ſua dimenſione facti, propterea neceſſario, adjecta inſuper mucilagine, craſſiorem ſubſtantiam adepti.

Ut vero & de *formicis* nonnulla loqvamur; qvamvis folliculi iſti ovales, ipſis etiam formicis majores, qvos in dorſo, veluti cochleæ domiportæ, portant, earum ova vera non ſint, prout curioſisſimus *D. Edm. King Act. Anglic. 1667. mens. Febr. Obſ. 7.* fuſe atqꝫ ad oculum demonſtravit; ſed potius ex ovulis aliis minutiſſimis incubatu primum vermiculi procreentur, qvi, poſtqvam in magnitudinem formicæ ferme excreverunt, ſubalba demum iſta pellicula circumdantur, ovalis figuræ, qvam ovum formicæ vulgo appellitant, nobis tamen perinde eſt, dummodo qvis nobiſcum posſibile æſtimet, capſulas illas, poſtqvam formicæ numeris omnibus abſolutæ, ſunt illinc egreſſæ, condenſari magis, corrugari itidem, ac deniqve cocculos noſtrates conſtituere poſſe. Si jam qvis interroget, cujus generis ovula noſtros cocculos exiſtimemus? ei reſpondemus, nos, poſito eo, qvod ſint inſecti cujusdam ovula, magis ad ea *locuſtarum* inclinare, propterea, qvia hæc ſola inſecta deprehenduntur magnis, & qvæ huic pluviæ ſatis conveniant, agminibus totisqve exercitibus huc illuc migrare. Qvamvis enim ob materiæ viſciditatem ova cochlearum magis congruere videantur, minus tamen, unde tam inſignis horumce ovulorum proventus & copia, concipi valet, cum tantos cochlearum exercitus cominiſci non liceat. Circa formicarum ova, ſeu potius capſulas hæreo propterea, qvod ſicciora huic negotio, &, cum exaruerunt, potius teſtarum ad inſtar, aut ſanguinis toſti fiſſum iri credibile ſit, præterea nec ipſarum formicarum tantus numerus exiſtat.

Deniqve, ut verum fateamur, *non niſi trepide horum quidquam adſerimus, probè recordantes, quantum in ejuscemodi rebus conjecturæ, etiam ſolertiſſimos, immo, hos magis, quam alios, fallere queant.* Cumprimis etiam aſſenſum remorari posſit, cocculorum in aqva maceratorum pulpoſa & veluti rapacea, in ſciſſuris, per microſcopium juxta & ma-

S 3 ſticatio-

ſticationem percepta ſubſtantia. Qvidqvid deniq; adſeratur, ſive minerale, ſeu vegetabile, ſeu animale qvid, ubiq; difficultates aſſenſusqve plenarii obſtacula ſemet oggerent: hinc Benevolo Lectori utiqve, qvidqvid ſibi ſtatuere decretum ſit, liberrimum eſto.

Potius, qvo pacto cocculi noſtri, per pluviam ſuper terram ſint ſparſi, disqviramus? Certe vix aliter, qvam *vi ventorum*. Omnes ejusmodi pluviarum hiſtoriæ propemodum expresſis notant, præcesſiſſe pluviam, aut ſaltem comitatos eſſe ventos, turbines, procellas. Collecta igitur, ſi placent, locuſtarum ovula pridem excluſa innumerabili numero, eo loci, ubi v. gr. morticina matricem præbuerunt, & ratione ariditatis levitatisve ſuæ; vi ventorum, præcipue turbinum, longius qvandoqve, qvam facile qvis credere posſit, in ſublime provecta, inq; aêre, ratione dictæ levitatis aliqvamdiu libratæ cum pluvialibus guttis, aêre per vapores aqveos denſato, æqvilibrium amittente, ſuper terram alicubi præcipitata magis, qvam delapſa fuerunt. Et, ſi locuſtarum ipſarummet agmina, excusſionis ſui territoria ad usqve genua operuerunt, cur non earundem ovula terram 2. digitorum altitudine cooperiant? Conſentit nobiſcum *Excell. Hartmannus loc. toties cit. cap. 4. §. 6.* de pluvia *Curonica* granorum avenaceorum, nempe grana iſta per hiemem humi relicta, adventante anni recentis Aprili, nivibus ſolutis, ſereno vere, Siccitate ſua exaruiſſe, indeq; eveniſſe, ut levitas eorum, vento, an ſoli etiam obſeqvens? dubitatur, ad nubes evecta ibi aliqvandiu hæſerit, donec natales ſuos arenoſo in loco repetierit. Sic & *Kircherus loco dicto* melius, qvam ſupra, ſentiens, rationem redditurus, cur in nonnullis locis *Arabiæ, Lybiæ*, ſubinde vermium, ſerpentum, ranarum ſimiliumqve animalculorum pluvia obſervata ſit? reſpondet, ea unâ cum arena: aut etiam ex qvovis loco, ubi copioſa propagine propullulantes ſtabulantur, ventorum violentia abrepta; nunc in has, modo in illas regiones, pro ratione venti, delata, prodigioſam poſtea pluviam cauſſari. Sic & locuſtæ terram *Ægypti* cooperientes Euro vectore adveniebant, Zephyroqve tollebantur, *Exod. 10. v. 12. 19.* Sic & Coturnicum pluvia mediante vento populo Iſraëlitico advehebatur: *Num. 11. v. 31.* qvod repetitur *Pſal. 78. v. 26.* Qvas coturnices locuſtas fuiſſe magnif. *Jobus Ludolfus* aſſerit, prout citatur in den Monatl. Unterredungen *Anno 1694. p. 757. vid. ead. Colloq. 1691. p. 527. ſeqq.* Nos vero meliora docentibus manus alacriter daturi, abrumpimus.

Ita qvidem abrumpere, totiqve mundo; immo nobismet ipſis, inſciis

inſciis & invitis, fumos vendere ſtatutum erat. Sed, o qvam vanæ virorum, nî fallimur, & nobis doctiorum, & hæc ipſa noſtra vel excogitatisſima cogitata? Et, qvam eruditæ ſunt eruditisſimorum curioſæ nonnunqvam nugæ? Scripſeramus, ſurrexeramus, in eo eramus, ut microſcopium, cujus ope cocculos noſtros examinaveramus, loculo ſuo redderemus, ut vitrum, in qvo eosdem cocculos ſatis diu, immo per tres circiter Septimanas, maceraveramus, evacuaremus & purgaremus, & *ecce, cocculum unum germinare animadvertimus.* Oſtendimus eundem *Ex. Dn. D. Breyero*, tunc Inquilino & Convictori noſtro; nunc *Phyſico Spirenſi*; Stupebamus, & nos tót lineas fruſtra duxiſſe, tot Spiritus inanisſime prodegiſſe, fere pudebat. Interim recentem affudimus aqvam, & tres vel qvatuor cocculi rurſum ſucceſſive germinabant, germinibus fere uncialibus protruſis. Auctumnus erat, nulla ſpes in ſatis cocculis ſubterraneæ germinationis. Impatienter itaq; ver novum 1699. expectantes, cocculos nonnullos terræ mandavimus, prodierunt, licet ſero, fortaſſe, qvod granula eſſent vetuſtiora, prodierunt, inqvam, & plantam, qvam *Lector*, appictam videt, ipſisſimam nempe *Alſinen folio hederæ* protulerunt. Florem, qvod dolemus, cum eo tempore potationi *Göppingenſium acidarum* vacaremus, non conſpeximus; uxor tamen minimum & pallidiuſcule cæruleum, fugacemqve fuiſſe referebat. Semina vero & ipſa hic exhibemus, eadem plane cum depluentibus Cocculis *Rotenburgenſibus.* Hæc plantula, quamvis *alſinen* eo criterio præ ſe ferat, quod diſruptis cauliculis incluſum quaſi inteſtinulum *alſines* more protenſum oſtendat, moderni tamen Botanici ob florum Seminumq; identitatem, eam volunt eſſe ſpeciem *veronicæ*, eamque proinde vocant *veronicam foliis hederæ*, quos inter vid. *Ammann. charact. plant. fundam III. Canon. 54. p. m. 167.* Folia vero ſunt *hederæ terreſtris.* Optandum eſſet, ut inter Botanicos denique conveniret de *plantarum charactere*, ſiquidem, ubi diutius in diverſum abierint; nemo denique ſcire poterit, quid *veronica*, quid *Alſine*, quid *Peucedanum*, quid hoc vel illud? Cumprimum cocculos germinare vidiſſemus, Botanicus quidam induſtrius & ſagax hariolabatur eſſe ſemina *rubeolæ arvinæ cœruleæ*, quam deſcribit etiam *Chabræus Sciagraph. Stirp. p. 547.* Enimvero ſatio dubium omne, cum ejus quoque admiratione, ſuſtulit. Jam igitur, quis non ſtupeſcat alicubi tantam hujus ſive *veronicæ*, ſive alſines copiam ſuccreſcere potuiſſe, ut ſublata harum in aërem ſemina, NB. ſine admixtis aliis ſeminibus, potuerint dimidiæ horæ diſtrictum, & quidem ad 2. digitorum altitudinem,

nem, tegere? aut, quis unquam plantulæ hujus tantam meſſem ullibi conſpicatus eſt? Alii cuidam, quam integerrimo *Höchſtettero.* (de cujus fide dubitare velle piaculum exiſtimamus) relationem iſthanc fatemur, difficulter credidiſſemus. Quid igitur jam faceremus? An ineptas noſtras meditationes, quod fas erat, ſuppримeremus? Nequaquam. Conſtituimus potius omnia ut in chartam jam erant conjecta, noſtris *Ephemeridibus*, vel eo ſolo fini, communicare, ut exemplo quoque noſtro monſtraremus, quam proclivis ſit ad errores mens humana, quantaque ſit opus circumſpectione, ut aliquid in re tam obſcura, certi ſtatuas, & quam falſiſſimas vaniſſimaſque vanitates viri cætera non indocti, vel certe pro talibus ab erudito mundo non habiti, magna nihilominus cura, ſeriaque ſollicitudine ſcribere, credere, aliisque credenda, ſine dolo, proponere poſſint; quamvis, poſtquam cocculos noſtros & imaginaria locuſtarum ova germinaſſe vidimus, nos antea non niſi trepide ſententiam dixiſſe, lætemur.

FIG. VII.

OBSERVATIO LXXX.

Dn. Lic. ROSINI LENTILII,

De Radice effractoria, vel apertoria.

Sprengwurtzel.

ILluſtriſſimus quidam *Comes* aliquando monſtravit *radiculam* digitum medium præter propter longam, aridam, exſuccam, calami ſcriptorii craſſitie, fibroſam, cavernoſam & quaſi arundinaceam, immo, quæ caulem potius, quam radicem præ ſeferebat, &c. & ex me quærebat, utrum, cujusnam plantæ radix eſſet, cognoſcere poſſem, & qualisnam eſſet virtutis, vel operationis, enarrarem. Cum itaque meam agnitionem ea fugeret, illuſtrisſimus Dn. *Comes* ſequentem in modum fari cœpit: In caupona ruſtica vagabundi qvidam, Theſaurorum, uti audiunt, foſſores divertebant, quorum confabulationibus auſcultans e meis ſubditis quidam Ruſticus, eos de quadam *radice* diſſerentes audivit, *cujus ſolius contactu repagula ſeræque tentata reſilirent ac effringerentur,* eamque radicem vocari Spreng-Wurtzel / quaſi dicas, *radicem effractoriam* ſeu *apertoriam*; talem vero ſequenti methodo adquiri poſſe: Quæratur arbor, cui picus innidulatur, obſervetur matris aviculæ egreſſus, nidique oſtium clavo trabali oppeſſuletur, repoſita ſubter arborem

ruffi

ruffi coloris veſte aut alia re colorata. Jam vero deliteſcens alicubi matris aviculæ reditum diligenter opperiatur, quæ redux nidum clauſum inveniens, mox rurſum avolabit, ſed & brevi reditura tenebit in roſtello radiculam. Clavus trabalis ea radicula vixdum tactus, quaſi vi expulſus, reſiliet, atque una cum radice ſuper ſuppoſitam ruffam veſtem delabetur, nidi veſtibulo ſic reſerato. Tunc autem accedens obſervator radicem tollere, eaque ſeras omnes, utcumque robuſtisſimas contactas citius dicto effringere poterit. Ea Theſaurorum Foſſores cum temere protuliſſent, ſubditus meus, gaviſus de fortuita quæ ſibi ſic obtigiſſet, felicitate, periculum experimenti facturus, eoque modo rem aggreſſus, hanc ipſam, quam vides radicem adquiſivit. Frater autem ſubditi, Paſtor paganus, de ea re certior factus, poſſeſſorem radicis novellum, ne quam hujus adminiculo ſeram effringere tentaret, dehortatur, id namque haut aliter, quam per magiam, fieri poſſe, malumque Dæmonem ejusmodi negotia dirigere conſueviſſe. Quin immo re ipſa ad me delata, ſubditum citatum examini ſubjeci, qui hiſtoriam, uti a me narrata, depoſuit, radicemque quam vidiſti, in manus tradidit. Præter lapſis autem paucis ab inde hebdomadis ſequentes ad me litteræ perferuntur:

Dem Durchleuchtigſten hochgebohrnen Hn. Hn. Graffen zu N.

ICh H. M. Inwohner und Beſitzer deß Schatz NB. habe vernommen daß Ihr Durchleucht haben ein Spring-Wurtz bekommen von ſeinen Unterthanen; Wann es dem alſo iſt/ ſo bitte ich Ihr Durchleucht ſie wollen mir ſie zukommen laſſen und mit dem Boten ſchicken und ein Brieflein ſchreiben/ Und die Wurtzel darein ſchoben und mir ſchreiben/ wie es ihr Durchleuch haben will ich gib im 2. Wall/ ob Er ein donnen Gold will erwarten oder will 3 Tauſend fl. darvor empfangen oder will ſeyn Theil erwarten/ wie mir/ daß kan er mir mit dem Boten berichten/ was er haben will/ daß wollen wir ihm in ſeyn Hoffhaltung lieffern/ ehrlich und auffrichtig/ oder ihr Durchleucht können einen Diener mit dem Boten naher N. gehen laſſen zu mir/wann ſie ein Schloß auffprengen thut das 1. Ort werth iſt/ ſo iſt ſie gut ich bitte ihr Durchleucht ſie wollen ſich nicht ſaumen und uns und ihm und dem armen ſellen helffen dann das Gelts iſt viel über die 60. Donen Goldswerth in allem hat aber ihr Durchleucht ein luſt zu der Cron oder Carfunckel-ſteyn ſo wollen wirs ihm zukommen laſſen Es wolte ihr Durchleuch keinen Verdruß daran haben

weilen ich ihm daß Orth nicht offenbar machen thu daß geſchicht von wegen richtiger Urſach halber/denn ich mach es niemand offenbar biß ich die Wurtzel hab/es mag ſeyn ein Fürſt oder Graff oder Bauer / ſo wird es niemand weiß biß nach außgerichter Sach ich bitte den Hr. noch einmal er woll ſie doch preſentirn/wann er ſie hat dann es iſt ſeyn Glück wie unſers/wann er nich drauen thut / wie ich ihm ſchreiben thu / ſo kan er ein Diener mit ſchicken nach N. zu mir ſo will ich ihn mit mir an das Orth führen/ſo kan Er ſeyn Theil auch haben wie ſeyn ander/ und ihr Durchleucht/daß ſeynig mitbringen hiemit befehl ich ihr Durchleucht in den Schutz Gottes. dato den 20. Dag Febberwarii. 1696.

Hanß M. Innwohner Und Beſitzer des Schatz NB.

Ihr Durchleucht wollen mir mit dem Bothen ein gewiſſe antwort wider ſchreiben mit dem Bothen. Und in keine Verhindernuß ſetzen denn Es iſt ſeyn groſſer nutzen glaubet es gewiß.

Ego vero, pergit Illuſtriſſimus, veræque pietati addictus *Comes*, hiſce litteris mihi perſuaderi paſſus non ſum, ut radicem magicam, mali Dæmonis inſtrumentum, transmitterem, atque vel hoc nomine, quantum in me eſſet, facinus peſſimum & ſuſpectiſſimum promoverem; hinc dato, quod vocant, Recepiſſe, tabellionem dimiſi, mihique, quod peteret, amplius ad manus non eſſe, ſcripſi. Hæc Illuſtriſſimus *Comes*.

Cum itaque, qualis nam eſſet radicula, quam etiam Botanicis aliis oſtenderam, reſcire non poſſem, Illuſtriſſimus D. *Comes* juſſit, ut in cineres redigeretur, qvod abſque mora factum.

SCHOLION.

Matthiolus in Herbar. lib. III. cap. 103. p. 308. a. mentionem injicit ſpeciei cujuſdam *Lunariæ* in Italia *Sferro cauallo* dictæ, propterea, quia equi dum in paſcuis oberrant, eamque herbam ſæpe calcant ferreas ſoleas perdere conſueverint: quod plane incredibile, ita judicante *Matthiolo*, cenſeri non debeat qvia *Plinius lib. X. cap. 18.* ſcribat: *Quando Paſtores nidum pici cuneo claudunt, picum tunc herbam aſportare, cuneoque admovere, cujus virtute hic extractus, in terram decidat*; *quocum Plinio*, pergit, *conſentit Trebius*, antiquus Doctor, & eximius. Eadem herba ibidem *ſecuridaca montana* dicitur, ſed radix ibidem picta noſtræ radici valde diſſimilis erat. Propius ad verum accedit idem *Matthiolus comment. in Dioſcorid. lib. 3. p. 464.* ubi ſic: Ferunt equos, qui in monti-

montibus herbas depaſcuntur, ubi hæc (*Lunaria.*) copioſe provenit, avulſis ab ea clavis ſuos ferreos calceatus amittere, & ob id vulgo à nonnullis *Sferra Cavallo* appellari, ſed perperam, meo quidem judicio, quod alia ſit planta, qvæ vel ab ipſo effectu legitime ſic fuerit appellata, vel, quod ſemen proferat ferreis equorum calceis ſimile: Quod ultimum mihi ſit veriſimile. *Vid. figuram plantæ in Herbario Matthioli loc. cit.* conſentit *Tabernæm. Herbar. lib. II. cap. 19. p. 217. d.* Ubi herbam *Sferra cavallo* ſpeciem *Hedyſari* facit vel *ſecuridacæ*, ſimilitudinemque ſoleæ ferreæ equinæ deſumit e ſeminum ſiliquis ſemicir ularibus iſtam figuram haut obſcure mentientibus. *vid. m. Chabræum ſciagraph. Stirp. pag. 155.*

Aldrovand. Ornithol. lib. 12. cap. 30. p. m. 842. de pico martio ex *Trebio, Plinio, Æliano & Oppiano*, & ex his quidem ultimis eandem fabulam recenſet. picum nempe, ubi nidi ſui foramen lapide aut ligno a quodam obſtructum eſt, ex eo inſidias ſibi machinatas conjicere, herbamque lapidi contrariam opponere, unde velut offenſus lapis & vim herbæ non ferens, exſiliat picoque rurſus foramen aperiat; Immo vero, quod magis eſt, idem *Oppianus*, ejuſque mendacium alioqui per ſe ſatis evidens ſecutus nugaciſſimus *Kiranides* (ſi tamen hoc eſt Auctoris cujusdam, & quidem ſingularis numeri, nomen) tali herba, ſi quis eam norit, nullo negotio januarum ſeras reſolvi poſſe arbitrantur. Utut eſt, pergit Aldrovandus, vel inſigni admodum avis cum cuneo vel herbæ cum lapide antipathiæ attribuendum eſt, vel potius, NB. ut ego puto, ſpecioſiſſimum mendacium eſſe, judicandum eſt. Hæc *Aldrovandus* & inſuper quædam de *lunaria* & *æthiopide* herbis.

De *ſerarum magica* quoque *apertione* videatur *Wierus* de *præſtig. lib. 5. cap. 11.* Nos paucis addimus: licet negandum non ſit, herbis ineſſe vim magnam, & majorem quidem, quam multi credant, ſeras tamen fabriles, cum ſint arte factæ, mæandrorumque innumera varietate diſtinctæ, admotione cujusdam herbæ vel radicis per naturam rerum effringi poſſe, nemo ſanus admiſerit. Quod ſi quis illius ſubditi experientiam opponat, qui quæſitam modo a Theſaurorum foſſoribus percepto ad pici nidum radicem expedito invenit, illuſtriſſimoque *Comiti* ſuo, & per hunc mihi manibus palpandam conceſſit? Et quamvis experimentum, dehortante Fratre ſuo, Parocho, cum ſerarum effractione non fecerit, veriſimile tamen eſt, cum artificii pars anterior, nempe radicis inventio, ſucceſſu ſuo non caruerit, partem poſteriorem, id eſt,

clauſtrorum aperturam, non minus feliciter proceſſuram fuiſſe? Reſpondemus: Nos non valde dubitare, quodſi ruſticus radicem ſeræ admoviſſet, de ejus apertura, virtute autem diabolica id fieri tunc omnino ſtatuendum eſſe: Nam Diabolum, ut opinionem ſuæ potentiæ mentibus in ſuperſtitionem pronis faciat, ac animos aucupetur, ejuſmodi prodigioſa patrare toto die conſpicamur. Invenerit radicem ſubditus, at opitulante & obſtetricante Dæmonio invenit, ejusdem ope, ſi rem tentaſſet, ſine dubio ſeras effracturus.

Eleganter *Plinius*, allegante *Wiero loc. cit. Nonne ſatius fuiſſet Æmilianum Scipionem Carthaginis portas herba patefacere, quam machinis clauſtra per tot annos quatere?*


(Miſſæ Stuttgardiâ Auguſtam Vind d. 5. ſeptembr. A. 1699.)

OBSERVATIO LXXXI.

DN. D. SAMUELIS GRASSII.

De Abceſſu muco-carnoſo botryoide ſiniſtri labii vulvæ feliciter exciſo.

MIſera ſors fœminini ſexûs eſt, plerumque iisdem in partibus dolorũ experientis faces, quæ voluptati maximè dicatæ ſunt Quis enim nõ miſereatur, ſororiantium mammarum, fœtidum pus plorantium, inflammatorium ſtatum? Quinimo in ipſo partu Lucinam experitur infauſtam, dùm adjutrices manus perſæpe, moræ impatientes, officioſos ungues ſat crudeliter delicato inferunt ſinui, irreparabili utplurimũ damno. Hoc infortunium deploravit caſtiſſima quædam integerrimi Civis Vratislavienſis uxor, hæc 27. annorum euſarca & floridi habitus, qvinqve liberorum facta mater ſextùm in ipſo parturiendi conatu, ſentit ſibi manu obſtetricis in vulvæ labio ſiniſtro inferri acutisſimum dolorem, quem poſt levis ſequitur tumor, ſenſim per 12. annos in ovi anſerini magnitudinem ſurgens. Hic præteritâ hyeme, vacillante pede dum miſera veluti ſagittam ſibi in abſceſſum intrudi dolet, in tantam magnitudinem ſpatio quatuor menſium increvit, qualem ſchema transmiſſum, rudi minervâ depictum commonſtrat. Hinc ad ſacra conjugalia planè inepta, inceſſum indies difficiliorem perſentiens, tandem inter mille lacrymas, ſepoſito pudore, ingentem monſtrat abſceſ-



BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY

fig VIII p 149





fig. IX. p. 189.



ſceſſum, indies uvarum modo majus capientem augmentum, auxiliumqve anxiè à me petit. Ego præmiſsis præmittendis corpore benè diſpoſito, indies arctius per Chirurgum conſtrictis ligamentis, ſtudui abſceſſum marcidum reddere, ſublato nutrimento; at enim verò, pediculus craſſior ſtricturæ eludebat ſævitiam, noctesque diesque inter ejulatus miſerè conſumebantur. Tandem impatiens ægra dolorum, cùm optimè perſpectis omnibus circumſtantiis effuſiorem hæmorrhagiam metuendam non haberem, ferro exſcindere juſſi 1 ½ ℔ Vratislaviens. pendentem. Subſtantia erat muco-carnoſa, coloris ex fuſco ſanguinei, in medio (A.) per attritum, eroſa, mucum dilutiorem fundens. Vulnus ſiccis ſolummodò linteis carptis, legitimo modo deligatum, ſinuque pudoris, menſibus fluentibus ſpongiis expleto, ſpatio ſex hebdomadũ, feliciſſimè coaluit, egraq; Deo ſint laudes exultante marito, convaluit. Ubi notandum ejusmodi abſceſſus plerumque vices fonticulorum præſtare, demandatis hûc vitioſis humoribus ex toto corpore, cumque ut plurimum ex fibris muſculorum contritis & dilaceratis originem habeant paucis gaudent vaſis ſanguiferis, hinc eò tutius exſecandi. Patet hoc quoqve, ſi ligati non pulſent colorem non mutent, nec inflammationem minentur. Interim tamen dam, ſublato abſceſſu, natura non habebat, quò ſordes eliminarentur, intumeſcentiâ doloreque hæmorrhoïdum miſera infeſtatur. Suaſi in ſiniſtro pede fonticulum, quem abſolutè renuit, toleratura forſan dolores, quam præconceptam opinionem de fonticulorum moleſtiâ mutatura. Reſectum talem abſceſſum muco-carnoſum præputii trium librarum pondo æſtimatum vid. ap. Marc. Aur. Severinum Lib. I de recond. abſceſſ. natur. lib. 4. cap. 3. p. m. 157. 158.

FIG. VIII.

(Vratislaviâ Auguſtam Vind. d. ij. Sept. Anno 1699. miſſa.)

OBSERVATIO. LXXXII.

DN. D. MICHAELIS PAULI,

De felici ex traduce Seminali Idea Nodoſi Capitis externi Curatione

PAucis abhinc Menſibus Inſignis & Genere & Virtute ex Superiori Sileſiâ Matrona, maximè ſanguinei & obeſiſſimi corporis, deforma-

tum ſedecim Abſceſſibus caput conſpectui dabat. Hæc ex paterno ſanguine vitiũ traductum omnes ſuos Germanos unico Atheromate notâſſe; ſibi verò Tumorem adnatum â vigeſimo uſque ætatis anno tam multæ prolis genitorem extitiſſe aſſerebat. Tubera hæc ad Cranii ſuturas conſpicua, reciſis comis, Figurâ echinatas Caſtaneas, magnitudine Ficus, unicum verò ſolummodò veſicam vitulinam inflatam, referebant. Auſus, quo ante decennium primordialis Nodus huic feliciter præciſus fuerat, reliquorum apertionem audere jubebat, qvin dolor, ponduſque cogebat. Ea propter admoto periti Chirurgi Scalpello uberiorem primò inde promanantem Lympham mox fœtidiſſima inſtar milii cocti materia inſequebatur. Poſt aliquot dies putris ſubinfluentibus ſanguinis ramentis ſanies prodiens, eaque tandem penitus expreſſa, membranam intus cortici juglandis nucleũ ambienti ſimillimam protrahendam, integumenta verò tanquam nucleo privata putamina, conſpicienda reliquit; quibus paulatim marcore contractis, cicatrix inducta fuit, noſtraque Herois per exactum magis diætæ regimen, quàm multorum pharmaorum uſum ex voto convaluit. Hoc ſub finem notandum: quodlibet Tuber ex præviæ Cutis ſcalpurigine prognatum, majoraque quotannis incrementa cæpiſſe; & vel quatuor uno pediculo veluti conjunctos fœtus, ſingulos tamen ſingulas habuiſſe matrices, nec invicem communicaſſe, certum.

OBSERVATIO LXXXIII.

DN. D. MICHAELIS PAULI.

De Conceptione Fœminæ cujusdam Plebejæ rariſſima.

SEntentiam recentiorum Philoſophorum (quâ hominis perinde ut cæterorum animalium conceptus intra fœmellarum Ova, vel figuras vitellorum æmulas lateſcere, eaque ſeminis maſculini ſubtiliſſimo tantummodò Spiritu effæcundari, vel ad generationis motum cieri aſſerunt) nuper gregarii cujusdam Militis uxor experimento probavit. Hæc parturiens præcluſo pudendorum aditu ab obſtetrice reperta, mortique ob id proxima imprudenter habita, tàm hiſce angoribus, quàm febre, quâ tùm temporis laborabat, quartanâ, ferè conficiebatur. Tandem ego cum chirurgo in conſilium vocatus, ab eoque vulvam ſcrutante: ne minimi digiti apicem admittere, audiens, ipſeque membranoſam illam ab interna vaginæ tunicâ expanſionem, Hymen dictam verè carnoſam

ſam perſpiciens maritum de prævià concubitus actione percontando, nunquàm in vaginâ, vel ſacro conclavi, ſed intra labia, vel ante Oſtium conjugalia feſta ſe celebraſſe, nec Hannibalem portas has perfringere valuiſſe, perſuaſum habebam. Sed quid conſilii Parituræ? rem ferro tentare, inſtante partu, haud conſultum ratus, hanc fidenti omnipotentiæ divinæ animo labores etiam herculeos ſuſtinere, fauſtumque enixum certò ſperare jubeo. Dictum, factum; Auſpicatisſimo quippe omnium voto natus violento & cùm audito fracti inſtar fictilis ſono, ex utero egreſſu, parenti ſuo ad veneris Thalamum regiam quaſi viam aperuit, matremque aliis conjugis ſimilem reddidit.

OBSERVATIO LXXXIV.

DN. D. MICHAELIS PAULI.

De infauſta ex intempeſtivo Thermarum uſu Humorum Metaſtaſi.

PUella decennis per totum caput Achoribus ſcatens, eorumque foetore Tutoribus ſordidisſima, proprio horum conſilio ad thermas Landecenſes curationis ergo dimittebatur. Quid fit? continuato harum per octiduum uſu ulcera diſparuerunt. Sed paulò poſt in moleſtisſimæ illius excretionis vicem ingens in lumbis dolor ſuccedens, iſque longiore ad fontem morâ intolerabilior factus Ægram domum deduci cogebat. Ego tandem purulenta & foetidisſima urinâ ad inviſendum ininvitatus, Miſeram dolore afflictisſimam, febre colliquativâ æſtuantem, dies noctesque vigilem, totamque emaciatam, aſt circa dolentes lumborum partes minimè tumidam, offendi. Proinde attendens prohibitæ ſeu retropulſæ per intempeſtivum medicati fontis uſum materiæ (quâ per multos annos M S. depuratior facta) indeque nutritionis Oeconomiæ valde turbatæ & depravatæ, hanc redintegrandam, conſuetamque prius excretionem reſuſcitandam eſſe cognoscebam; verùm ſelectis ad id efficiendum remediis operam molitus, ſpem valetudinis indies magis ad irritum cadere videbam. At enim exacto Bimenſe, dum corpore ad maraſmi fermè ſtatum redacto verendum erat, quin funeſta ſubſecutura pulmonaris Phthiſis vitam præcipitaret; ſurgens fortè in dextro lumbo renitens tumor, nullisque emollientibus externùm admotis invitus, ſpontè perrumpens copioſisſimam, maximeqve putidam materiam effundebat. Mox urinæ pus, putorque evaneſcere, doloreſque multùm

remittere cœperunt; convenientique poſteà curâ, diu epotis injectiſque optimis vulnerariis atque balſamicis, Ulcus hoc intra trimeſtre ſpatium ſine ulla vel tabis, vel ſinus fiſtuloſi notâ ſanatum, Puellam noſtram ad ſalutem reduxit.

OBSERVATIO LXXXV.

DN. D. MICHAELIS PAULI.

De Mira & rariore in Puellâ quadrienni Malacia.

MUltas & varias inſolitarum gulæ libidinum ſpecies in ſequiori ſexu numerari, inter omnes Medicos conſtat. Mihi argillam, maceratam calcem, corium; item araneas, faſcias crinales &c. ex faſtidio ſtomachi devorantes, obvenerunt. Omnes autem hæ vel pubeſcentes, vel pubertati proximæ, vel gravidæ fuerunt habendæ. Rarius hinc in Quadrienni Puella Malaciæ exemplum. Hæc Formoſiſſima mercis lineæ Negotiatoris filiola in magnam ex ignotâ procatarcticâ causâ cachexiam incidens de Inappetentia, Pectoris oppresſione, & circa Hyphochondria ſuffocationis ſenſu conqueſta, tota languebat, tabemque in habitu corporis oſtendebat. Adhibitis proinde, aſt nullo effectu, pro inſtaurandâ nutritione Remediis fortè contigit, ut Gelaria dejicientis virgunculæ anum terſura, filum lineum ex podice pendentem offenderet. Hujus inſoliti excrementi cauſam nec verbis nec ferulis parentes exquirere valuerunt; donec Actiones Filiolæ diligenter indagantes, & quaſi veſtigia ipſius prementes ad Faſces linamentorum aliquando adſtantem, avideque fila vorantem conſpexisſent. Cauſa hac, ceu mali fomite perſpectâ, propinatis poſteà catharticis multi filorum ex lino Globuli ſeceſſerunt, tandemque aſſumtis per aliquot menſes ſic dictis inſtaurativis, Tonicis, Martialibus, Ægra plenisſimè convaluit.

(Vratislavia Auguſtam Vindel. d. ii. Sept. Anno 1699. miſſæ.)

OBSER-

Obſervatio LXXXVI.

DN. D. JOHANNIS BENEDICTI GRUNDELII.

De Lacte in ſenibus, & pueris generato.

ILluſtriſſima quædam vidua plethorica, 50 annorum, ab ultimo partu ante 20. annos feliciter peracto bonâ hactenus gaviſa fuit valetudine; per biennium jam animadvertit humorem albicantem è mammis effluere. Vidi ego eum aliquoties & nullam differentiam à lacte invenire potui. Effluit quotidie, in pauca tamen quantitate, cum, & ſine compreſſione mammarum pro hac ætate adhuc ſatis turgentium: augetur fluxus per nimium corporis motum, & per quietem diminuitur. Fruitur intereà bona valetudine, niſi quòd menſtrua adhuc copiosè fluant, debilitatem aliquam inducentia. Hic caſus videtur contrarius eſſe Aphoriſmo 39 ſect. 5 Hippocratis, ubi ait: Si mulier, quæ neque gravida eſt, neque peperit, lac habeat, ei menſtrua defecerunt.

Ante 10. annos mendicabat in noſtra Urbe puer quidam ſordidus & ſqualidus, 9. circiter annorum è cujus mammillis, ſi aliquomodo comprimeret, cum impetu proſiliebat humor lacteus, qui in orbe ſtanneo collectus, 20. & plures guttas repræſentabat; mammæ erant paulo majores, quàm apud alios pueros. Hanc lactis evacuationem, ut mihi retulit, per diem quinquies aut ſexies habere potuit. Monſtravit ſuam lacteam fontanam Illuſtriſſimo Domino, Domino comiti & colonello Kiſſel, aliisque nobilibus ob pecuniam aliquam emendicandam.

SCHOLIUM.

Isbrandus â Diemerbrock in ſua anatome talem lactis generationem adſcribit forti imaginationi, ſeu intentæ & crebræ de lacte, mammarumque ſuctione cogitationi, mirabilia in corporibus noſtris operanti, confirmatque exemplo cujusdam vetulæ 66. annorum, quæ ob filiæ puerperæ mortem, infantem nutriendum ſuſcepit; cùm autem eum vagientem, ſumma cum commiſeratione mammis ſuis aliquoties appoſuiſſet, eique papillam ſugendam obtuliſſet, per fortem illam imaginationem, & deſideroſam de nutriendo infante cogitationem, mammæ lac dare cœperunt, idque paucis diebus tantâ copia, quæ nutriendo infanti

abundè ſufficeret, ità ut vix aliis alimentis indigeret: atque ſic cum omnium admiratione infans lacte hujus vetulæ (cujus mammæ â plurimis annis omnino exaruerant, & conciderant, jamque rurſus tanquam juvenculæ de novo intumuerant.) optimè nutritus fuerit. Hæc præfatus Author in ſua anatome pag. 248. Retuli hanc hiſtoriam illuſtrisſimæ noſtræ viduæ, & ſcrutatus fui, utrùm ſpecies de lacte adeò fortiter impreſſas, & ſæpiùs ruminatas habuerit, maximè, dum per Illuſtrisſimæ filiæ duplicem partum facta fuerat Avia, ubi facilè extraordinariæ curæ de nepotum lactatione & nutritione evenire potuiſſent. Verùm reſpondit Illuſtrisſima Domina, ſe hiſce Imaginationibus, & curis minimè fuiſſe occupatam, unde potius lactei hujus humoris generatio, ductuum, tubulorum, glandularum vaſorumque lacteorum in mammis meliori conſtitutioni, chylique abundantiæ adſcribenda eſt.

OBSERVATIO LXXXVII.

DN. D. JOHANNIS BENEDICTI GRUNDELII.

De Menſtruorum fluxu periodico ex ductibus ſalivalibus.

SUppreſſa menſtrua varias vias & exitus in corpore quærere, pasſim confirmant plurimæ obſervationes, quibus & meam addere volui de ruſtica quadam virgine, cui per integrum vitæ curſum ne gutta ſanguinis ex utero effluxit, ordinario enim fluxus menſtrui tempore, & quidem utplurimùm in ipſo novilunio, caput incipit dolere & calere, altero autem die ſentit copioſiorem ſalivæ affluxum ſangvine permixtum, per 4. 5. ſubinde etiam plures dies durantem, dolore capitis interim ceſſante. Talem periodum ſingulis menſibus ab anno 15. usque ad 48. ſine interruptione experta eſt; vixit huc usqve utcunque ſana, jam verò tali fluxu ceſſante augetur cephalalgia, viſus diminuitur & gutta ſerena appropinquat, quam ob cauſam etiam mendicare cogitur.

(*Marpurgo Styriæ Auguſtam Vind. d. 26. Septembris Anno 1699. miſſæ.*)

OBSER-

OBSERVATIO LXXXVIII.

DN. D. RUDOLPHI JACOBI CAMERARII.

De Stationibus Barometri ſub eclipſibus.

NUperæ Eclipſis ſolaris, ſc. hoc Anno 1699. d. 13. Septembr. St. v. antemeridianis viſæ, principium, finem, omnemque adeò magnitudinem & durationem Aſtronomi paſſim dubio procul determinabunt, eò accuratius, quò majora ſubſidia moderni obſervatores præ veteribus habent, & qvò magis ipſorum intereſt, ex iſtiusmodi phænomenis ad exactiorem calculum proficere. Ego mearum ſatagens rerum, ipſo curſu ephemeridum mearum meteorologicarum, quas à publicato quadriennio hactenus continuò, excitatum imò obligatum me ſenſi, ad expectatos motus mercurii in tubo Torricelliano per tempus illud obſcurationis diligentius conſiderandos. Illuxerat enim, poſt integros quatuordecim dies tantum non conſtanter ſerenos, ſiccos, itidem ſerenum mane diei decimi tertii menſis Septembris, minus heſterno frigidum, ſilebant venti, potiora vexilla eurum, euronotum deſignabant; Mercurius qui ab heſterno mane in tubo ex altitudine 3. palm. 19. minut. (adeoque à ſeptimo ſcal. illius mercurialis, quam in ephemeridibus adhibui, gradu, ſupra & circa quem jam aliquandiu hæſerat) ad veſperam per dimidium minutum ſenſim deſcenderat, manè adhuc ſtationem iſtam, noctu invariatus, tenebat: Favente igitur conſtantia aeris & barometro per tot annos ſatis probato, tanquam ad motus reciprocos facili, efficaciam eclipſis per aerem in mercurium vel attollendum vel demittendum cognoſcere eò avidius expectavi, quò certior ſpes tenebat, alios alibi in eodem negotio fore occupatos, cum quorvm obſervationibus mea conferri poſſit, quam & exigebant amici curioſi, interque eos Cl. Oribaſius. Verum enim verò longè aliter res cecidit; Utut enim ſereno manente cœlo ante nonam eclipſari cœperit ſol, & tardè poſt undecimam demum plenè nobis fuerit reſtitutus; Utut etiam valdè ſenſibile interim fuerit decrementum luminis in aere, qui tum craſſior, nebuloſus, obſcurus & ater è longinquo videbatur, præprimis circa horam decimam, cùm vel ſexta vel quinta ſolùm lucidi diſci pars ſupereſſet: Nihilominus in meo barometro, in eodem huc uſqve muſei angulo conſtituto, & tot aliàs tamque

diverſis motionibus hactenus inſigni, per omne tempus diei iſtius antemeridianum, atque adeò à quintâ matutinâ ad duodecimam meridianam, nulla planè mutatio, ſive ſurſum ſive deorſum, ne ad pili quidem latitudinem, à me potuit obſervari, ſed in eâdem ſtatione tam intra quàm extra horas eclipticas immotus hæſit mercurius.

Hâc igitur vice mihi tam felici non licuit eſſe, ac Cl. Ramazzino, qvi in ipſo eclipſis ſolaris Anno 1694. d. 22. Jun. St. n. tempore mercurium in ſuo barometro ad duas lineas elatum annotavit; Ea tamen occaſione recordor alius eclipſis ſolaris, (nam tempore prioris ab urbe abſens, num mutatio in barometro contigerit, non novi) ſc. illius, quæ ad diem 26. Novembr. ſt. v. ann. 1695. ſat magna ſub ipſum ſolis ortum viſibilis ab Aſtronomis prædicta fuerat, ſed apud nos ob ſpiſſas nebulas obſervari non potuit: Qvem enim de nocte per quartam minuti partem ad ſeptimum ſcalæ ſuæ gradum ſublatum manè horâ ſeptimâ & octavâ reliqueram, eundem horâ undecimâ domum redux per tertiam minuti partem adhuc altius elevatum deprehendi, dubius, an ab eclipſi? quandoquidem dies heſternus inconſtans, humidus excipiebatur iſto nebuloſo, ſereno, ſicco; ſub quali aere mercurium etiam abſque eclipſi, in ſpecie ad ipſum meridiem uſque paulo adhuc altius, quàm manè fuerat, tolli, ſed ad veſperam plerumque tantundem dimitti, frequenter obſervavi.

Jungam his obſervationem quoque habitam ſub eclipſi Lunari, eâque totali, tantâ ſc. ac tali, ut luna ex ipſo cœlo quaſi amiſſa t. t. diſparuerit, quod factum ipſâ mediâ nocte inter diem ſeptum & ſextimum Maji St. v. ann. 1696. quâ poſt biduum tempeſtuoſum mercurius in quinto cum dimidio gradu ſuæ ſcalæ conſtitutus ab horâ veſpertinâ ſextâ ad nonam, adeoque ante eclipſin adhuc, per quartam minuti partem ſenſim elevatus, poſtmodum per totum eclipticum tempus ſtetit immotus, uſque ad alterum mane, imò circa meridiem d. 7. demum attigit gradum ſextum.

His ita ſe habentibus, vel pro, vel contra influxum ſuperiorum, ſive affectionem horum inferiorum ab eclipſatis luminaribus, concludat quiſque quantum volet; mihi obſervationes ſimpliciter bonâ fide recenſuiſſe, hâc vice ſufficiat.

Cæterum conſtitueram inſuper t. t. duo thermometra in libero aere ex parte ædium auſtro obverſâ, eorum itaqve paucis etiam facienda mentio: Unum Florentinum clauſum, parvulum, in angulo ita ſuſpendi, ut ſol viciniam colluſtrans ipſum tamen non feriret, alterum radiis ejus liberè expoſui. Aſcendit ergò priori incluſus ſpiritus & pertigit circa

nonam

nonam matutinam ad gradum tubi à globo vigeſimum ſextum: Tum verò hærere cœpit, imò ſenſim iterum parum deſcendere, ut circa decimam conſiſteret in gradu vigeſimo quinto; Inde rurſus ante horam undecimam ad gradum vigeſimum ſeptimum, & ante mediam duodecimam ad trigeſimum provectus. Talisqve alterationis frigidiuſculæ ſignum t. t. comparuit etiam in altero thermometro majus & evidentius. Reliquum diei tranſiit ſerenum, gratisſimè temperatum, nubeculis quibusdam pomeridianis per ſupervenientes eteſias, è borea tantillum ad zephyrum declinantes, (quod alias plerumque ad eurum fieri ſolet) diſcuſſis, non ſine phænomenis pluribus, de quibus amplior agendi ſuppetet occaſio, cùm amicis conſultum fuerit viſum, ephemeridum publicare continuationem.

(Tubingâ Auguſtam Vind. d. 6. Octobr. Anno 1699 miſſa.)

OBSERVAT. LXXXIX.

DN. D. SAMUELIS LEDELII

De ſudore â purgante.

Mille homines, mille conſtitutiones, id quod noſtræ hinc inde loquuntur Ephemerides. Vide Obſerv. 212. Dec. 3. Anni 2. item Dec. I. A. VI. obſ. 78. Dabam pronuper Ancillæ 20. annorum ſcrup. 2. Pulveris gialap. in tardis menſibus ad evacuationem: dum autem alvum exſpectabamus fluidam, ſudor erumpebat copioſus cum aliqvali lenimine, nulla autem alui ſolutione. In eadem querela porrigebam ante annum ſutoris filiæ 17. annorum potionem purgantem, certè ſat fortem, aſt ne unicam videbat ſedem, ſed poſt bihorium copioſum ſudorem cum alleviatione. Rationem hanc puto ſubeſſe: purgantia agunt mediante fermentatione, dum autem purgantis vires pituita viſcida in ventriculo & inteſtinis infringuntur, & natura per anum humores peccantes extrudere neqvit, partialis lymphæ aut ſeri exſurgit fermentatio, & inde ob renitentiam craſſioris, aquoſa tantùm turbatur materia, & per poros cutis eliminatur. Meliora dicenti facilè pollicem premam. Quod autem à pulvere bezoardico Sennerti in Nobili virgine à Frittſchin, geminus ſuccedebat vomitus Görlicii, cauſa erat erutu facilis, nimia nempe repletio ventriculi à pravis & corruptis humoribus, optimè namque

præparato medicamentò nulla culpa erat affricanda, id quod explicabam. Comiti cuidam magni nominis Medicus in metu hydropis varia ſubminiſtrabat pharmaca, ſemper contrarium effectum edentia. Enimverò, quæ ſudori erant deſtinata, purgabant, quæ purgare debebant, ſudorem excitabant, curæ itaque huic valedixit, & alius non ita celebris Medici ſe concredibit. Apud illuſtrisſimam p. m. comitiſſam de Dünevvald, aliquoties obſervavi fluxum alvi, dum ſudorifero Gr. ij. vel iij. ſalis volatilis addebam, nec tamen ſine emolumento. Sic etiam in Medicina ſemper aliqvid Novi.

OBSERVATIO XC.

Dn. D. SAMUELIS LEDELII.

De variis à Petechiis diſparentibus ſymptomatis.

VIrgo 17. annorum plethorica, âque nimio menſium fluxu interdùm moleſtata, menſe julio 1699. viſitat agnatam febre petechiali detentam, & ob frequentiam viſitationis contagio afficitur. Primùm conqueritur de immani cephalalgia cum ſiti & calore. Pharmacopola conſultus expurgat, circumforaneus alia ordinat, quarto die petechiæ erumpunt, ſtatim iterum diſparentes, nec redeuntes. Quinto die, quia de cardialgia conqueritur, anguſtia item pectoris & intercluſa reſpiratione, balneator Medianam ſecat, & extrahit craſſum nigricantemque ſanguinem ſine ſero, cum horum ſymptomatum ad bihorium remisſione. Sexto corripitur affectu aſthmatico convulſivo, cum metu ſuffocationis & palpitatione cordis. Paroxyſmo hocce ſuperato, omnia apparent tranquilliora, eodem tamen poſt aliquot horas recurrente, res deſperata. Septimo die ultimam inſtare horam putant, dum autem vires ſe recolligunt, octavo me, per tria milliaria diſtantem, convocant. Poſt occaſum ſolis adveniens, omnia invenio lethifera, ideò indico, & ne quid intermittatur, de potione confortante exhibeo: at, per omnes noſtros labores & conatus ne guttam deglutire poterat. Os erat clauſum, aperto autem ore non amplius claudebatur ſed apertum & convulſum manebat. Misſis itaque internis, ad externa veniebamus, ſine tamen effectu. Aderat præterea convulſio dextri pedis & manus, oculorum item & palpebrarum, pulſus erat celer cum intermisſione. Dum adſto, de novo paroxyſmus aſthmaticus ingruit cum tetano, ſedebat in lecto inſtar Marpeſiæ cautis, immota, cum oculis immo-

immotis, apertis tamen & ſine intellectu, reſpiratio modo erat facilis, modo difficilis. Poſt horam, corpore non ita rigido exiſtente, deprimebamus ad lectum, & ſic mortem expectabamus, quæ etiam circa meridiem noctis adeſſe videbatur, pulſu intermittente cordisque motu quieſcente. Redibat tamen ſtatim pulſus cum motu Cordis facilique reſpiratione, idque ad horam quartam matutinam, Hac audita, una fæminarum capiti ſubtrahit leniter pulvinar ad facilitandam necem, quo facto, moribunda in lecto ſe erigit convulſa, cum omnium aſſidentium ſumma conſternatione. Parentibus auxilium urgentibus, advocamus balneatorem ad extergendas fauces & facilitandam deglutitionem, & tùm vidimus ultimum naturæ conatum. Dum enim per ſyringam liquorem faucibus immittimus, admodùm vociferabatur, & injectum liquorem iterùm ejiciebat, nullam tamen vidimus intellectus indicium, multò minus loquelam aut deglutitionem. Tandem ſedendo, ſpiritibus lente vappeſcentibus, animam efflabat, nono morbi die, circa decimam antemeridianam, cum parentum Cordolio. Ergò ſerò medicina paratur, cùm mala per longas invaluêre moras.

OBSERVATIO. XCI.
DN. D. SAMUELIS LEDELII.
De Paralyſi linguæ feliciter curata.

NObiliſſima Matrona 80. annorum corripiebatur initio veris hujus Anni 1699. paralyſi linguæ, ſalvo intellectu, membrisqve integris. Huic ſequentia ordinabam cum ſingulari utilitate, ſecundante Dei benedictione:

℞ Ol. Majoran. ℥ß
ſuccini. ℈j.
anthos ℈ß.
balſami Vitæ. gtt. V. M. D. S. die Zunge anzuſtreichen.

Internè dabam liqvorem C. C. ſuccinatum, item ſal volatile oleoſum Sylvii. Vivit adhuc dum hoc noto, cum bona & articulata loquela. Eodem corripiebatur affectu Nobilis in vicinia, ſub hyemem præcedentis Anni, at quia tùm externa tùm interna reſpuebat Medicamenta, utpote qui per multos annos arthriticus & per plures Medicinam exercentes & proſtituentes innumeris Medicinis extiterat obrutus, eapropter diætam negligens, ſpatio trium ſeptimanarum viribus exhauſtus, placide obibat. Senſus omnes erant integri, nec deſperaſſem de feliei

lici reſtitutione, modò ſe accommodaſſet noſtris monitis. Sic quilibet fortunæ, & infortunii ſui faber.

OBSERVATIO XCII.

DN. D. SAMUELIS LEDELII.

De Sternutatione Apoplecticorum non ſemper ſalutifera.

SUb finem hujus æſtatis, ſartoris vidua Grünbergæ novo adoriebatur Paroxyſmo Apoplectico, circa veſperam. Convocatûs danda dabam, enemata cum utilitate ordinabam, ſternutationes excitabam: quia autem difficillima aderat deglutitio, ut propinata medicamina vix aſſumere valeret, ideò ſpatio 48. horarum completo, tacitè viventium numero valedicebat. Nihil hic ſternutationes excitatæ conferebant, quod tamen nonnulli practicorum pro bono reputant ſigno, id quod etiam Sagani obſervavi 1668. Primo Praxeos meæ Anno, reſtituto tùm ægro forti licet Apoplexia detento.

OBSERVATIO. XCIII.

DN. D. SAMUELIS LEDELII.

De febre ab injectione decocti frigidi in fauces.

PRæceptum Medicum eſt ut omnia fiant Tuto. A clyſtere frigidò mortem notat Bartholinus. Puer 14 annorum laborabat defluxione ad collum cum tumore glandularum colli & cohibito motu cervicis, adit cum matre barbitonſorem auxilii & conſilii gratia. Hic, aliis detentus negotiis, mandat ſocio ut fauces expurget per iniectiones ſólitas: ille iniungit ancillæ ut afferat decoctum prius calefactum pro gargariſatione. Ancilla affert, non tamen calefactum, neglexerat enim ob pigritiem focum inſtruere flamma. Socius levioris ſortis, decoctum frigidum iniicit faucibus, putans Ancillam juſſa impleſſe, hoc factu ſtatim puer ſummam animadvertit alterationem, cum horrore & frigore totius corporis, Domum reverſus, cardialgiam patitur cum ſumma anxietate & metu ſuffocationis, collo valdè urente. Vix per optima medicamenta conſultus potui ex orci faucibus revocare hunc juvenem, & ni ſummus Deus ſingulariter benedixiſſet noſtris conatibus, actum fuiſſet, morbo ad 14. fermè dies protracto.

OBSER-

OBSERVATIO XCIV.

DN. D. SAMUELIS LEDELII.

De Linteis lucidis.

EXcellentisſimus D. D. Camerarius Obſerv. 121. Ann. 9. Decur. II. hujus phænomeni mentionem injicit, aliis tamen circumſtantiis, cui hoc addo. Media hyeme Anni 1698. uxor lintea mundanda dabat ancillæ, & ad exſiccandum aeri liberiori exponebantur in ſuperiore domus contignatione. Quia autem hyems ſæviebat, nec lintea benè exſiccabantur, ideo in hypocauſto calefacto circa fornacem ſuſpendebantur. Dum nocte ingruente uxor lintea manibus fricat, in flamma erumpit, iterùm fortius concutit lintea & flamma albicans copiosè per lintea diſſeminabatur cum adſtantium admiratione. Accedo ipſe & manibus tracto, lintea diſcutiendo, idemque obſervo; aliquoties repetebamus cum eadem flammæ apparentia. Craſſiora hæc faciebant lintea, quæ nempe lectis continendis erant dicata, reliqua non item. Putabam nitro-ſulphuream inhæſiſſe his linteis materiam, & quidem ſubtiliſſimam, quippe quæ leni manus tractione per eadem facillimè excutiebatur, & in flammulam ſubtilem albicantem condenſabatur. Seminia autem hæcce contraxiſſe ab aere hyemis vapidiore, plurimis hiſce moleculis impragnato, judicabam, aliam tùm non videns rationem.

(Grünberga *Sileſior* Norimbergam *miſſæ, d. 14 Octobr. 1699.*)

OBSERVATIO XCV.

DN. D. MATTHÆI BLAW.

De Pneumonia ex itinere facta lethali.

NObilismus quidam Juvenis 20. circiter annorum ætatem agens, nomine Monſ. Couſſin de Ladenheit patriâ Friburgenſis Helvetus ex parentibus nobiliſſimis unicus natus Filius iter in comitatum Tyrolenſem peregrinaturus inſtituit, ibi cum variis corporis motibus, equitationibus, pugilationibus &c. frequenter & nimium ſeſe exercuiſſet, ac curioſitatis gratiâ ſæpius in ſubterraneas cryptas ac fodinas deveheretur, atque æſtatis tempore continuo ſitim potũ frigidum in majori quantitate avidius hauſiſſet, incidit inde in diuturnum ſed gravem affectum

pectoris cum tuſſi, reſpirationis difficultate & febre continua lenta. Varia longo tempore adhibuit remedia à medicis præſcripta, ſed cùm abſque ſucceſſu meliori morbus non ſine notabili virium decremento increſceret, nobiliſſimus patiens auram patriam amans domum ſeconferre anxius deſiderabat; annuere ejus deſiderio Medici curam gerentes & conſilium pro aeris mutatione conferunt, ſed eventu læthali. Abiit enim ſibi abhuc ſatis potens & cùm diebus aliquot rhedâ veheretur, reſpirationis difficultas in tantum augebatur, ut maximum ſuffocationis periculum incurreret, metuſque eſſet comitantibus, ne in via obiret patiens: venerat tandem ad Acronianum lacum, & Conſtantiam circa veſperam vix attigit, hunc opem meam aſt ſerò nimis quærentem tantâ laſſitudine & orthopnœâ correptum inveni, ut in lecto jacens reſpirare haud poſſet cum ſumma pectoris anguſtia & gravitate, nec non tuſſi ſitiqve permoleſta, aliquali delirio ac pulſu celeri, debili & inæquali &c, ſicque anguſtatus eâdem nocte juvenilibus annis, non ſine maximo nobiliſſimæ familiæ luctu ſupremum clauſit diem.

Altero die cum expertisſimo Chirurgo Italo D. Antonio Tuitti cadaver anatomico cultro luſtravi; invenimus omnia viſcera in optimo ſtatu conſtituta, exceptis ſolis pulmonibus, quorum unius lobi pars inferior nonnihil ſed parùm liveſcebat, ipſi verò per totum intenſiſſimè rubicundi atque adeò diſtenſi fuerant, ac ſi veſicæ inſtar inſufflati fuiſſent, ut totam thoracis cavitatem adimplerent ſine ulllo tamen aut minimo externi vel interni ulceris veſtigio. Ex quo aliud judicare ac concludere haud potuimus, quàm ægrum hunc obiiſſe ex totali ac recenti pulmonum inflammatione ſeu peripneumonia, adeoque affectum hujus juvenis primò nullam propriè & κατ' ἐξοχὴν ab ulcere ſic dictam phthiſin, ſed levem & incipientem ab unius lobi inferioris obſtructione ſeu coagulati humoris cujusdam ſtagnatione ortam pneumoniam cum febre lenta fuiſſe, quæ poſtea ex majori commotione corporis in itinere per vias ſaxoſas n totalem pulmonum inflammationem abiit.

Rationes hujus aſſerti & deſumpti ex anatomia judicii ad confirmationem afferuntur ſequentes, phthiſin veram non adfuiſſe, ſatis apparet ex defectu ulceris, qvia abſque pulmonum exulceratione nullam phthiſin propriè dictam oriri poſſe præſuppono; cum illis verò, qui ex qualicunque tum pulmonum tum hepatis aliorumque viſcerum labe aut affectu cum febre lenta & conſumptione corporis conjuncto phthiſicos fieri poſſe in ſenſu lato practicis quibusdam conſueto aſſerere volunt, nihil contendo.

contendo. Omnimodam totalem ac recentem pulmonum inflammationem fuiſſe, ex quâ juvenis iſte obiit, non ſolùm ſigna & ſymptomata in caſu propoſita indicant, ſed clarius etiam autopſia docuit, quia pulmones intenſiſſimè rubeſcentes in totum diſtentos, ſanguine ſtagnante turgidos & inflammatos fuiſſe apertè viſum fuit, qvæ inflammatio totalis non inveterata ſed recenter & paucorum dienum ſpatio inducta eſſe debuit, cujus manifeſta cauſa coadjuvans pulmonum vehementiori conquaſſationi in itinere factæ non immeritò adſcribitur ceu à qua ſanguis fortiter commotus ſed propter præcedentem obſtructionem & ſtagnationem per tenuia pulmonaria vaſa ſanguifera transfluere impeditus fuit, unde major ejusdem affluxus hærens phlegmonem ſeu pneumoniam induxit; cujus procul dubio jam antea fomes quidam latuit, cujus ſignum lucidus color in unius lobi parte inferiore ſufficienter præbuit. De cauſis antecedentibus & occaſionalibus remotis ſupra in hiſtoria relatis, nihil hîc addo; vulgare enim eſt & omnibus practicis notum, quomodo ex intercepto ſanguinis motu ejusque ſtagnatione in pulmonibus inflammatio oriatur, cujus cauſa hauſtui frigido in æſtu avidè potato tam in pleuritide quàm peripneumonia, indeque ſubſequente phthiſi facilè adſcribi poteſt: interim pro certo credendum, affectum hunc etſi abinitio leviorem & in ſe forte non incurabilem ex conquaſſatione pulmonum in itinere laborioſo facta deteriorem redditum & totalem ac lethalem pulmonum inflammationem citius adauctam excitaſſe, quod unicum eſt, quod ex hac obſervatione notandum volui.

OBSERVATIO. XCVI.

DN. D. MATTHÆI BLAW.

De Hydrope ex uſu thermarum mox lethali.

ERat ante annos aliqvot in urbe Biberacenſi juvenis qvidam pauper & orphanus, malo victu educatus, dum (ut ipſemet aſſerebat.) per plures annos non ſolùm offam calidam nunquam deguſtavit, ſed tam æſtivo quàm hyemali tempore lecto caruit; inde factus ſucceſſivè cachecticus & tympanitico-aſciticus abdomine tumido expanſo ac inſigniter protuberante, nec non capite tineoſo per plures annos piſtori cuidam ſerviebat, qvo demortuo ad alium civem ſutorem quemdam deſolatus refugium quærebat, ubi ſeptimanis aliqvot moram agens, cùm malum ſucceſſivè augeretur, thermiſt Jordanenſibus dimidia horâ ab urbe

diſſitis utendi deſiderium cepit, credens remedium ſalutare ſe inibi inverturum eſſe. Dehortebantur eum aliquoties ſed incaſſum; frequentioribus enim & importunis precibus inſtanter roganti conceſſerunt tandem D. D. præfecti Hoſpitalis Biberac. ut ad prædictas thermas deveheretur: aſt pretio ſatis charo Charontem ſoluere debuit, dum tertio die thermarum balneo vix uſus ſummâ pectoris anguſtia & reſpirationis difficultate prehenſus vitæ ſpiritum omnino amiſit. Obtentâ licentiâ præſentibus nullis phyſicis & Chirurgis demortui cadaver ſectione apertum, & ſequentia anatome detexit. Totum abdomen ex omni parte tumefactum vix aperiebatur & copioſisſima aqua magno fœtore in altum proſiliit, ita ut tota abdominis capacitas ſtagnante putrido ſero unà & flatibus undique impleta fuerit, omniaque inteſtina ſero innatarent, ac omnium aſtantium judicio ultra integram urnam 30. menſuras continentem aquæ quantitas effluxerit. Ventriculus totus inanis & vacuus reperiebatur, etſi paulò ante bulimo ſeu fame caninâ laboraret. Pancreas inſignis erat magnitudinis, diſſectum verò nihil liquoris præbebat. Hepatis ſubſtantia compacta & non nihil indurata, extrinſecus colorem ſublividum referebat cum adhærente veſicula fellea bile totaliter impletâ & ſimiliter induratâ. Lien incraſſatus durus, exrernè materia albicante obductus. Omentum tenue cum notis putredinis hinc inde apparentibus. Glandulæ meſenterii, prout renales ſeu renes ſuccenturiati) prorſus tumidæ & copioſo ſero impletæ, vaſa autem circa renes & veſicam ſeu ductus Urinarii materiâ quâdam viſcidâ craſſâ referti & obſtructi fuerant. Adhæc in dextro pulmonum lobo inveniebatur abſceſſus inveteratus ſeu vomica viſcidiſſima, & pulmones ipſi hinc inde materiâ quadam viſcoſa albicante parùm obducti conſpiciebantur: Cordis ſubſtantia tam internè quàm externè bene conſtituta apparebat, ſed pericardium aquoſo humore deſtitutum erat. Cæterùm quoad externa præter tineam capitis ſupra memoratam pedes tumidi erant cum maculis ſublivefcentibus, brachiorum atrophia, & pubes impilis &c.

Ex hac obſervatione præcipuè occurrit annotandum, quòd ab iis, quorum corpora deſtructa ſeu viſcera interna malè conſtituta ſunt, adeoque in genere omnibus cachecticis, hydropicis, tympaniticis, phthiſicis, aſthmaticis &c. thermas quaſcunque in uſum non facile vocandas eſſe. De aſthmaticis plura exempla & ſpecialiter unum in Illuſtriſſimo Commendatore quodam de Eggenbach obſervatum afferre poſſem, ther-

marum

marum uſum ad membrorum arthriticorum confortationem adhibitum, ratione aſtmatis adeò fuiſſe nocivum, ut eventum funeſtum poſt ſe traxerit. Id quod in praxi verſatis (quibus hæ cautelæ aliàs notæ ſunt) non ſcribitur, ſed à medicis junioribus experientiâ necdum ſatis inſtructis annotari haud inutiliter poterit.

OBSERVATIO XCVII.

DN. D. MATTHÆI BLAW.

De variolis ab externi aeris frigiditate retropulſis, viſcera interna occupantibus & lethalibus, per autopſiam anatomicam inſpectis.

DUm annis præcedentibus in urbe totaque vicinia Biberacenſi variolæ epidemice graſſarentur, & non ſolùm infantes plurimi, ſed haud pauci etiam adultiores homines iis decumberent, non defuit, quin ex tanto ægrorum numero nonnulli libitinariis ceſſerint; qui tamen funeſtus eventus non tam morbi atrociæ aut malignitatis vehementiæ, quin potius nocivo aeris regimini adſcribendus fuerat, dum multæ mulierculæ ſiniſtrâ opinione perſuaſæ cubicula & hypocauſta, ubi variolis laborantes decumbebant, adeò calefecêre, ut ſumme æſtuaret, & quaſi in ſudatorio ſqvalidus & exhalationibus fætidis refertus æſtus perciperetur, inſuperque patientes multis ſtragulis & integumentis coopertos prope fornaces ferme candentes ponerent, perſuaſum ſibi habentes, variolarum eruptionem ab externo calore facilius procedere: unde tanta in corporum humoribus adaucta eſt effervefcentia, ut longè graviora ſolito ſupervenerint ſymptomata, & non ſolum vehementes partium externarum inflammationes & acriores à variolis confluentibus alterationes, ſed etiam hæmorrhagiæ epilepticæ convulſiones & deliria &c. ſubſecutæ ſint. Iſtæ peccarunt in exceſſu, ſie haben es übertriben. Aliæ è contra matres & mulieres auream mediocritatis regulam obſervare neſcientes peccarunt in defectu, dum incautè nimis infantes ſuos variolis affectos aeri frigido exponerent, unde neceſſariâ diaphoreſi & variolarum eruptiône impeditâ fermentum malignum repreſſum interna nobiliora viſcera invaſit, in iiſque lethales inflammationes excitavit. Ex hoc errore obierat Cæmentarii cujuſdam filiolus qvinqvennis, ad quem cùm poſt incipientem exanthematum eruptionem aër frigidus ſæpius & incautius admitteretur, evanuerunt puſtulæ,

Indeque ſubortâ tuſſi & reſpirationis difficultate obiit miſellus, quem ad interna inſpicienda curioſitatis gratia Sectioni anatomicæ ſubjeci, & inveni pulmones turgidos, inflammatos, jamjam gangrænoſos & plurimis puſtulis ac maculis lividis & nigricantibus copiosè conſperſos, quarum aliquæ ipſum hepatis parenchyma & diaphragma jamjam aggreſſæ videbantur, cæteris tamen partibus adhuc illæſis.

SCHOLIUM.

Si de variolarum ſubjecto loqui velimus, omnibus conſtat, eas ordinariò & potiſſimum corporis externam ſuperficiem ac cutim puſtulis ac exulcerationibus invadere, atque exinde nomen ſumpſiſſe videntur, dum à Germanis vulgò die Durchſchlägten (eò quòd per externum corporis habitum & cutim foras prorumpant.) aliis die Kindes Blateren. (eò quòd morbus infantibus maximè familiaris ſit.) appellantur: præ cœteris autem partibus externis, licèt ab initio dorſum petant, in progreſſu verò à potiori faciem, nec non manus pedeſque occupare ſolent, quia nimirum in facie cutis tenuior & ſubjecta caro mollior ac glanduloſior atque idcirco ad humorum acrium efferveſcentium affluxum in ſe recipiendum aptior exiſtit; manus & pedes verô, quia ipſius naturæ vires quidquid noxium de perverſis ſuccis in corpore detinetur, id à partibus internis & nobilioribus ad externas & remotas atque ignobiliores partes expellere moliuntur, quæ, ſi res bene ſuccedit, pro variolarum benigniorum ſubjecto ordinario conſtituendæ ſunt. Aſt verò ubi humores & præcipuè lympha tam quo ad quantitatem quàm qualitatem ſunt nimis corrupti, ſeu fermentum malignius exiſtit, aut ubi motus ille fermentativus in humoribus minùs debitè procedit, aut variolarum expulſio & diaphoreſis à cauſa quâdã externa impeditur, materia morbifica hoſtilis neceſſariò internas partes aggreditur tanto majori cum periculo, quãtò plura & nobiliora ſunt viſcera, quæ invadit aut in quibus inflãationem vel exulceratione͂ inducit; uti hoc luculentiſſimè apparet non ſolùm ex præſenti obſervatione, ſed multorum illuſtrium hujus ſæculi medicorum ſcripta affatim conteſtantur, & præter alios confirmat præclariſſimus Dolæus in ſua Encycloped. Med. 64. de Febb. cap. 6. §. 2. qui in interioribus corporis partibus ſeu viſceribus, pulmonibus, diaphragmate, ventriculo &c. corruptionem & circa interiorem membranam adnatas quaſi variolas nigerrimas in diſſectione cadaverum variolis defunctorum obſer-

obſervavit, quod idem in deſcriptione mea variolarum anno 1688. typis edita, ſub titulo de partibus affectis adduxi & fuſius oſtendi. Et hoc idem conſtat ex Schenckio noſtro, qui in ſuis obſervationibus ad finem prioris ſæculi jam editis annotavit, variolas omnia viſcera interna obſediſſe, uti refert ex Fernelio & Pareo L. VI obſerv. 104 &c.

Cæterùm & hoc in praxi bene annotandum, quod etiam doctiſſimus Sydenham aliique accuratiores monent practici, in cura variolarum melius ac tutius nihil eſſe, quàm aerem moderatè calidum & temperatum, ex cujus ſolius debito regimine plurimos ſine alterius remedii ad hibitione feliciter evaſiſſe comperi; dum econtra ubi in hypocauſtis nimiùm calefactis aer æſtuat, vel interna fortiora diaphoretica volatilia ſine urgente neceſſitate adhibentur, ægri notabiliter læduntur, variolæ copioſiores redditæ confluunt, majorem ſaniem efficiunt & notabilia fovearum profundus impreſſarum veſtigia perpetua variolarum teſtimonia poſt ſe relinquunt, aliaque graviora ſymptomata variis partibus inducunt. Sic econtra frigus externum pariter maximè nocivum, quia naturæ modum impedit, & peſſimâ metaſtaſi materiam morbificam à circumferentia corporis ad centrum transfert, vel ubi ſufficiens variolarum eruptio ac neceſſaria diaphoreſis non nihil impeditur, tunc ſuperatis licèt variolis tumores duri indolentes in membris ſubſequuntur, qui poſtmodùm quandoque in abſceſſus abeunt, quorum materia acris corroſiva ipſa non nunquam oſſa aggreditur, ac cariem & vix curabiles fiſtuloſos ſinus efficit, quorum exempla plura hîc referre poſſem, quoſuper vid. Ephemerid. German. decur. 3. Ann. 3. obſerv. 126. &c.

(*Friburgo Brisg. Auguſtam Vindel. d. 26. Octobr. Anno. 1699. miſſæ.*)

OBSERVAT. XCVIII.

DN. D. JOHANNIS THEODORI MOEREN.

De Eclypſi Solari quæ fuit 23. *Septembr. ſt. N. 1699.*

Eclypſin Solis, quam *Virgilius* & *Plinius* Solis Laborem vocant rem eſſe in tota contemplatione naturæ maxime miram & oſtento ſimilem, ſentit jam citatus naturæ myſta H. N. L. II. C. X. qualiter hic Labor Phœbi fieret, ridiculè explicavit Antiquitas citante *Plutarcho*

de

de placit philoſoph. L. II C. XXIV. Notior nunc eſt prædictus magni aſtri Labor, nam terræ aut ejus cuidam ſpatio àd breve tempus denegatur illuſtrium radiorum ſolis aſpectus ob terram inter & ſolem venientem Lunam, ut ita terra ſit in umbra Lunæ, & hinc aptius diceretur *Eclypſis terræ*, quam *Solis*. De hac Eclipſi, ut erat diverſus & diſcrepans aſtronomorum & Calendariographorum calculus ſic plerorumque erat error, proximius tetigit celebris in Guben Saxoniæ hexapolios urbe Aſtronomus *Gothofridus Kirch*, nam etſi mihi nec turris ſpeculatoria inſtrumentis munita aſtronomicis, neque Camera obſura, neque laudati Authoris Micrometron, placuit tamen oculo attento ſolem cœlumqve intueri & ad ſidera tollere vultus. Itaque ea ipſa die, quæ erat 23. Septemb. anni & ſæculi occumbentis 1699. aër quidem ut prioribus diebus ſerenus erat, putabatur tamen vel tenuiſſimo velo obductus, ut ſolis lux appareret pallida. Hinc inde etiam claræ lucentesque nubes per cœli Spatia errabant, ſed ſoli minime nociva. Juxta compaſſum accuratum argenteum quadrante ante nonam ſol incepit obſcurari (loquor apparenter,) in ſuperiori parte ſolis, quæ noſtrum Zenith reſpicit, ſeu potius quæ vergit occaſum ſolis æſtivum medio decimæ juxta Compaſſùm partes ſolis ſeptem (ſi diametrum diſci ſolaris in 12 gr. diviſum eo) erant obſcuratæ, atqve ita jam tum ultra medietatem languebat maximum ſidus

Quadrante ante decimam partes ſolis novem erant in deliquio, atqve hæc fuit huic locorum ſumma obſcuratio. Pars vero ſolis denigrata vertebat ſe verſus ſeptentrionem & pars ſolis lucida reſpiciebat meridiem; tubus aſtronomicus oſtendebat cornua ſolis lucentis eſſe obtuſa, non acuta, qvaſi corpus lunæ non eſſet accuratè rotundum, ſed ovale.

Hora decimâ decreverant tenebræ ſolares & adhuc ſub Eclypſi erant partes octo & media. Pars vero obſcurata reſpiciebat orientem æſtivum. Quadrante poſt decimam adhuc partes ſolis ſex. Medio undecimæ adhuc quatuor. Quadrante ante undecimam partes duæ languebant horâ undecimâ & quinque ciriter minutis ceſſabat ultimum Eclypſeos momentum quod reſpiciebat orientem in tropico Capricorni, ut ita linea recta, ubi inciperet primum momentum in corpore ſolari eclypſari deſineret ex adverſo. Niſi oculus fefellit. Atque hæc ſimplex noſtra obſervatio peracta fuit coadjuvante ſolertiſſimo Domino *Joanne Ludovico de Buzzon* Sereniſſimo noſtro principi Electori à ſervitiis

Cameræ.

cameræ. An Aſtronomis Calculatoribus uſui futura ſit noſtra obſervatio neſcio!

Jam aliquot diebus ante Eclypſin magna erat inter plebejos imo & inter magnates muſſitatio de veneno cadente ex aëre tempore Eclypſeos, & puteos, paſcua, animalia, homines inficiente, verum ut jam ante apud Sereniſſimum meum Principem Electorem egeram *Periclem*, de quo Hiſtoriæ, quod, cum obſcurato repentè ſole inuſitatis perfu- „ ſæ tenebris Athenæ ſollicitudine angerentur interitum ſibi cœleſti de- „ nuntiatione portendi credentes, proceſſerit in medium & quæ à præ- „ ceptore ſuo Anaxagora pertinentia ad ſolis & Lunæ curſum acceperat, „ diſſeruit, neque ulterius trepidare cives ſuos vacuo metu paſſus eſt; „ ſic ego particulari ſcripto prævìè edocueram timorem hunc cadentis ab Eclypſi veneni vanum eſſe & nullum, inter alia hoc motivo uſus Eclypſin nihil aliud efficere niſi quandam particulam noctis, & *noctem* docente Plinio l. c. *non eſſè niſi umbram terræ;* ut jam â nocte nil veneni timeas, ſic neque ab Eclypſi quidquam pertimeſcendum. Poſſe tamen permiſi vanum & inutilem terrorem ſeriò conceptum in hominibus morbos cauſare ſed non vi veneni ab Eclypſi Solari, ſed vi perſuaſionis & excandeſcentiæ ſpirituum ab innoxio ſolis deliquio. Eventus verò in noſtra hac Eclypſi docuit aërem manſiſſe ſerenum & lucidum etiam poſt Eclypſin, nullamque infectionem ſecutam eſſe.

Aſtrologi volunt tot annis durare effectum Eclypſeos, quot horis eſt aſtrum in obſcuratione: etiam audacter aſſerit *Proclus* ſi Eclypſis „ ſolis contingat in primis decem gradibus libræ; Aërem corrumpit, „ peſtem ſuſcitat, & annonam flagellat, caramque reddit: Eclypſis no- „ ſtra duravit duabus horis & quadrante contigitque ſub ſecundo gradù libræ. Verum hæc mala futura tam Dei miſericordia, tum etiam principum vigilantia præcavebuntur. Annonæ caritas quæ hoc anno fuit & etiam num perſeverat, merè petulans eſt, & vereor ne Dei iram juſtè provocet.

OBSERVATIO XCIX.

DN. D. JOHANNIS THEOTORI MOEREN.

De effectu Eclypſis ſolaris.

NE quid hic aſtrologicæ vanitatis exſpectes, à medico Medica potius habe. Nam ne dicam de aliis, quorum plures Eclypſin intuiti ſunt, quod paſſi fuerint aliquam obfuſcationem oculorum etiam aliquot horis poſt finitum Phœbi deliquium. De me atque coobſervatore in priori obſervat. memorato poſſum conteſtari quod inſequentibus poſt Eclypſin diebus tribus aut quatuor parum abfuerit, quin plane cœcutierimus. Etenim cum irretortis oculis & animo cupidiſſimo Eclypſin ſolis identidem aſpexerimus tædioſum hunc effectum experti ſumus, quod ſive in tenebris ſive de die quocunque nos verteremus, nihil oculis obverſaretur niſi Eclipſis, niſi obſcurus ſol, & tenebroſus circulus, ita ut ad paucos paſſus vix quemquam dignoſceremus, imo in libris prope admotis, minus præſente candela legere potuerim, & cum difficultate quadam convocatis ad pupillam ſpiritibus conniventibus palpebris ſcribere potuerim, ob volitantes ante oculos circulos nigros in ſeſe coëuntes. Illa obſcuratio aëris, quæ realis fuerat ſtante Eclypſi etiamnum poſt Eclypſin duravit in oculis noſtris. En effectum Eclypſis ſolaris mihi ſatis odioſum. Ad præcavendum hocce viſus diſturbium ſuadent „ Authores varios obſervandi modos. *Seneca* Nat. Quæſt. L. I. C. XII. vult æſtimandum ſolis deliquium in pelvi aqua plena & immota. Sed nunquam aqua ita quieſcet, quin non leviſſime moveatur à circumſtante aëre, ut hinc ſuo luſu & vaga radiorum Solis reſultatione non leve adferat oculis nocumentum. Teleſcopia cum aſtri orbita aucta augent & ſplendorem. Magno Aſtronomiæ principi *Ricciolo* placet, pro obſervatione tuto facienda vitrum viride concavum, quo oculus ob luminis violentiam muniri debet. Meo judicio camera obſcura non ſolum difficultatem hanc illuſtrationis ſcil. ſolaris vehementiam evitat, ſed inſuper phænomenon hocce cœleſte acuratius obſervare facit. Nos in defectu vitri viridis concavi & cameræ obſcuræ præter tubum cœleſtem ſubſtituimus pileos noſtros, quorum limbos acuto foramine perfodimus, atque per hæc ſolem patientem obſervavimus, ſed ut dictum cum noxio effectu oculorum noſtrorum diſturbatorum, ſeu potius

tius ſpirituum confuſorum abs impresſione forti radiorum ſolis.

(*Miſſæ Bonna Norimbergam d. 8. Novembris 1699.*)

OBSERVATIO C.

DN. D. JOANNIS THEODORI MOEREN,

De rara uteri virginei excreſcentia.

VIrgo XXX annorum jam ab annis circiter XI. ſenſit ſibi increſcere abdomen, menſtruis tamen ritè fluentibus, aucta eſt hæc moles abdominis de anno ad annum vireſque ſumſit eundo, ut quæ quibuſdam in initio ſiniſtram de virginis pudicitia ſuſpicionem moviſſet, dein docente tempore omnium eſſet ſtupori, eo majori, quo ſe latius abdomen extenderet, ut jam non amplius ante ſe videre, minus recta incedere, ſed dorſo incurvato, & protuberante abdominis monte baculo inniti deberet, animo tamen, ſemper erecta & cum Deo ſuo contenta fuit. Hæc virgo tandem ob ulcus tibiæ depaſcens affixa lecto eſt, & accedente inopino lapſu poſt paucos ſaltem dies Anno hoc exſpirantis ſeculi decimi ſexti placidè obdormivit. Inſtitui anatomicam inſpectionem adjuvante prænobili & expertisſimo D. Affine meo Friderico Cronberg modo Principis Haſſo-Rheinfeldenſis medico & ad S. Goarum practico feliciſſimo. Exterior figura corporis tota macilenta erat & exhauſta, excepto immenſo abdomine, quod aperuimus, & ultro mox ingens è ſuo carcere carnea maſſa in conſpectum prorupit: peritonæum & cutis abdominis, utpote juxta molem incluſam violenta expanſione dilatata, tenuia admodum erant. Subter molem hanc atque inter reliquas inteſtinorum cavitates ad tres plus minus amphoras latebat liquor ſeu ichor flavus & aliquantulum fœtens, an ille ex lapſu mortem prægreſſo in cavitatem deſtillarit, neſcio. Omnia interanea ſive in pectore, ſive in abdomine, hepar, lien, quæ alias in ſuſpicionem mali venerant, ſana erant, niſi quod reſpectivè majora eſſent, quam in extenuato corpore debere eſſe putabantur. Atque hæc cum inteſtinis premente ab infra verſus ſuperiora mole fere ſub Thoracem coacta fuerant. Omentum gracile admodum perpaucis pinguedinis particulis hinc inde obſitum colorem putredinalem induerat.

Cæterum moles illa carnea, cum ob immenſitatem nos pene ſtupidos redderet, juſſi tamen illam à duobus chirurgis elevari, ut ſaltem radix ejus in conſpectum veniret, cumque radicibus ſuis circumquaque tam dorſo inferiori quam peritonæo & pubi ſat fortibus membranis alligaretur, illæ circum circa cultro diſſectæ ſunt, atque ſic apparebat, molem hanc vel eſſe ipſum uterum, vel eſſe quidquam utero adnatum, hinc eandem intra oſſa pubis profunde juſſi reſolvere, ſuperincumbebat huic moli veſica urinaria, quæ tamen peregrinis membranis videbatur involuta. Inquiſivi in adſtantes, quæ perſonæ hujus notitiam bonam habebant, utrum liberè ſemper minxiſſet, reſpondebant quod ſic, & quod nunquam de hac re aliquid conqueſta fuiſſet, addebant ad meam quæſtionem, ab anno jam illam virginem menſtrua deſeruiſſe. Molem ergo illam carneam profunde exſciſſam in adſtantem menſam depoſuimus, duo chirurgi, qui portabant, dicebant eſſe librarum ſeptuaginta aut plurium. Saltem credo fuiſſe librarum ſexaginta. Primum inqviſivi in vaginam uterinam & hac inventa monſtrabat ſe mox interius uteri orificium, qvo Chirurgis monſtrato certi erant hanc molem nil aliud eſſe quam ipſum uterum, nam interior uteri cavitas oblongior vix digitum parvum admittebat, membrana interior erat ligamentoſa, & huic continua erat maſſa illa informis, Ab uno latere ſubtili ſectione oſtendebat ſe tubus Fallopianus, cum uno teſticulo ovulis referto & ornamento foliaceo: ſed ab altero latere nihil ſimile, niſi quod in diſſectione maſſæ duæ aut tres glandulæ reperirentur ſimiles teſticulis gallinaceis, licet majores, & in ſe ſimilem ſubſtantiam ſtriatam & albidam haberent. Cæterum tota maſſa in meros lobos diviſa erat, nimirum in duos lobos majores qui diviſi dabant intra ſe tanquam in nuce alios & alios lobos cum novis involucris. Subſtantia hujus horrendæ carnis ſpongioſa & glanduloſa plena erat vaſculis, in quibus vel ſerum, vel ſanguis congrumatus latebat, diverſis venis, arteriis & membranis turgida. In medio tamen hujus molis, ubi utero propinquior eſſet, forte ligamentum erat, quod uno in loco jam inceperat oſſefieri. Cum adſtantibus exponerem qualiter Moguntiæ ſub tempore mei Profeſſoratus ibidem obſervaverim Hepar librarum fere viginti, in muliere quæ credita hydropica fuerat, orta fuit hæc inter adſtantes ſpectatores quæſtio, an, ubi in homine incipientis cujusdam excreſcentiæ aut molis ſuſpicio eſt, an non inquiebant, hæc medicamentis præcaveri, ſi non impediri, aut plane tolli poſſit? quam curioſitatem inquirentium

nondum

nondum ſufficiente ſatisfactione ſatiavi, ſatiandus prius feliciori D D Collegarum experientia.

(*Bonnâ Auguſtam Vind. o. 25. Novemb. Ann. 1699. miſſa*)

OBSERVATIO CI.
DN. D. JOSEPHI LANZONI.
De duplici Dentium ordine in infante

DE triplici ordine dentium in Ludovico XIII. Galliarum regē curioſam refert hiſtoriam clariſſimus Thom. Bartholinus in Anat. reform. lib. 4. cap. 12. & duplicem ordinem me notaſſe jam in cive noſtro Ferrarienſi, memini in mea de dentibus diſſertatione anatomica, quæ impreſſa reperitur in ſecunda editione Bibliothecæ Anatomicæ tom. 2. pag. 513. Nunc notare libet, quod nuperrime vidi in puero recenter nato; nempe duplicem dentium ordinem, exigui quidem illi erant ſed tamen benè formati; interrogata obſtetrix, mihi jurato aſſeveravit tales dentes jam puerum ab utero matris egreſſum habuiſſe; Infans vero poſt quatuor dies mortuus eſt.

OBSERVATIO CII.
DN. D. JOSEPHI LANZONI.
Noxa ex Cibo cocto in Vaſe æneo.

FAmula quædam Monialium Sancti Rochi Ferrariæ Anno præſenti 1700. accepit à monialibus oryzam coctam in vaſe æneo; ipſamque ſuis filiis edendam porrexit; qui talem pro cæna cum aſſumſiſſent cibum, noctè diro vomitu doloribus, ac alui dejectionibus miſerè affecti ſunt, ità ut mater ipſos emori putaret; & mihi poſtea juravit, filios ſuos nil aliud quam oryzam illam à monialibus dono datam comediſſe; quapropter judicavi; ob eſum cibi cocti in vaſe æneo iſta ſymptomata evenire, recordatus obſervationis. 95. Cent. 3. Joh. Rhodii, qui eſum letalem leguminis ex ære cocti enarrat in quodam hortulano; Pariter tres Rev. moniales Ferrar. Anno. 1698 Menſe Julio variis ſymptomatis affectæ ſunt, ut cardialga, vomitu, ventris torminibus, alui fluxu, ariditate faucium, ſiti &c, ex ſola aſſumptione Paſtæ triticeæ coctæ cum

 butyro

butyro, & caſeo conditæ, ac recoctæ in vaſe æneo; quarum monialium una forſan debilior aliis duabus mortua eſt; Putabant multi, arſenicum permixtum fuiſſe cibo illi; ego autem ſemper, idem à ſola cupri malitia originem habuiſſe judicabam; me enim docuere Autores de æris malignitate; hinc D. Sennertus Pract. lib. 6. part 6. cap. 10. ait; *Cuprum venenoſa qualitate non caret, qua & eſculenta, & potulenta, ſi in vaſis cupreis coquantur, aut diutius ſerventur imbuuntur; quæ poſteà intrà corpus aſſumpta ventriculum turbant, nauſeam, vomitiones, ariditatem Linguæ, eroſiones ventriculi, dolorem, & ventris fluxus excitant*; & Dn. Frideric. Hofmann. clav. in Schröder. lib. 3. cap. 12. ſcribit hæc verba: *ſi vinum, acetum aut alius ſuccus acidus fuerit æri affuſus, ac interne propinatus, legitimi veneni mineralis ſymptomata producit.* Et Avicenna lib. 2. tract. 2. cap. „ 234. inquit: oportet quidem, ut caveatur uſus dimittendi illud in „ quò eſt ſalſedo, & amaritudo, aut pinguedo, ſicut ſunt olea, & carnes, „ aut acetoſitas, aut dulcedo, in vaſibus æris, & bibendi ex eis; i„ pſa enim transmittunt procul dubio ziniariam, & ziniar eſt venenum. Caveant ergo Medici, & lento pede pronuncient de veneno malitioſè propinato, aut accidentaliter aſſumpto; rectè docet enim Dn. Joh. Baptiſta Sitonus in Miſcell. tractat: 17. Arduum nimis, & humano impar ingenio opus eſſe dijudicare, an aliquis veneno extinctus ſit? & Caſp. à Reies in camp. elyſ. jucund. Quæſt. 64. num. 35. ait, de veneno aſſumpto cautè, aut minimè pronunciandum eſſe à Medicis; qui oportet, ut ſciant ferè ſemper contrà fiſcum ſe ſtare debere in ipſis caſibus, nec temerè credere de venenis, ut inquit Vrſinus in Bibliotheca Med. Mangeti, tom. 4. pag. 784. incerta enim, & fallacia ſigna ſunt, & veneni interni ab externo dignotionem difficilimam, aut fermè impoſſibilem eſſe ſcripſit optimè â Reies loc. cit. Nec fiſci propterea ſtandum accuſationibus; nam quis innocens eſſe poterit ſi accuſare ſufficiat, ut imperator Iulianus aduertit, referente eruditiſſimo D. Joh. Paulo Ferrario in Reflex, med. Legal. pag. 6.

OBSERVATIO. CIII.

DN. D. JOSEPHI LANZONI.

De variis Antipathiis curioſis.

VArias in præſenti obſervatione antipatias curioſas notare ſtatui. primò de cive Ferarienſi cui cum Liliis antipathia tanta eſt ut odorem etiam à longè fugiat, oporteat, ne in vomitum, & lipothimiam incidat,

dat. Monialem noſco, quæ ſanguinis hæmorhagiam, per nares confeſtim patitur, ſi allii odorem perſentit. Militem alioquin ſanum nauſea, ac vertigine correptum ſola ranarum præſentia obſervavi. Antipatiam cum anguillis in muliere gravida notavi jam in miscell. nat. curios. Dec. 2. ann. 9. obſerv. 208. pag. 379. idemque hoc anno 1700. obſervavi in juvencula primipara cujuſdam Fabri uxore. Sacerdos quidam noſter Calendulæ flores ſummopere averſatur; aliumque noſco honeſtum Civem, qui nec odorem caſei tolerare poteſt, & tantò minùs ejusdem eſum. A Pæonia fugiebat juvenis ut retuli in d d. miſcell. Cur. 2. obſerv. 40. pag. 77. ſicque à Roſis alius abhorrebat, imo capitis dolore afficiebatur, dum roſam olfaciebat. Adoleſcentulum anno elapſo 1699. tertiana duplici correptum curabam, cui emulſionem ſeminum peponum exhibui; aſt illicò ac appoſita ſaltem fuit, in tremorem, ac ſyncopem incidit; mater, poſt duas horas iterum porrexit dictam potionem, iterumque tremor, & ſyncope ſupervenere. Domeſtici hoc mihi cum narraſſent & idem expertus fuiſſem, prohibui, ne imposterum adoleſcens non tantum emulſiones non aſſumeret verum nè quoque aſpiceret; De Proſocro ſua narrat Excellentiſſus *Dn. D.* Joh. Ludovic. Hannemannus in obſerv. 51. Ann. 4. decur. 2. pag. 121. quæ menthæ odorem nè quidem herbæ ejus præſentiam ſine animi deliquio ferre non poterat, idemque pariter ego nuperimè notavi in ſacerdote quodam Romandiolo. Vir ætatis annorum 37. talem inimicitiam cum ſulfure, ac ſulfuratis tenet, ut ſcabie affectus, inunctione unguenti ad ſcabiem in cujus compoſitione pulvis ſulfuris habetur, ſtatim in Lipothimiam, ac poſteà tremorem, & capitis dolorem inciderit; imò ille mihi juravit, nec ſine angore ac cordis palpitatione ſulfuris præſentiam poſſe tolerare; quod autem mirabile eſt nauſea tentatur, ſola ſulfuris nominatione; Ancillam noſco, quæ à nativitate, à vino abſtinet, ità ut ſolo vini odore vomitû afficiatur. Quendam à gravi morbo liberatum panem neque videre, neque ut nominetur tolerare potuiſſe, refert Clariſſ. Dn. D. Caſp. Theoph. Bierlingius in miscell. Acad. noſtr. Curios. Decur. 1. Ann. 2. obſer. 207. pag. 309. Idemque ego Anno. 1699. in milite quodam poſt Longam quartanam obſervavi. Elbingæ Primarium fuiſſe Paſtorem, qui Porcelli aſſati caput videre non poterat, aſſerit Clar. Dn. D. Jacob. Barnerus in Miſc. cit. An. 6. & 7. obſ. 199 pag. 294. Et ego pariter Anno 1698. menſe Junio notavi virginem annorum. 15 quæ caput vituli elixati tolerare nequibat; Varias antipatias cum felibus enarrat D. Lucas Schrökius nunc Acad, Leopoldinæ noſtræ digniſ-

ſimus

ſimus Præſes in ſuo ſcholio ad obſerv. 50. Anni ii. decur. 2. pag 83. Sic ego uxorem alicujus Ruſtici noſco, quæ tanta cum felibus antipathia vexatur, ut in ſola felis præſentia deliquia patitur, ac ſudores circa frontem, idemque etiam accidere in puero novem annorum mihi fatetur honeſta hujus urbis matrona.

(*Ferrariâ Auguſtam Vind. Anno 1699. 2. Decembr. miſſæ.*)

OBSERVATIO. CIV.
DN. D. DANIELIS CRUGERI
De Epilepſia horrenda & contumaci

FEmina ante aliquot tantùmmodo ſeptimanas viro cuidam matrimonio juncta, incidit in Epilepſian quæ intra 24. horas vel centies eam corripiebat applicata ſunt naribus fœtida nempe Spir. Salis Armon Tinct. caſtorii, infundebatur ipſius ori Elyxyr uterinùm Timæi Eſſent. caſtorei Spir. Salis Armon. per vices, nullo ſequente levamine tum & 20. guttæ Ol. ſuccini in Aq. ciconiæ & Hyſterica exhibitæ, perſeverante adhuc affectu. Cum igitur per os aſſumere plura reſpueret, applicatus eſt Clyſter ſequens ℞ herb. meliſſ. matricar rutæ Mj. radic. Valerian. ℥Vj flor. ſambuc. pii. bacc. lauri ℥ß colocynth. in pet. ligat. ℥ij coquè in Aq. com. q. ſ. Colatur. ℔j adde Ol. laurin. rutæ â ℥j Spir. Salis Arm. ʒVj. ab hoc clyſtere licet tantùm bis alvum moveret, mox tamen Patiens præſentiſſimam ſenſit opem inducias majores epilepſia dante itemque paroxyſmis brevioribus conſpectis, deinde exhibebatur ℥j. pulveris contra convulſiones Thoneri lib. 2. obſerv. 1, de convulſion, epilepticis, & obſerv. 4. ℞ radic. vincetox. angelic. â ℥j caryophyllat, pœon. ſucciſæ, ſarſæparill, â ʒjj bacc. lauri ℥j ſpec. diambr. diamosch â ℥ß. fl. anthos, ſalviæ, ſerpill. â gr. XV. M. F. Pulv.

Secundo morbi die recepit ℥j pulv Riverii ex gentiana, dictamn. alb, tormentill, &c. vid. Autor cap, de Hyſterica paſſione. quem etiam probatum experientiâ refert in obſerv. communicatis â D. Simon Jacob obſerv. 22 de hyſterica paſſione. Nos enim Epilepſiam ex utero provenire judicavimus & quidem rectè, hinc paroxyſmi ſenſim remiſere, & quoniam alvus adſtricta erat prædictus Clyſter reiteratus. Aſt cum tantum portio Clyſteris ejiceretur ſubſiſtente in corpore adhuc dimidiâ parte, per os ſumpſit ſequens laxativum: ℞ tamarind. ℥ß

paſſu-

paſſular. ℥iij. Cremor. Tartari ℥iij. fol. Sen.ſ.ſ. ℥j. mechoacann. alb ℥ij. coque in ſ. q. Aq. com. Colatur. ℔j. hoc decoctum quod per vices modò ipſi ſumendum præſcripſeramus, illa intra 12. horas exhauſit atque ſexies exinde dejecit, ſicque morbus Deo auxiliante, cui ſit laus, tertio morbi die in totum ſublatus eſt, aſſiſtente curæ meæ Dn. Doctore Hüſelithio Phyſico hujus urbis meritiſſimo. Sed neque hoc reticendum, â vena in pede dextra ſecta etiamſi paroxyſmus intervalla vix daret, levamen aliquot provenîſſe ad imitationem D. Höchſteteri parte ſecundâ obſervationum, cura radice valerianæ & pulvere uterino Riverii jam continuatur.

OBSERVATIO CV.

Dn. D. DANIELIS CRUGERI.

De Æthiope minerali, ſanguine Regis abluto, illuſtrato & nobilitato, ſeu Cinabari ſolari.

Riverius paſſim in Obſervationibus ſuis utitur Mercurio dulci ſexies ſublimato, ad vermes puerorum eliminandos, quod remedium calomelas vocat, uti videre licet obſerv. 83 Centur. 4. Melas appellatur hoc remedium quia Mercurius intus niger eſt ſeu magnam nigredinem habet, καλὸς autem vocatur, quia per ſublimationes ſexies repetitas nigredo magna ex parte tollitur, idcirco quando mercurius nigredine non ſpoliatur meritò κακομέλας eſt vocandus, nam quoties in Æthiope minerali mercurius crudus cùm ſulphure teritur uti ipſum deſcribit L. Jüncken in Lexico Pharmaceutico atque autorem Harras adducit, toties ſulphur arſenicale mercurij extravertitur & pulvis fit niger, ſicque Æthiops cum ſtercore ſuo exhibetur; ut igitur Æthiops hic fiat κάλλιςος μέλας ſequenti modo illum per Regem illuſtravi & illuminavi. ℞ Auri ℥j. redigatur cum Mercurio in calcem, adde huic calci ſal gemmæ, Nitrum & Sal commune, optimè terantur per horam, poſtea ponantur in cucurbitam humilem in arena, & ſenſim ignis augeatur atque materia liqueſcat, tamdiu verò ignis continuetur ut materia iterum indureſcat & Spiritus ſalium avolent, tunc exime materiam & affunde Aquam calidiſſimam ſic fiet ſolutio crocea, pars quædam Aurum in fundo remanet quæ reducenda. In ſolutionem inſtilla Ol. Tartari quamdiù aliquod præcipitatur, filtretur, crocus ſolis remanens exſiccetur, & liquori filtrato affunde Spir. Salis Arm. & iterum portio quædam fundum

petet & præcipitabitur, pulvis fundum petens, addatur priori croco ſolari, & ambo cum Mercurii & ſulphuris ana ℥ß miſceantur, & adhuc addidi crocum Solis Aq. Reg. Baſilii ſubtiliatum uti Baſilius ipſum lib. 4 de ſulphure auri præparat, pondere ʒj, hæc omnia mixta ſublimavi & accepi Cinnabarin ſolarem egregiam, quam in omnibus iſtis affectibus in quibus Æthiops mineralis niger uſurpatur decies utiliorem & ſine noxa deprehendi, quoniam Æthiops jam ſanguine Regis eſt illuſtratus, etiamſi tantummodo quarta pars de ſole ſublimetur, tamen & irradiatione illa â ſole facta Æthiops ille mirum in modum nobilior & efficacior redditur. Reſiduum quod ab auro in fundo remanet, reduci & ulterius ad hanc rem attenuari poteſt. Addo & hoc quod ſublimatione iſta nigredo illa Mercurii melius deponatur, quoniam ſecundum Gebrum optima Mercurii depuratio fit per aurum.

OBSERVATIO. CVI.

Dn. D. DANIELIS CRUGERI

De Sella Curioſa Sereniſſimo Electori Brandenb. Magno nunc Boruſſiæ Regi oblata, cum Homagium Stargardiæ ſuſciperet.

SUperiori parti inclinatoriæ erat affixum Nomen Sereniſſimi typis aureis exſculptum emblematicè, & verſibus Germanicis explicatum. Sedili incumbebat globus magnus vitreus (cujus diameter ſpithamæ j½) emblematibus interius pictus, in cujus medio erat diameter horas æquinoctiales interius auro aſſignatas monſtrans. Aliud ſciatericum ſub manibus erat, quod propter temporis anguſtiam non perfici poterat, adhuc ſplendidius oculos paſcens. Sumpſi globum vitreum prædictæ magnitudinis & intus Mercurio Jove & marcaſita ſecundum artem obduci curavi ut ſpeculum repræſentaret, huic globo induxi lineam auream æquinoctialem & tropicum cancri & capricorni; horis 24. æqualibus circulum æquinoctialem diſtinxi atque ſecundum poli elevationem direxi, ſic diſpoſito globo, caput meum eſt index, nempe quando ego Solem in globo receptum, capite meo operio, exactè horam in globo oſtendo; Nam ſol, cœli caput meum, & Solis imago in globo recepta ſtant in linea rectâ cum puncto horæ.

Infimæ parti ſellæ, Mercurius globo parvo inſiſtebat, globus autem filo pendebat, Venus verò ſpithamæ magnitudine erat â Mercurio ſemota,

ſemota, aſt quò Venus dirigebatur circa Mercurium vel circa dextram vel ſiniſtram eò ſponte ſuâ Mercurius ſe vertebat nullius manu directione adveniente. Solis autem magnetibus tota ars dirigebatur

OBSERVAT. CVII.

Dn. D. DANIELIS GRUGERI.

De Infantis in Syncopen lapſi ſingulari cura.

INfans Doctoris cujusdam ad iram provocatus more infantium ingenti ploratu tantopere afficiebatur ut non tantum præcordiorum motus & pulmonum anhelitus ſiſteretur ſed & epilepſiâ correptus mortui inſtar decumberet, hic nullo remediorum genere ſuſcitari poterat, niſi per hoc ut quispiam divaricatis muſculis ipſi calidè in anum ore inflaret, quod arcanum â vetulâ quapiam didicerant; poſtea autem animadverterunt ſi modo virgâ prævenirent, ſe affectum ſuſtuliſſe.

OBSERVATIO. CVIII.

Dn. D. DANIELIS CRUGERI.

De Clavorum pedum certa Cura

REſp. Spir. vitrioli veneris, & illinantur Clavi optimè bis vel ter de die quoties opus.

Poſt 12 horas impone ſequens emplaſtrum:

℞ Gumm - Galbani gum. ammoniaci â ℥ß
ſolve in ſ. q. Spir. vini & inſpiſſa, adde
euphorbii ʒß.
alûm. uſt. gr. 4ſ.
virid. æris ℈iiiß
Mercur. dulc. vulgaris ℥j
Olei euphorbij & ceræ â q. ſ.

M. F. Emplaſtrum, poſt duodecim horas removeri poteſt & cultello clavus eximi, imò ſi magnus fuerit clavus, ſecundâ vice repeti poteſt.

OBSERVATIO CVIIII.

D. D. DAN. CRUGERI

De ſingulari Remedio contra Calculum

VIr ſexagenarius varia remediorum genera â Medicis præſcripta adhibebat fruſtraneo ſucceſſu, erat enim prægrandis calculus, ita ut ſanguis quotidiè affatim flueret per anum, tandem remediorum pertæſus, tantum propter acrimoniam uſus eſt veſperi, ſequenti amygdalato:

℞ decocti hordei ℔ij. amygd. d. ℥iß F. l. a. emulſio, adde panis Triticei quantùm placet. Hac cœnâ contentus veſperi, effecit ut calculus ſenſim diſſolutus intra menſem prodierit, nam ſemper ex illius eſu arenas emolliri animadvertit, & certè flavedo ex corticibus hordei cum amygdalarum oleo in decocto diſſoluta & urinam egregiè pellit & ſal calculum coagulans diſſolvit, Sed & decoctum Foreſti manè continuavit.

OBSERVATIO CX.

D. D. DANIELIS CRUGERI

De Diaſcordio anthelmintico magna doſi ſumto

SErvo cuidam febre maligna laboranti, ordinaveram Diaſcord. Fracaſt. ℥j ut ſingulis matutinis horis ℨij. ad ſudandum ſumeret, petechiæ enim graſſabantur, ille doſeos oblitus, integram unciam unicâ vice cum cereviſiâ calida hauſit & ecce novem lumbrici prægrandes prodierunt & ille per 24 horas continuo ſudore madidus meliorem morbi ſtatum animadvertit, ſenſimque convaluit, ſcordium enim lumbricos pellit.

OBSERVATIO CXI.

D. D. DANIELIS CRUGERI

De ſanguine, poſt quintum diem à morte, præternaturaliter ad mulieris famoſæ tactum fluente, cum judicio Medico.

EVocatus nuper eram ad Chiliarchum quendam Brandenburgicum, Dn. de Dittmarsdorff in pago Kiker habitantem, ut uxoris curam

ratione

ratione ſanitatis ſuſciperem, ubi ab ipſius genero D. Hermano Hinrich de Lochſtet in pago Maſco degente hic caſus proponebatur, ut, quæ ad Phyſicum & Medicum circa eundem ſpectarent, reſolverem. Nempe Ruſticus quidam Philipp. Liskovv cum famoſa muliere magnis altercationibus propter panem furtim ablatum, cujus illam inſimulabat, certavit. Hæc irâ inflammata cum minis ab illo decedit, ruſticus dehinc ſtatim morbo coripitur, & tertio morbi die venefica noctu ad eum venit, ipſumque Diabolum in forma muſcæ ipſius linguæ inſeruit, ut in poterum ne quicquam vel liquidi vel ſolidi deglutire potuerit, addiditque, fame & ſiti ipſum periturum. Dictum factum! Cum itaque quintus dies à tempore mortis ſepulturæ deſtinatus eſſet, judice iſtius loci non renuente, compromittente vidua defuncti, famoſa illa mulier de hoc crimine apud viduam ſuſpecta, in præſentia ſeptem teſtum innocentiam ſuam coram oculis omnium declarare decrevit, atque ſequentibus verbis, depoſita ad maxillam defuncti manu, ipſum in loculo quietè jacentem audacter alloquitur: Philipp. Liſcovv, ſo gewiß und warhafftig als ich ſchuld an dir habe / gebe Gott ein Zeichen von dir. Quid fit? inter loquendum mox ex labiis ſanguis admodum copioſus ad manus veneficæ proſilit atque in & exterius non illas tantùm, ſed & monile mirum in modum commaculavit, quo facto juſſu Judicis ad carcerem deducta eſt. Quæſtio hinc apud JCtos formatur:

An ſanguinis emiſſio in cadavere ſit certum indicium commiſſi homicidii?

Hæc qvæſtio difficilima judicatu ſemper ab Autoribus eſt habita. Illorum, qui negant, maxima eſt pars, adeò, ut hodie quaſi ſtatutum ſit, neminem ex judicibus ſoli huic indicio innixum poſſe ad eqvuleum & torturam procedere. Cum igitur multi exaſciandæ huic quæſtioni ſecurim appoſuerint, nemo mihi vitio vertet, ſi ad diſcutiendam illam & ego ingenioli mei qualiſcunque vires exercuerim, id inprimis reſpiciens, quod natura, ſana ratio, Literæ ſacræ, experientia & jura dictitaverint, & cum à recepta ſententia diſceſſerim, non ex pruritu novitatis cujusdam me id feciſſe exiſtimes, inprimis cum meliora edoctus veritati cedere omni tempore paratus ſim. Primò itaque dicitur, fieri poſſe, ut ſanguis, qui in venis delituit, agitato motoque corpore & venarum oſculis reſeratis erumpat, Oldekop. Obſerv. Criminal. Obſerv. 2. Quis hic non videt, Autores contrariæ ſententiæ ſtatum controverſiæ & quaſtionem non ritè formare. Non enim hic quæritur, an ſanguis, qui naturaliter, vel vi, commoto corpore, vel etiam caſu aliquo per

 os,

os, nares, oculos, aures &c. emanat, ſit certum indicium commiſſi homicidii, ſed qui præternaturaliter nulla occaſione data fluit. Priori modo etiam præſentibus amicis vel quibuſcunque aliis effluere poteſt, poſteriori verò modò Deo nutante & vindictam ſignificante. At inquis, Sperlingio notante non ſemper ſanguine ſtillare cadaver homicida præſente, Inſtit. Phyſ. lib. II. cap. 3. Quæſt. 1. Reſpondeo: Deus occultas ſuas habet cauſas, cur non ſemper reum manifeſtare velit, ita ut nefas ſit, Omniſapientiam ipſius in cenſuram vocare. Nam interdum occiſus incidit in manus occiſoris juſto Dei judicio, hinc in Vet. Teſtamento Civitates tutelares, quæ Aſyla dicebantur, erant ordinatæ; vel occiſor moderamen inculpatæ tutelæ uſurpavit, vel aliæ ſubeſſe poſſunt occultæ cauſæ, cur Deus in hac vita vindictam nolit ſumere de reo, quin imò ſi ſemper ſtillaret in tali caſu ſanguis, poſſet aliquis aſſerere, eſſe hoc à cauſa quadam naturali vel ſympathica, quæ ſemper eodem modo agunt, idcirco in hoc negotio exiſtere quoddam agens liberrimum, ex eo præſumitur. Et hoc confirmat potius meam ſententiam. Sed de hoc non eſt quæſtio, quando non ſtillat, ſed quando præternaturaliter fluit ſanguis, ad reliqua tua verba jam eſt reſponſum. Quidam exempla hæc ſingularia ex experientia negare quidem non poſſunt, interim tamen ex particulari non ad univerſale concludi poſſe inferunt. Verùm in humanis actionibus hoc quidem valet, ſed non in miraculis, idcircô etiamſi tantùm miracula tria in mundo eſſent, & quartum ejusdem generis contingeret, in quo manus Dei oppidò conſpicua eſſet, maximè & citra omnem controverſiam pro miraculo eſſet habendum, & quando hiſtorias iſtas examinamus, ex miraculoſo tali ſanguinis fluxu ſemper eventus ad vindictam conſecutus eſt, niſi Judex ſpernere manum Dei voluerit ex hypotheſi ſua. Nullusque inſons ad ſupplicium eſt deductus, ideoque argumentatio mea per inductionem facta, tamdiu ſtat firma, quamdiu averſa pars exemplum in contrarium non adduxerit, nempe ad fluxum talem miraculoſum, innocenter reum ad torturam vel mortem eſſe condemnatum, quemadmodum aliàs è conſuetis & poſitivis JCtorum indiciis ad torturam propoſitis vel quadraginta exempla annotavit Oldekop. in Appendic. ad Obſervat. Criminal. eorum, qui innocenter ad mortem migrare coacti ſunt. Sed, ut dixi, argumentum illud in miraculoſis actionibus planè non procedit, aliàs Judæi Chriſto hoc etiam opponere potuiſſent, præſertim cum eſſet in loco, ubi nulla miracula facere poterat, uti ſcriptura loquitur, Marc. VI. v. 5. propter incredulitatem inhabitantium. Multi deſudarunt in rationibus proferendis,

rendis, qua ratione hic ſanguis fluat, ſed rectiſſimè reſpondit Dn. Sam. Pomarius de Conſenſ. & diſſenſ. Corp. nat. diſput. 10. t. 13. Brevi temporis ſpatio ſpiritus in occiſo corpore durant, ſtatimque exſpirant. Nec ullum in defuncto principium movens amplius, quod eos perturbet: neque ulla amplius anima, nec facultas animæ cognoſcens, aut appetens præſtò eſt, quæ ſentiat homicidam adſtantem aut odio in eum abripiatur. De imaginatione occiſoris quod dicunt, ea tanta eſſe non poteſt, ut in alienum corpus jus ſibi ſumat, quo cum imprimis nulla vaſorum communione conjunctum eſt. Ex quo certè patet, nullo naturali modo ſanguinem poſt dies aliqvot flüere poſſe, ſed præternaturaliter. Nam anima actionum princeps è corpore diſceſſit, Spiritus animæ inſtrumentum deſunt, Natura eſt deſtructa, quomodo ergo agere poteſt? Sanguinis Circulatio ſubſtitit, illo nempe coagulato & in grumos concreſcente, præternaturale igitur principium ut adſit, quod ſanguinem iterum in motum redigat, neceſſe eſt, & quidem in inſtanti eo ipſo tempore, quando mortuus tangitur, ut in noſtro caſu, vel eo ipſo momento, quando in eum finem adducitur reus, quæ diſtinctio omne dubium tollit. Sed ut ad caſum noſtrum propoſitum, cujus gratia hæc ſcribo, & ad quem reſolvendum calamum ſtrinxi, hæc applicem, defunctus noſter jam quinto poſt mortem die tactus eſt, hic fame & ſiti mortuus & exinde fermè exanguis ſanguinem ſtillat, cujus os ſatis poſt mortem elotum, demiſſa maxilla ſupinans, ut coacti ſint iterum comprimere os, cum tamen ne guttula ſanguinis fluxerit ex motu et compresſione; e contrario ſimul ac ad mentum venefica, ut creditur, digitos applicat, ecce! ſanguis non ex ore, ſed è labiis promanat. Videntes reliqui miraculoſum hunc actum obſtupuerunt, interim tamen quispiam ex numero adſtantium amicorum magno conatu idem tentavit, utrum etiam vel vi posſit exprimere ſanguinem ex ore demortui, ſed fruſtra. Idcirco præternaturaliter ex hoc defuncto ſanguinem fluxiſſe judico, quod ratione officii ex me quæſitum erat. Sed hucusque Medicus. Jam porrò quæritur: An hic fluxus ſanguinis præternaturalis, ſit vel à Deo vel à Diabolo? quæ quæſtio quidem ad Theologos ſpectat, interim tamen quid in hac re ſentiam, ingenuè, citra tamen ullius præjudicium, profitebor. Bœkelius Diſquiſit. Sexta N. V. poſtquam diu diſputaſſet, an naturaliter fiat, tandem concludit: Quæ poſt longum tempus fiunt (nempe fluxiones) non ſecundum naturam, verum aut ex arcano Dei judicio, aut maxime faſcinatione & illuſione Diaboli fieri, qui malus genius cædem cæde ſeriò cumulare ſtudet. Ve-

rùm

rùm omnia ab Autoribus conſcripta exempla contrarium monſtrant, non à malo Genio, ſed à Deô vindictam oſtendente effectum eſſe productum, & reos non innocenter, ſed ex propria poſtea confeſſione meritò pœnam luiſſe. Sed ut ad propoſitum caſum veniam, dico, judicium hic non illegitimè, ſed extraordinariè eſſe habitum, judex ordinarius permittit, ut adeant cadaver, & cum ejus conſenſu actio hæc facta, utraque pars compromittit, præſentibus ſeptem teſtibus, ad Deum Præſidem hujus judicii & ſummum judicem appellatur, qvemadmodum olim in caſu dubio Saul ad Deum provocabat 1. Reg. XIV. HErr ſchaffe recht/ ubi ſorte Jonathan manifeſtabatur. Sic hoc loco, miraculoſo fluxu ſanguinis rea manifeſtatur, quæ idcircò & rectè carceri includebatur. Deus in his terris judicium exercet, non diabolus, mihi Rom. XII. verſ. 19. competit, inquit Deus, non diabolo, vindicta, neqve unquam permittet, in re tam ſeria, ut Diabolus judex ſit. Et hoc judicium ſemper vocatum eſt das Baarrecht/ quaſi das wahre Recht/ in quo nullum dubium, dicente Pfizero, de judic. vuln. Cap. 12. ubi aliquot Autores citat. Ab hac experientia non eſſe recedendum Paris de Puteo Cap. Mandavit in fin. Blanc. de judiciis N. 408. Zachias quæſt. Medic. legal. lib. V. tit. 2. quæſt. 8. N. XI. dicit: Eſſe vel mille Autores, qui hiſtorias in hanc rem afferunt, quarum frequentia res probata eſt, citatque ibidem viginti Autores, aſſeritque, hanc fuiſſe olim communem Doctorum ſententiam, judicium hoc ſufficiens eſſe ad torturam, de quo iterum citat viginti Autores, ideoque ex facili videre eſt, ſententiam meam non eſſe novam, ſed recoctam jam verò communis ſententia Doctorum eſt contraria, cui & facilè calculum meum adderem, ſi modò non dicam mille, ſed duo tantum exempla in contrarium in tali caſu afferri poſſent, ubi ſtatu rectè formato, Rei innocentes ad torturam & ſupplicium ſint deducti, ex hoc miraculoſo fluxu, digito quaſi reum monſtrante. Dixi digito monſtrante. Habet enim Harsdörffer in Theatro crudelium Homicidiorum part. 6. exemplum, ubi duo Nobiles occiſores ad occiſum deducti, ad primi introitum è vulnere ſanguis copioſè emanavit, ſed cum alter adduceretur, occiſus planè manum ſuam non tantùm vulneri impoſuit, ſed eadem homicidam monſtravit, ſeu manum ad eum direxit. Amboque meritam pœnam ſuſtinuerunt. Secundum hodiernam communem ſententiam ne quidem tortura ipſis addicta fuiſſet. Inde fieri poteſt, ut vindicta divina reddatur illuſoria. Imò melius eſſet per legem aliqvam hoc extraordinarium judicium abrogare, quàm Numen divinum in vindictæ ſignum implorare, & poſtea

dato

dato ſigno non ad ulteriùs procedendum illo uti, quid quæſo hoc aliud eſt, quam illudere divinam Majeſtatem. Ad Judæos olim dixit Chriſtus, ſi non ſigna & miracula videatis, non creditis; jam dicere poſſem; etiamſi ſigna & miracula videatis, non tamen creditis. Zachias equidem citato loco negat hæc miraculosè fieri, ſed argumenta ipſius ſunt nullius momenti. Nam dicit, miracula tantùm fieri propter fidei corroborationem; hoc falſum eſt, etiam ad demonſtrandam iram ſuam, tam in veteri, quàm Novo Teſtamento Deum miracula edidiſſe, exempla adſunt, imò ad declarandam Majeſtatem, honorem, juſtitiam, ad conſervandos inopes. Secundò dicit, quæcunque ad voluntatem noſtram Deus clariſſimè oſtendit, non ſunt miracula, quia Deus eſt liberum agens,& non coactè agit.Hæc non cohærent,Deus ad petitum Joſuæ ſolem fecit ſtare,reliqua non ſunt digna, quæ refutentur,præſertim cum Dominus diſſentiens non ſtatuat niſi ex accidẽte hæc fieri,quod falſum,caput illud facetiis concludens.Idcircò primùm à medico caſus talis diligenter & plenariè eſt explorandus,utrũ fluxus fuerit præternaturalis nec ne,ſi præternaturalis, ad Theologum quæſtio devoluenda, utrum hic non ſubſit ſupernaturalis quædam cauſa à Deo vindictam poſtulante, nam in quem finem fluit hic ſanguis præternaturaliter, dato fine, nempe adeſſe ſignum ad vindictam. Tunc demum tertiò & ultimò ad Ictum quæſtio pervenit, quo pœnæ genere demum vindicta ſit perſequenda, ſed quoniam hoc ad forum meum non pertinet, determinationem pœnæ Ictis relinquo. Id tamen è ſententia Excellentiſſ. Ictorum addo, ne reſolutio quæſtionis propoſitæ manca ſit, incumbere judici in dictandâ torturâ, quàm maxime arbitrari, num indicia ad torturam ſint veriſimilia, & reum reddant ſuſpectum L. 1. §. 1. & 4. ff. de quæſt. L. 18. §. 2. ff. eod. L. milites 8. ∫. c. eodem. Guido de Suzaria Tractat. de Indic. & Tortur. N. 28. aſt quid magis reum reddit ſuſpectum,quàm quando Reus tangit cadaver, & quaſi quærit, & cadaver reſpondet eo momento fluxu ſanguinis? quid veriſimilius, nullam aliam ob cauſam ſtillare ſanguinem, niſi in ſignum & indicium illius, de quo quæritur, aut reddenda ratio, cur alias fluat; etſi judicis miraculoſa hæc fluxio tranſcendat intellectum, non tamen ſignum & ſignatum ſunt ſupra ſphæram prudentiæ humanæ, quam colligere poteſt ex ſimilitudine plurium exemplorum, quæ anteà contigerunt, ubi ſæpiſſimè per hoc indicium ſeſe prodidit Nemeſis divina. De vita hominis cæde ablata omninò hic eſt res, Deus indicia & probationes luce meridiana clariores ad vindictam oſtendit, quæ ſi negligantur, ſanguis occiſi non ceſſat ad cœlum cla-

mare de vindicta. Et talia indicia ſat ſpecialiter olim ſunt notata, ita, ut ab hâc experientiâ temerè non ſit recedendum. Paris de Puteo cap. Mandavit in fin. Blanc. de Judic. N. 408, imò communi Doctorum ſententia olim comprobata eſt. Zachias lib. V. tit. 2. quæſt. 8. N. XI. Adde quod tota Provincia, in qua talis caſus miraculoſus contigit, credat, eundem â Deo in vindictam contigiſſe, Plurimorum autem credulitas vehemens habetur pro certitudine Blanc. in l. 2. §. quod obſervat in 3. nota 6. Cap. de Jurament. Calumn. Imo probatio, quæ fit per realem præſentiam ipſamque inſpectionem, dicitur fortis, & fortior eſt de mundo, prout loquuntur n. 3. D. D. in lit. jurand. Dominic. Cardinal. Tuſch. Concluſ. practicar. 776. lit. P. & tollit omnem præſumtionem in contrarium Bl. in l. contra neg. in fin. C. ad L. Aquil. Alexand. lib. 4. Conſil. 63. Num. 21. undè maximè ad torturam indicium facere, eliciunt Dd. Petr. Duennas. Regul. Fallent. Reg. 573. & multi alii, quos citat Bœkel. diſquiſ. 6. N. 5. Alii hoc indicium quidem admittunt, ſed tantùm ut adminiculum cum aliis, ut inde tortura dictetur. Matth. Stephan. in Cent. quæſt. Juris ad Inſtitut. Centur. 4. quæſt. 17. Heig. quæſt. 39. part. 2. N. 104. rationem addunt, quia fit modo præternaturali, qui aliquid divini operis exhibet. Citante Oldekop Obſerv. Crimin. Verùm adminiculum hoc vel eſt naturale vel præternaturale, & tunc vel divinum vel diabolicum. Ex naturali fluxu ſanguinis nihil concludi poteſt, ſi eſſet à Diabolo hoc indicium, nemo in adminiculum vocaret. Ergo tanquam à Deo factum hoc indicium, in adminiculum accipitur. Si autem eſt divinum & à Deo profectum indicium, ſolum ſufficit, nec eget aliis probabilibus & veriſimilibus. Sed nemini hic dicam ſcribo aut litem moveo, anſam tantùm ſubminiſtro, ulterius in illam rem inquirendi. Optimè equidem ſcio, Deum nos non miraculis, ſed ſacris Bibliis aſtrinxiſſe, quemadmodum videre eſt Deut. Cap. XXI. ubi caſus ejusdem furfuris proponitur, nec tamen quicquam ibidem de ſignis & miraculis proponitur, ergò talia nullo modo ſunt poſcenda. Aſt Deus, qui nullis legibus aſtrictus eſt. qui Dominus Sabbathi, & legum meritò audit & liberrimum agens eſt, quando ille miraculoſè aliquid facit, quomodo in tali caſu te geras oportet, & quid faciendum, ubi manum ipſius miraculoſam oppidò vides, meritò eſt diſcutiendum. Finito hoc meo judicio, ecce Nobilis de Lochſtet ad me accedit, refert que Academiam Grypsvvaldenſem ex transmiſſis Actis famoſæ huic mulieri torturam addixiſſe, imprimis cum hoc ſimul acceſſerit, aliam Veneficam, rogo combuſtam & præſentem mulierem veneficii arguiſſe

guiſſe, & inſuper æditumm ex ipſius prædictione contabuiſſe, & mortuum: Cum itaque pollicibus tantùm inſtrumenta adaptarent, Veneficam mox omnia confeſſam eſſe atque quamprimum rogum expectare. Sed hoc notatu dignum eſt, quoniam bis corpus tetigit, cur prima vice ſanguis non effluxerit. Ad hanc quæſtionem reſpondit, ſe primâ vice vocem warhafftig omiſiſſe, ſed cum juramentum hoc acceſſiſſet ex neceſſitate ſanguinem fluxiſſe. Incidit mihi hiſtoria Regis Ahab 3. Reg. Cap. 21. v. 16. & 17. Prophetam Micham non niſi accedente juramento verùm dixiſſe.

OBSERVATIO. CXII.

Dn. D. DANIELIS CRUGERI.

De Sole ſine veſte,

SOlem veſte exuere multi anniſi ſunt, quemadmodum non pridem J. C. O. aliquot experimenta in medium attulit; verùm poſtea Apelles aliquis poſt tabulam maculas in Sole ſine veſte obſervavit, & autorem prædictum ſolem veſte non privaſſe demonſtravit, imò Chriſtoph Grummet plane impoſſibilitatem hujus artificii aſſeruit; D. D. Ettmullerus equidem poſſibilitatem concedit, ſed non cuivis licitum eſſe adire Corinthum addidit, duo autem Paracelſi requiſita veræ tincturæ auri proponit. 1. Solem ita volatiliſatum eſſe debere ut nunqvam reduci poſſit. (2.) Volatiliſatum hunc ſolem cum Spiritu vini extrahendum eſſe & mutandum in Aurum Potabile; verum licet aurum non ſit volatiliſatum, tamen ita deſtrui & principia ejus ſegregari poſſe ipſemet expertus ſum, ut tamen Tinctura ex illo haberi poſſit. Itaqve ſeqvens tale aurum potabile, vel ſolem ſine veſte propono, ubi nunqvam corpus in Solem iterum reduci poteſt, extracta nempe anima. Sed loquar verbis Autorum clariſſimorum, ut doctis pateat hæc deſcriptio, ſumpſi itaque Regem pondere ℥ii. mundum martialem de monte Snyders ʒi.

Liquavi in ♁, poſtea contudi in mortario in pulverem, Rex qui antea contumax erat, jam piſtillo ceſſit. Notandum, me in liquatione hac 14 grana de mundo perdidiſſe.

1. Pulverem hunc miſcui cum ℥iii. ignis Gehennæ Glauberi, quem ita paravi:

℞ Trini Tackii ʒVI.
Suratrat Paracelſi ℥iiii.
Theion Græcorum ℥ii. Miſc. F. Pulvis.

3. Poſtquam pulverem regis cum ℥iii. prædicti pulveris miſcuiſſem, per vices in crucibulo ignito ℥i. cum fulmine injeci, finita injectione, aliquantulum in igne permanſerunt; eundem cum piſtillo agitavi & ita maſſam ignitam in calidum mortarium marmoreum ſeu lapideum conjeci, & piſtillo lapideo optimé in pulverem contrivi, ſuper pulverem hunc calidiſſimum Spiritum vini rectificatum calidum fudi & contrivi & ecce in momento Spiritus tinctus eſt, hanc vero mixturam per aliqvot dies in vitro Sigillato ſuper fornacem poſui & tinctura rubicunda ſaturatior indies apparuit.

Scio optimè hanc tincturam non eſſe ex ſolo auro ſed & cæterorum immixtorum maſſa, verum tamen hac ratione ſol veſte eſt nudatus, nimirum ſumpſi maſſam ex qua tincturam extraxi & cum Antimonio, Nitro & Tartaro miſcui & in regulum detonavi & ecce acquiſivi fixum metallum album inſtar argenti omni colore deſtitutum, quod folli non ceſſit neque imminutum eſt, poſtquam ab adjuncto regulo folle fabrorum liberatum erat; ſed tamen porro tentare volui, an omne aurum deſtructum, idcircò corpori huic albo ℈vii pondere, quod jam per tres horas folle fabrorum ſine diminutione ponderis exercueram, adjeci in fluxu, ſenſim pulverem nitri, & ecce in auras evolavit hæc alba mercurialis auri pars, relicto ℈j pondere auro, quod non ſatis deſtructum erat. Hæc Auri Tinctura mixta exquiſitam habet operationem & per urinam ex hypochondriis & renibus feculenta excrementa mirè pellit ſecus ac ſola tinctura tartari aut nitri, aut Antimonii. Nam Sol aliis ſalibus maritatus mira præſtat, ſecus ac ſi ſola ejus tinctura exhiberetur, hoc per inductionem patet in Auro fulminante & Tinctura Glauberi, quam D. Ettmüllerus in Conſultationibus de nephritide proponit & ego nuper cum collegio noſtro communicavi, verum ut tincturam à ſalibus nudam proponerem, proceſſum redintegravi & de novo novum Regem & regulum pulvere Glauberiano prædicto detonavi, aſt cum hoc diſcrimine, ſuper pulverem detonatum non fudi Spiritum Vini. et tincturam extraxi, ſed ſolam aquam communem unde fit lixivium aureum quæ & aurum & ſalia ſimul diſſolvit, filtravi hanc ſolutionem, & Sol ſimul per filtrum tranſiit, hanc aquam filtratam præcipitavi aceto & ecce pulvis purpureus Auri fundum petiit, Pulverem hunc Spir. Vini. diſſolvere ſeu tincturam extrahere conatus ſum, ſed fruſtra, neque cum Spir. Vini. Tartari ſato, neque cum Spir. Vini igneo. Idcircò ne in vanum laboraſſem, alia via rem tentavi, nam ex prædicto proceſſu mihi conſtabat Aurum jam ita eſſe præparatum ut tincturam dimitteret, ideo cum tribus

Salibus

Salibus Zvvelfferi contrivi pulverem purpureum, imo ſimul in igne cum ſalibus pulverem hunc liquavi & iterum contrivi & ecce cum Spir. vini. rectificato tincturam auri optimam flavam & ſinceram nactus ſum. Hoc tantum adhuc moneo quod & ſuperius innui, ſolam hanc tincturam Sol. ſenſibilem effectum non præſtare, niſi forſan quis dicat naturam confortare, & per inſenſibilem tranſpirationem morbum expellere. Attamen experiri volui & dedi quibusdam anxietate cordis laborantibus gt., XV. & ecce per ſudorem reſoluto morbo liberati ſunt. Verum quantam utilitatem in Alchymia afferat veſtis ſolis, illi norunt qui Baſilium ex aſſe legerunt, idcircò magis vilibet de eo ſit ſolicitus; præſertim cum Geber Arabs lib fornacum cap. 18. expreſſè dicat: Et ex hoc magnum Secretum tibi elicias, quod ipſe Mercurius atque Sulphur extrahi poſſunt tam ê perfectis quam imperfectis corporibus, itaque in ſecreta hæc ut inquirant qui Alchimiæ litant, neceſſe eſt.

OBSERVATIO CXIII.

D. D. DANIELIS CRUGERI

De Doloribus lumborum intolerabilibus.

VIr de dicaſterio noſtro bene meritus, Dominus Conſiliarius Haberſack intenſisſimo aliquando lumborum dolore correptus, atque cruciatus fuit, ut ferme neque tusſire neque alvum deponere neque ſomnum capere, potuerit; varia proinde à me & aliis præſcripta & in uſum ſunt revocata, ſed fruſtra; tandem in utroque latere appoſui veſicatorium palmi magnitudine, & finita veſicatoriorum operatione & morbus ſublatus eſt, atque ſic dolor dolore curatus.

OBSERVATIO CXIV.

D. D. DANIELIS CRUGERI

De Lacte poſt quatuor ſeptimanas revocato

MAtrona quædam lactationem nutrici commiſit atque animum lactandi jam abjecerat, verum poſt quatuor ſeptimanas nutrix clam ſe ſubducebat, idcirco matrona prædicta neceſſitate coacta iterum lactationem tentat, & ecce natura neceſſitati miniſtrabat iterumque lac ad mammas demandabat, quod antea ob omnibus pro imposſibili habitum; ex hoc exemplo liquet etiam poſt quatuor ſeptimanus lac iterum ad mammas revocari poſſe ſine damno infantis.

OBSERVATIO CXV.

D. D. DAN. CRUGERI

De Iſchuria Oleo Scorpionnm ex errore ſumpto curata

INfanti ſex menſium ordinaveram ad ſuppreſſionem urinæ varia remedia, & externè ſequens oleum: ℞ Ol. Scorpionum Simpl. ℥j Ol. d. Succini, juniperi, Chærefol. â ℈ß miſc. & quoniam etiam tuſſi laborabat, præſcripſi Ol. amygd. dulc. cum ſpermate ceti & ſacharo. Verum ex errore mater ad tuſſim cochlear de Ol. ſcorpionum mixto infanti porrigit & ecce ex felici hoc errore & alvus ſoluta & urina revocata; non modo ſine infantis detrimento ſed potius cum commodo.

OBSERVATIO CXVI.

Dn. DANIELIS GRUGERI

De Calculi Renum comminutione.

QUæſtio inter eruditos agitatur: utrum calculus comminui poſſit? Potiſſima ratio negantium ſat valida eſt, non dari liquorem, in quem Lapis ſeu calculus humanus injectus extra corpus ſolvatur, et ſi daretur, talis liquor tamen in ventriculo, et reliquis viis ita alteratur, & novam acquirit naturam ſeu texturam, ut vim diffringendi calculum exuat; verùm primò conſiderandum, omnem calculum eſſe concretum terreo- Salinum, ubi Salſa principia cum terreſtribus particulis firmisſimo nexu juncta ſunt; Si itaque ſal hoc poteſt ſolvi, terreſtres particulæ â compage et nexu liberantur, & ſic calculus ſenſim, ex affluxu humoris, in quo hoc ſal liqueſcit, indies minor fit, ita ut tandem nucleus excernatur, nec neceſſe eſt ut liquor acris & corroſivus ſit, imò hoc dulce ſal in aniſo contentum, facere poteſt, Chærefolium inſuper & petroſelinum acrimoniâ deſtituuntur. Quale ſal igitur huic calculoſo ſali contrarium ſit, per experientiam colligere neceſſe eſt.

Nam & ſuccus citri acidus & Sal oculorum cancri alcalinum, in nephritide conferunt, ſed etiam in corpore accedit calor et forma agens, ut ſalia longe aliter ſe aggrediantur quam ſi extra corpus Lapis ſeu calculus liquori infundatur; ſecundo experientia quotidiana ſententiam prædictam refutat, quod meo exemplo teſtari poſſum, qui prægrandem calculum per duos menſes in rene dextro cum dolore gravativo moleſto & renis prædicti intumeſcentiâ tactu animadverti, & deprehendi,

di, & ſanguinem ſingulis diebus domum reverſus cum animi mœrore in urinâ conſpexi, præſertim poſt celeriorem & concitatiorem greſſum, nihilque certius augurari potui quàm ulcus renum, & exinde febrem hecticam, & tandem mortem. Verum alma Dei miſericordia medicamentis ita benedixit ut conſtanti & pertinaci eorum uſu calculus diminutus, ſine magno dolore octavo iduum Junii cum multis arenulis prodierit. Sit Deo laus & gratiarum actio in ſempiterna ſecula.

Medicamenta quibus uſus luculento cum commodo, ſequentia fuerunt, nam multa ab Autoribus proponuntur quæ parum calculum attingunt, ſedulò enim urinam excepi effectum medicamentorum aſſumptorum experturus, à ſequentibus igitur ſemper animadverti arenulas prodiiſſe, quando autem nullis medicamentis uſus ſum, nullum etiam ſabulum conſpiciebatur, manifeſtâ demonſtratione â medicamentis aſſumtis arenulas iſtas â peripheria calculi eſſe emollitas, & deterſas, ita ut ex quantitate arenularum colligere poſſem, calculum prædictum ad minimum ovi columbini magnitudinem æquaſſe: Nam Calculi quidam ſunt quaſi extemporanei & momentanei, qui etiam ex unico hauſtu cereviſiæ non benè defecatæ, vel aceſcentis ortum trahere poſſunt, qui etiam vel ſponte vel levi adhibito medicamento exturbantur, quidam ſenſim incrementum ſumunt & forſan renibus impacti, vel quovis modo adhærent, quemadmodum â lithotomis quibusdam percepi, calculum veſicæ ſæpe tam firmiter veſicæ annexum, ut prius ſeparatio quam extractio molienda; ſed liberum de hoc cuilibet relinquo judicium. Sufficit me non prius calculum animadvertiſſe dum ſanguinem in urinâ viderem, & renem tumidum tangerem, magnamque quantitatem arenularum ſenſim attriviſſe, & tandem nucleum ipſum accepiſſe, hoc excreto ne minimùm Sabuli neque ſanguinis, inveniſſe. Sed ut in Solatium confratrum meorum medicamenta mea proponam, primò molitorem meum conſuetum & ſæpius dictum adhibui. ℞ baccar. Alkekengi ℥ij. contunde in mortario, affunde vini Francici & aquæ. Fragor. â ℔ j. contunde in mortario ut arilli quaſi in pulverem abeant, exprimantur, adde rob. cynosbat, Syrup. Fragor â ℥j. Spir. Sal gt XXX. d.ſ. Steintranck de quo ℥iiii. vel v. manè & horâ V. pomeridianâ hauſi, ſemper ſubtilisſimâ arenulâ, parvâ quidem quantitate prodeunte, & verum eſſe deprehendi quod Zacutus Luſitanus dicit; Baccæ alkekengi ita atterunt calculum ut manibus colligi poſſit; verum ego nauſeabundus aliquando mutavi medicamenta & aſſumpſi pulverem ſequentem, quem Excell: Borrichius in Actis

Medi-

Medicis Bartholini proponit & Calculum revera eo ipſo contrivit: ℞. pulv, Lapid. lyncis, Judaic; Cryſtall foſſil. præparat ocul. 69. præpar. ana ʒj divid. in 4. part. æqual S. Vier Stein-Pulver cum aqua fragor. ſumpſi & iterum veritatem Borrichii deprehendi & arenulas conſpexi. Aliquando in uſum traxi ſolos oculos cancri quorum ʒj cum aquæ naſturtij è ſucco deſtillatæ ℥jß. exhauſi & quidem cum fructu, iterum enim arenulæ ſubſiderunt; nam aqua naſturtii à Wirſungio & Grülingio valdè laudantur, ſic enim Grülingins: Scio multos ejus uſu à calculo ejuſque doloribus eſſe liberatos p. 32. in tractat. de Calcul. magnam etiam efficaciam deprehendi in Semine Dauci cretici & D. Boyle adſtipulor qui in exper: Phil. aliquot proponit exempla de calculo per ſolum Semen Dauci diſſoluto; hoc etiam ultimò uſurpavi cum jam calculus meus ingreſſum in ureteres tentaret & ibi hæreret, nam avidè ʒi. cum cereviſiâ calidâ deglutivi & alacrem egreſſum ad veſicam ſenſi. Neque hoc reticendum me ſimul ſingulis diebus horâ unâ ante prandium ſequens juſculum efficacis ſimum ebibiſſe more eorum qui infuſo Thee delectantur: ℞. herb: chærefol. Petroſelini, aniſi, Paſſular. à mj. coque in aqua, colaturæ calidisſimæ adde vitellum ovi de hoc ſorpſi ℥viii. etiamſi urina ſanguine tincta eſſet, non timui medicamentorum diurecticorum uſum, nam ex attritione calculi Sanguis tantum de die egrediebatur; noctu nequaquam; de chærefolio etiam Sennertus dicit dum de diæta in principio aliquid affert. Chærefolium eſt ſingulare calculi remedium. Sed & ſequentem potum etiam ſemel probare volui & effectus non fuit inanis. ℞ radic pimpinell. Bardan. à ℥ii. herb hæder terreſtr. herniar. Chærefol. betonic. à mi. cicer: rubr: ℥iii. Semin. anis. ℥ß. radic. Glyzyrrh. ʒvi. bacc. junip. ℥iii. coque in aqua ℔ VI. Colatur. ℔III. de qua ſumantur ℥IIII. Hæc ſunt quæ cum fructu à me uſurpata ſunt, & aliis ſincerè commendo. Comminuto & excreto hoc meo calculo, neque Sabulum neque urinam ſanguine tinctam ulterius conſpexi. Tantæ molis erat lapidem diſſolvere renum.

OBSERVATIO CXVII.

Dn. D. DANIELIS GRUGERI

De Cuneo metallico & ſaxeo

CErauniam, ſpatulam metallicam ℥XI. pondere Anno 4. Decuriæ ſecundæ p. 213. nobis delineavit atque ex India Orientali tranſmiſit

miſit Dn. G. E. Rumphius, Illuſtr: Societ. Jnd: or: in Inſula Moluccarum Ambo,na apud Belgas Senator. Sed incredulos auditores Illuſt. Dn. Doct: Chriſtianus Menzelius aulæ Berolinenſis Machaon invenit, utpote qui potius conſultis meteoris metallicis in rotundam formam redactis contenti ſunt. Attamen hâc vice oculari inſpectione confirmo & tranſmitto cuneũ ceraunium mineralem ſeu potius ejus delineationem; ipſum cuneum pluribus Conſiliariis Dicaſterii noſtri conſpiciendum exhibui; accepi autem cuneum iſtum â Præfecto Supremo nemorum Sereniſſim: Elect: Brandenb: Dn. â Schwerin qui eum effodi curavit ẽ queren fulmine percuſſa, fiſſa & hiulca, pondus ipſius cunei unciarum undecim exactè erat quemadmodum & ſpathula Rumphij, uti ipſum exactè ponderavit Conſiliarius Regiminis Electoral. Dn: de Ramel, Striis aureis inſtar antimonii ſplendebat Cuneus noſter fulmineus, cujus fabrica & ſubſtantia eſt concentrata igne fulmineo ẽ particulis metallicis ſaxeisque in nubes ſublatis. Ideoque per illud quod manus noſtræ & plurimorum tetigerunt, increduli illi ad meliorem frugi ſunt reducendi.

FIG. IX.

(Miſſæ Grunbergâ Berolinum, ad Excell. Dn. D. Mentzelium hinc Norinbergam, Menſe Decembris. 1699.)

OBSERVATIO CXVIII.

DN. D. LUCÆ SCHRÖCKII,

De Ligno fagino figurato.

CUm Anno 1698. d. 23. Decembr. Civis & hortulanus noſtras ligna fagina per mercenarium pro uſu domeſtico findere curaſſet, in diſciſſo eorum aliquo crucis cum litera H. ſubtusque trium clavorum figura comparuit. (Vid Fig. X.) Cujus videndi cauſa magnus civium & inquilinorum concurſus factus eſt, qui diverſas de eo in ſententias abierunt, quibusdam inprimis miraculoſum quid æſtimantibus, aliis per impoſturam id modò eſſe figuratum credentibus. Augebatur paulò poſt admiratio, cum in ædibus cujusdam Canonici aliud talismodi arboris lignum, pariter diſciſſum figuram corollæ precatoriæ exhiberet globulorum tamen numero denario minus rectè ſe habente. Anno etiam 1697. Memmingæ in ædibus Exc. Dn. D. Benedicti Hermanni, Phy-

ſici ibidem meritiſſimi, cujus obſervationes in Dec. 2. Ephem. noſtr. Ann. 3. 4. & 5. leguntur, ſimile lignum fiſſum crucis imaginem cum inæquali linea, icunculam hominis adſtantis rudi[illegible]er præſentante &c. (vid. Fig. XI.) oſtendit.

FIG. X. & XI.

SCHOLIUM.

Uti Fagus, arbor procera & ramoſa, ad arcendos ſolis ardores diffusâ umbrâ ſuâ paſtoribus inprimis grata ſemper fuit & expetita, atque Virgilianus hinc Melibœus ſic primam Eclogam exorſus:

Tityre tu patulæ recubans ſub tegmine fagi:

Ita temporis fallendi gratiâ otioſas horum manus cortici ejusdem, ob lævorem ſuum maximè adcommodato, varia incidere conſueviſſe conſtat; unde idem *Virgilius* in *Ecloga* 5. canit:

Imò hæc in viridi nuper quæ cortice fagi
Carmina deſcripſi.

Sic agreſtis ruſticorum Muſa & plusquam ſimplex devotio etiamnum ſimile quid moliri, dum otio indulget, craſſâ manu conſuevit. Cum verò arborum augmentum externè ſuccedat, *novis ſingulo anno*, ut verbis celeberr. *D. Marcelli Malpighii Anat. plantar.* utar, *additis fibrarum involucris, quæ horizontalibus utriculorum ſeriebus implicita ſenſim ſoliditatem nanciſcentia, tandem veri ligni obtinent ſubſtantiam &c.* Non mirum, temporis diuturnitate & plurium corticum adcretione figuras arbori teneriori inciſas, tandem circa ejusdem annoſæ factæ medium comparere. Confer. *Ephem. harum Dec. 1. Ann. 5. Obſ. 4. & D. Thomæ Bartholini centur. 6. Obſ. anat. & med. 9.*

OBSERVATIO CIX.

DN. D. JOHANNIS HENRICI STARCKII,


De Piſce hermaphrodita.

IN Piſcium etiam genere Hermaphroditas dari aliquando, non alienum à vero videtur. Hic enim Regiomonti, anno proximè elapſo, mela-

fig. XI.



fig. X. p. 190



BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY

melanurus obſervatus fuit, menſæ Viri literatiſſimi, Dn. Mag. Michaëlis Hoynovii, Rectoris ſcholæ Lœbnicenſis, inter alios ſuæ gentis ſocios majuſculos illatus, qui ab altero latere lactium, ab altero ovorum ſpeciem oſtendebat. Lactes autem maſculinum, ova fœmininum ſexum denotare, notum eſt. Teſtes hujus rei fuerunt multi, quos eo tempore hoſpites ſecum habebat Vir laudatisſimus.

(Regiomonto Auguſtam Vind. d. 15. Januarii A. 1700. miſſa.)

OBSERVATIO. XX.

DN. D. MARTINI SCHURICHII

De Calvo poſt triginta annorum decurſum comato.

VIvit adhuc Civis quidam Dresdenſis annum agens ſexageſimum, cujus caput ad frontem uſque tanta calvities deformabat, ut demto pileo ipſam quaſi pollidam Lunam cerneres, aut ipſum Sileni fraterculum. Hujus uxor ante triennium me conveniens conquerebatur, maritum ſuum aliquot dies in capite depili intolerabilem ſentire pruritum, ut noctes diesque inſomnes tranſigere coactus fuerit, nihil interim puſtularum purpurearum, & exanthematum, & ne macularum quidem in loco affecto comparere. Huic conſilium do, calvitiem & quo uſque pruritus ſe extenderet *Aqua Regina Hungariæ* bis vel ter de die humectaret ac lavaret. Quo facto, quamvis non oppidò remitteret pruritus, poſt aliquot dierum lapſum tamen in calvitio, quod durante per triginta annos matrimonio habuerat, capilli nigri ac criſpi (reliquis minimè criſpis exiſtentibus) hinc inde progerminare cœperunt, ita quidem ut modo pili totius capitis aream contegant ornentq́; & præprimis circa ſuturam coronalem verſus frontem ad digiti longitudinem & ultra incrementum ſumſerint. Non quidem omnis hactenus ceſſavit pruritus, perpetuus tamen non eſt, inſtarque Calendarii aëris tempeſtatum mutationes ipſi indicit.

SCHOLIUM.

In Miraculis mortuorum explicandis olim occupato paradoxon illud placuit: pilos eſſe corporis noſtri vegetabilia (*l. 1. Tit. 1. §. 13 p. 5.*) Nec illud modo diſplicet, cum rei veritatem abundè detectam & evi-

ctam in renovata & aucta tractatus citati editione erudito orbi proponere decreverim. Radices ibidem pilis aſcripſi, cum absque radice vegetabile ſit non ens, quod thema *in de plantis monſtroſis Commentario* occupavi. Radices autem hujusmodi eſſe Bulboſas Microſcopio, quin & acie oculorum exactè adhibitis cognoſcimus. Omnium optimè Bulbuli iſti in affectu capitis tinea (noſtris *der Erbgrind*) in conſpectum veniunt. Non etenim putrilagineum quid eſt, quod intra cutem deliteſcenti capilli parti adhæret, ſed bulbulus, è quo nutrimentum ſuum haurit microcoſmicum illud vegetabile. Dilatatis igitur cutis à putrida lympha poris, corruptisque bulbulos firmantibus fibrillis facilè, & non raro ſine dolore, extrahuntur cum bulbulis capilli, bulbulique à materia putrida abſorpta tumidi oculis non armatis ſenſibiles apparent. Bulbulis his corruptis capilli decidunt, depilique nuditate capitis Sphæram fœdant, ut *cum Eumolpo ap. Petronium* (*in Satyric. p. m. 137.*) næniam dicere ovo nudior cogatur:

Quod ſolum formæ decus eſt, cecidere Capilli,
Vernantesque comas triſtis abegit hyems.
Nunc umbra nudata ſua jam tempora mœrent,
Areaque attritis ridet aduſta pilis.

Bulbuli hi textura ſua amiſſa, putrore abſumti an regenerentur? ſi ſciſcitaberis, problema curioſum curioſis naturæ Ruſpatoribus ſiſtes. Affirmativæ inſigne pondus Hiſtoria (*Vah quam chari Capitis*) *Schurichii mei* addere videtur. Bulbulos per triginta annos incorruptos absque pilorum germinatione ſub & in cute deliteſcere potuiſſe nemo facilè arbitrabitur. Quod ſi corrupti? unde capillorum nova fœtura. An ut herbæ & alia vegetabilia è putri? An absque ſemine, ut variarum herbarum proventus à veteribus ſomniatus? Neutrum ſanè, cum utrumque Naturæ Sphæram & vires excedat.

§. 4. Natura hic per Naturam explicanda. In viſibile oculorum radii vibrandi, ut exin quod in inviſibili latet, pateat. Bulbi in plantis bulbulos excludunt novellos, ſibique annatos habent. Ex inviſibilibus viſibiles emergunt, certoque temporis ſpatio majoribus, ut fœtus matribus, junguntur. Hi ſi grandiores fœtus à matrum lateribus divellantur, (annorum & ætatis computum difficulter ineas, nec decernas) primo anno modo unum, ut plurimum verò duo foliola proturdunt, quibus adauctis poſt unius vel alterius anni decurſum flores ſuccedunt,

dunt. Annorum igitur aliquot numero ad bulbi floridi incrementum opus eſt. Quod ſi matris lateri adhuc adhæreat bulbus accreſcente, & in flores ſurgente bulbo novo, decreſcit annoſus, tandemque tabidus muceſcit. Inde fit ut quovis triennio aut quadriennio ineunte Autumno bulbi è terra ab hortulanis eruantur, à bulbis majoribus minores ſeparentur, & menſe exacto iterum magnæ Matris gremio committantur.

§. 5. Idem fatum manere bulbulos pilorum cutaneos forſan non vana conjectura teneor. Quod vero hi ad perfectionem obtinendam longius requirant tempus præ floridis, extra omnem dubitationis aleam ponendum cenſeo. Sunt, qui fœtu in utero matris adhuc concluſo, pilos emittunt bulbuli; ſunt qui extra uterum conſtituto protinus, ſunt qui tardius, v. g. poſt viginti annos juvenili effloreſcente barbitio, aut etiam poſt quadraginta aut quinquaginta annos, quales in mulieribus, quibus myſtax non raró prolixus, aut etiam barba primò intuitu ſexum facit dubium, riſumque ſuperciliofis & Empæctis, Italis verò delicatis metum, qui tales ominoſas utpote, eminus ſalutandas præcipiunt (*Vid Hadr. Jum. Comm, d Coma c. 2. p. m. 332*) movet. Inde pilorum in congenitos & poſtgenitos emerſit differentia.

§. 6. Quòd poſtgenitorum bulbuli aliquot à nativitate hominis annis demum generentur, falſa hypotheſis eſt. Omnes namque ſimul oriuntur, quamvis quidam in gradu perfectiore, v. g. qui fœtu in utero adhuc exiſtente etiam articuli aliquando longitudine foras prorumpunt, quidam imperfectiores, adeoque & tardioris eruptionis Ita dentatos quoſdam natos legimus, qui & dentatorum cognomen inde apud Romanos, ut *Marcus Curtius*, & *Cneus Papirius Carbo*, receperunt. *Th. Kerkringio* oblatus eſt quinque menſium fœtus, in quo dentes bini inciſores maxillæ inferioris adeò nativitatis tempus non expectaverant, ut vel tum erupiſſent, & ſe ſe conſpiciendos clarè præberent, nec in maxilla tantum inferiore apparuit hæc præcox Naturæ ſe armantis maturitas, alias inciſores maxillæ ſuperioris in fœtu enatos vidit; etiam videre contigit pueri mihi ſanguine conjuncti nativitatem, qui pluribus ſeſe inſtruxerat dentibus, antequam hanc vitæ palæſtram, tot fortunæ injuriis exponendus, naſcendo ingrederetur. *Hæc* (*Spici, leg. Obſ anat. 24. p. 60. Ille.* Seminaria dentium in malarum oſſibus (maxillis) latentia conſpexit *Gabr. Fallopius Cl. 1. obſ. anat. c. 14 f. 39. b*) in cavitatibus utriusque maxillæ infantis reperiuntur folliculi quidam membranoſi, in quibus materiam quandam mucoſam cernere licet, quæ paulatim indurata, auctiorque reddita, foras egreditur, & folliculum

gingivasque perforans, evadit candida ſquama inſtar favi tenuis & excavata, *Adrian. Spigel. (l. d. Format. fœt. p. 3. c. 6 p 53.)* annotat. Aliquando formatos dentes præſepiola (*φάτνια Galeno* dicta) continere deprehendi, & *mecum Euſtachius (l. d. Dentibus c 15.) & Realdus Columbus (l. 1. d. Re Anat. c 10. p. 66.)* aliquando eorum tantum rudimenta, quæ *Fallopius & Spigelius* viderunt. Singularis planè & memorabilis eſt *Dn. à Vernay ap. Nic. de Blegny. Zodiac. Gall. Ann. 2. M. Jun. obſ. 11. p. 131.* in puſillis (bimeſtribus & trimeſtribus.) obſervatio. Et hæcipſa cauſa eſt, quod quosdam poſt duos & plures menſes præcoci ortu infantes exagitat ὀδαξισμὸς & ὀδοντοφυία, primo, ſecundo, tertio & quarto demum anno, *De quo B. Præceptor Guerner. Rolfink. (l. 2. diſſertat. Anatom. c. 31 p. 361. ſeq.)* quin & ſeptimo prodiiſſe alibi*(M.N.C. Dec. 2. Ann.* 10. *Obſ. 212. p. 384.)* notavi, mecumque *Excell. Dn. D. Joſephus Lanzonus, Collega honorandus (c. l. Obſ. 53. p. 84)* Non ignoti ſunt dentes ſapientiæ dicti poſt vigeſimum, 30, 40 &c. annum alveolos conſtituentes, & gingivarum fungoſam ſubſtantiam perforando exitum molientes. Exempla in manipulum alio tempore compegi & *(Dec. 1. Ann. 9. & 10. Obſ. 171. p. 388.) Miſcellaneis hiſce* devovi. Dentes hos in calvariis deliteſcentes vidit & demonſtravit olim *(l. 1. d Human. corp. fabric. c. 11. p. 127.) Andr. Veſalius.* §. 7. videat igitur Medicorum praxin exercentium chorus, quo fundamento pharmacon hoc vel illud τριχοποιον probare, & in calvorum ſolatium glabris verticibus applicare ſatagunt, novum prolixumque capillorum proventum ſuſcitaturi. Calvum tondet & vellicat, qui non præſentibus capillorum bulbis id operis molitur. Vana etiam & calva eſt *Marci Antonii Ulmi Philoſophi Patavini (in phyſiolog. Barbæ ſ. 3. p. 257.)* ſententia, qua aſtruit pilos Magiæ naturalis beneficio generari & non generari, eorundem inſuper generationem accelerari & retardari uno ſubſidio Magico-Phyſico, quod evocat ſuis ex principiis barbam quoque in ipſis fœminis, ut aliquæ obtineant barbam omnibus numeris æquipollentem barbæ uirili, eandem prorſus juſta omnes differentias accidentales. Nihil ſatè conferunt pilorum generationi τριχόποια, etiàm Magico-phyſica. Si quid præſtant, eruptioni eorundem, poros deobſtuendo, vernicis glabri cutem duriorem emolliendo, porisque raritudinem & amplitudinem priſtinam reſtituendo, ſaltim velificantur.

§ 8. Unde verò intolerabilis ille in capillitii Arvo pruritus. Si comæ excidium huic ſucceſſiſſet, ad ſal acidum, acre cauſticum & auſterum bulbis pilorum exitiale provocaſſem, niſi pro hujus abſentia inter-

interpellaret ſubſequens læta capillorum meſſis. Gratum verò & acceptum hic obvenit *ingenioſiſſimi & oculatiſſimi Anton. de Leeuvvenhœck* (*Anat. &c. contemplat. Rer. int. part. 2. p. 50.*) elegans obſervatum: ſæpe vidi, *inquit*, quomodo aliquot particulæ crinium, qui de novo protrudebantur, nullamque aperturam in ſuprema cute invenientes, incurvati contra ſupremam cutem jaceant, imò tali modo, ut iidem ſupremam cutem tuberculo quodam erigant. Et novam hanc pilorum protruſionem & regenerationem cumprimis poſt Proſerpinæ, ob magnorum morborum prægreſſum, tonſuram, pruritum toti corpori inducere, quem Medici in ſanguine poſt morbum relictæ ſalſedini & acrimoniæ communiter deferre ſolent, luculenta obſervatione illuſtrat, ſeque in proprio corpore, vegeto adhuc & ſano, poſt profluxos crines talismodi pruritum & titillationem ſentire (*c. l. p. 35.*) fatetur. Quin in viro iſto, cujus hiſtoria in literas relata, ſimile quid contigerit, indeque emerſerit inſignis illa calvæ partis titillatio quis ambiget?

§. 9. Firmat conjecturam capillitii recens producti criſpitudo, quæ pororum obliquitati ob cutis & cuticulæ immutatam texturam ſuam debuit originem. Paralleliſmo ſanè glandularum cutis miliarium & pororum ſublato, cuteque ſuprema indurata difficilior ſucceſſit crinium egreſſus, & cum novi pori fuerint crinium perforatione condendi, utique, ut in novorum alveolorum dentium ſtructura dolor; ita & hic pruritus ſucceſſit. Ad magnum autem temporis ſpatium ſub cute pilos latitare, ea quidem copia, ut tumorem & excreſcentiam cutis molliuſculam mentiantur, plica ſubcutanea, *à Nobilliſſimo noſtro Collega, Dn. D. Marco Gerbezio* (*Miſcell. curioſ. Dec. 2. Ann. 8. Obſ. 71. p. 183.*) obſervata, & curioſè communicata fidem faciet. Eſt vir, *inquit*, in noſtris ſuburbiis Labacenſibus Faber ferrarius. Hic geſtavit tumorem quempiam ſeu excreſcentiam molliuſculam penes aures per annos multos, eò uſque increſcentem ut ovum Gallinaceum facilè ſuperaret, indolenter tamen & nullo ferè modo moleſtam. Contigit tandem ut ſine cauſa manifeſta dolere, rubere, & pruritum quendam concitare inceperit, tandem etiam aperta ſit. Ecce mirum! dum materiæ purulentæ, & neſcio quæ ſordida effluxio expectatur, cum parva ſeri viſcoſi quantitate puri & mirè contorti capilli, & ſui longitudine, colore, craſſitie, & mollitie omninò ſibi diſſimiles cum modica ichoroſa ſorditie permixti extrahuntur.

§. 10. Videat *Benevolus Lector* etiam ſecundum naturam in Tumoribus cutaneis crines offendi, taleſque ſi reperiantur Magicis operationibus

tionibus & injectionibus non oppido eſſe adſcribendos, quod in præſenti caſu Medicus Fabri ordinarius fecit, *ab excell. Gerbezio* jure meritoque refutatus. Aliter ſe res habet, ſi tumor in interioribus viſceribus lateat, aut etiam per vomitum (quamvis & pilos in ventriculo generari poſſe non impoſſibile putarit *Dan. Sennert. l. 3. Med. Pract. p. 1. ſ. 1. c. 15. p. 61*, levi non dicam ludicra ratione motus) alvum & urinam Crines (de veris non de piliformibus concrementis, aut inſectis hic ſermo eſt) egerantur, nec hi ſolum, ſed cum filorum glomis, lignis, clavis ferreis, cultris, vitri particulis, vegetabilium ſeminibus, & aliis, quæ ſecundum naturam in corpore neque generantur, neque aſſumta & deglutita fuerunt. Exempla talia ſummo ſtudio collecta *in Sylloge Phyſico Medicinalium caſuum incantationi vulgò aſcribi ſolitorum Nobiliſſimus Dn. Collega D. Georgius Abrahamus Merchlinus* non ita pridem exhibuit.

§. 11. Patet etiam è dictis ἔπι τὸ πολύ ſaltem veritati litare illud *Archi Philoſophi (l. 5. d. Gener. Animal. c. 3. p. m. 1340)* dicterium: Calvis nunquam redit pilus, cum ſpes non inanis ſit, fore ut aliquando φαλακρὸν ἐτίλλειν, calvum iterum vellere queas.

(L. Chriſtian-Frid. Garmannus.)

OBSERVATIO. CXXI.

DN. D. MARTINI SCHURICHII.

De miris maculis & veſiculis in cute ſanguineis, copioſaque ſanguinis, in puero, per urinam emiſſione.

IN gibboſò puero undecim annorum, *nomine Schvveizer*, per aliquot dies calorem mitem, ſummam tamen virium proſtrationem perpeſſo à calce ad verticem uſque in omnibus totius corporis partibus maculæ vel potius veſiculæ ad unguis præter propter latitudinem non cruentæ modo & atræ quoad colorem, ſed & mature apertæ ſanguinem aut potius cruorem fluidiorem, tum coagulatum ſ. inſpiſſatum ſerius diſſectæ profundentes comparebant. Urinæ quandoque libra una, quandoque plures per diem & noctem, atramenti inſtar, lintea & chartam purpureo tingentis colore ab ipſo emittebantur, ut tantam ſanguinis copiam ab ejusmodi puero excretam ſæpius mirarer, cum ſanguinem potius ſpiſſiorem, quam urinam cruentam, dicere licuiſſet. Hac cutanea

tanea & urinali excretione per octo dies continuata, finita novas vires, priſtinumque ſanitatis ſtatum, per DEI gratiam, recuperavit.

(*Miſſa Chemnicia Norinbergam per Excellentiſſ. Dn. D Garmannum. d. 22. Jan. 1700.*)

OBSERVAT. CXXII.

DN. D. JOHANNES CASPARI WESTPHALI.

De Catalepſi admiranda in agone.

CAtalepſin, impeditiſſimæ aliàs theoriæ ac curæ affectum, febribus malignis non rarò ſupervenire, Practicum quemque Curioſum & in arte exercitum fugere non facilè poteſt, præſertim in iis caſibus, ubi ſpiritus animales vel à miasmate maligno, vel ab excretione quadam cutanea, aut impedita aut retropulſa, raptu materiæ ad caput veteribus, modernis verò fluidi peccantis ad ſyſtema nervoſum, dicta, primariò magisque quàm ipſa maſſa ſanguinea, ita affliguntur, ut illorum motus vel elater, occaſione conſtrictionis vel contractionis ſpasmodicæ fibrillarum cerebri medullarium, in ejus centrum ovale (integro tamen & ſalvo cerebello) penitus ſufflaminetur ac intercipiatur; in cujus tamen affectus natura enucleanda prolixior hic eſſe nolo, imprimis cùm de eodem peculiari, eaque exaſciatiſſimâ extraque comparationis aleam poſitâ, *Diſſertatione* commentatus fuerit *Dn. D. Hoffmannus*, *Academiæ Halenſis Profeſſor* ob ampliſſima in rempublicam medicam merita merito ſuo *Celeberrimus.* Illud interim maiorem & admirationem & disquiſitionem meretur, quod melancholico hypochondriaci nonnulli, morti proximi, in febribus malignis aliquando ingenio priſtino ſublimiora, eaque linguis alienis, ſibique anteà planè incognitis, proferre, futura quoque prævidere ac prædicere, certamque (quod ſæpius me vidiſſe memini) imminentis fati horam adſtantibus determinare ſoleant. Nimirum *mens* noſtra *immaterialis & immortalis*, faſtidito rerum materialium concurſu, & feriante totâ illâ ſenſuum catervâ, adeoque omni corporis commercio e cl ſa, ſibique relicta ac reddita, aut ad ſummam ſui adducta, uti *Seneca* loquitur, tanquam divinæ particula auræ, tunc *ὅρμα* ſuum, uti *Stoicus apud Laërtium* exprimit, nacta, ex ſe fœcunda, omnisque tum ſcientiæ tum ſapientiæ feliciſſima parens eſſe ſolet.

Quod quidem dogma, uti doctis conſtat, jamdudum ê *Schola Platonis* prodiit, qui *animas ſcientiarum ſemine prægnantes creatas* volebat uti loquitur *Philoſophiæ Platonicæ Interpres acerrimus*, *MARSILIUS FICINUS*, *c. 12. Comment. in Conviv. Platon* illudque *CICERO*, *SENECA*, *JAMBLICHUS*, & alii ex ſaniore gentilismo, dehinc propagarunt. Pateſcit id cumprimis ex iis, quæ circa imminens hominis fatum aliquando accidere ſolent, ubi reverà *animus hominis juxta CICERONEM l. 1 de Divinat.* Multò divinior eſſe ſolet. Eleganter & ex rei veritate, uti in aliis omnibus, ita & ea de re philoſophatus eſt *FRANCISCUS BACONUS*, *Baro de VERULAMIO*, *in lib. de Augm. Scientiarum*, ubi *menti* â ſocietate & contagione corporis ſevocatæ, inque ſe reductæ atque collectæ (quod *PLATONI in Phedone* vocatur ψυχὴ συνέδροις μένη αυτ᾽ αὐ εἰς αὐτήν) nec in corporis organa diffuſæ, *ſcientiam innatam* attribuit. Illuſtrant ſuperius aſſertum, præter *HUARTUM in ſcrutin. Ingenior. cap. 3.* verba *Joannis Gerardi Voſſii*, quæ ex vaſtæ eruditionis opere, *Theologia Gentilis* dicto, *Hoffmannus* ſuprà laudatus *c. 1* adducit: *Maximè mens in ſomno*, multò magis itaque in noſtro affectu (catalepſi) *idonea eſt ad recipenda cœleſtia*, *quia tunc vacua & immunis â quibusvis terrenis eſt*, *quinimò mens ipſo momento*, *quo â corpore ſenſationes debiles recipit*, *eo magis uniri deo poteſt.* Quibus ὁμοψύχως ſe præbent *Excellentiſſimi & ſummæ Eruditionis ac Experientiæ Viri. Dn. D. RIVINUS*, *& Dn ORIBASIUS Noſter*; quando *Ille* in *Diſert. de Spir. Homin. Vit. cap. 2. § 15* ita ſcribit: *pleno rationis judicio tum demum fruuntur*, (agonizantes) *quando animalis ſpiritus* (anima nimirum illa ſenſitiva corporea) *ſuas deſeruit functiones*, *nec ampliùs ſpecies in mundo obvias menti obtrudit*; *Hic* verò in eruditis ſuis ac multâ fruge refertis *Miſcellan. Medico-Pract. lib. 2 p. 591* ita de ea re diſſerit: *ex febre maligna decumbentes nonnunquam ſcitiſſima*, *imò longè ſapientiora*, *quàm ſani conſueviſſent*, *proferre*, *rhythmicè loqui*, *alienis*, *quas nunquam didicerant*, *linguis uti*, *vaticinari*, *&c.* adeoque talia *nec cauſis ſupranaturalibus*, *aut obſeſſione dæmoniacæ ſtatim*, *niſi rariſſimè*, *accepta ferenda.* Quo referenda ſunt, quæ *Philoſophus & JC.* rectiſſimi judicii & moris ὁ Θαυμάσιος *THOMASIUS* in doctiſſima *Diſſertat. ad Petri Poiret libros de Erudit. Solida §. 3-6. & 13-17*, & ὁ πάνυ *BOHNIUS Noſter Circul. Anatomico-Phyſiolog. pag. 46. de duplici* hoc *hominis principio activo*, *mente* nimirum *Immortali*, Πνεύματι, *Anima* ab effectu ſuppoſito ſic dicta *Rationali*, *& principio hominis vitali*, *ſeu Anima ſenſitiva corporea*, ψυχῇ, harumque diverſis & inter ſe contrariis functionibus, (de quibus etiam *Paulus ad Galat. v. 17.*) indeque derivato ſtatu hominis morali, Chriſtiani-

ſtianismi nempe & Beſtialitatis (operibusque ſpiritus & carnis loco jam citato v. 18 - 23 longa ſerie enarratis) accuratiſſimè commentati ſunt. Legi etiam hic merentur quæ ſupra laudatus *Hoffmannus* in *diſput. nupera de potentia ventor. in corpus human.* ſcripſit: *Voluntas hominis ut plurimum ſeſe exſerit prava, inque vitia ruens, ſi pro fundamento habet ſanguinem nimis ſubtilem nimiumque mobilem. Ex adverſo, in tranquillo humorum ſtatu ac motu quietior fit animus, ad vitia & malitiam minus facilis, & hinc gratior Deo; utpote mens noſtra, quò magis cum materia unitur, eò plus materialibus delectatur & ſpiritualia ſpernit. Ita quivis homo poſſidet aliquid à Deo, quod laudare ac æſtimare in ipſo debeamus, quodque nobis humilitatis & contemptus noſtri anſam præbeat.* Nec prætereundi hic ſunt *Noctambulones*, qui dicto ex principio, & quidem occaſione imaginationis melancholico-hypochondriacæ, ſpiritibus animalibus firmiter impreſſæ, mediantibusque his ſopore alto oppreſſis menti noſtræ communicatæ, ſub ſomni validioris ſpecie dormiendo ſurgunt, ambulant, ignem ex chalybe ſuſcitando candelam accendunt, carmina componunt, & varia opera, tam œconomica conſueta, quàm ipſis vigilantibus inſueta, vel impoſſibilia, exercent. Conf. B. ETTMüLLERUS T. II. *Opp p.* 780. & 1848; nec non ingenioſus ille per ignem Philoſophus ac Medicus, HELMONTIUS qui *Tract. de Formar. Ortu* §. 53. ſequentem hiſtoriam refert: *In claſſibus literariis*, inquit, *mihi ſodalis erat in cubiculo, honeſtis civibus ortus. Hic clauſis oculis noctu plerumque ſurgebat, & oberrabat, clavem verò ſecum deferebat, ſeramque poſt ſe clauſam rediens aperiebat. Veſpere itaque ſurgo, & clavem clanculum ſubter pulvinar abſcondo; ille verò in ſomno ſurgens abditam clavem velut ſibi viſam capit & abit. Sequor illum arreptâ tunicâ. Ille verò ſcandebat antiquum parietem terminum Collegii muſco ac fœno obſitum. Arcus enim erat, quo transflumen ſuſtinebat paries murum horti vicini. Plenilunium erat & nox pruinoſa. Ad ſpectaculum horrui, & præ frigore redii. Sodalis verò mox revertens tam inhæſitanter clavem in foramen clauſtri abdidit, quod vix ullus videns & ſub meridiem æquè incunctanter id faceret. At manè omnium immemor erat.* Neque deſunt exempla tam melancholicorum quàm catalepticorum, qui citra vaniſſima illa terriculamenta, tum Poëtica tum Philoſophica, uti Erudiſiſſimus ANTONIS van DALE *Tr. de Orig. ac Progr. Idololatr. & ſuperſtit c.* 3. *p.* 51 loquitur, dæmonum nempe aut mali genii concurſum, linguis peregrinis, earum anteà ignariſſimi, locuti ſunt: vid. JOANNES FERNELIUS *de Abdit. Rer. Cauſis l.* 2. *cap.* 16. de juvene epileptico; cujus quidem affectum, ſecundum epilepſiæ gradum, ex illo Philoſo-

phorum Ariſtotelicorum, imò Theologorum quorundam, ſublimioris ac corpuſcularis, nec non anatomico, experimentalis Philoſophiæ defectu, ſcholaſticâ illâ ac Chimæricâ ſaltem imbutorum ignorantiæ aſylo, dæmoniacum putat; *DAN. SENNERTUS l. 1. Prax. Part. 2. cap. 15. p. m. 427. & SCHENKIUS in Obſ med. l. 1. p. 145. &c. cap. 15. p. m. 427.* ſic ſuprà citatus *ETTMÜLLERUS l. a. pag. 948.* ex Guainerio tr. 15. de cap. dolore c. 4. Ruſticum quendam allegat, qui ſemper ſub novilunio carmina componere & poëtari ſolitus fuerit, cui tamen poſt novilunium omnis εὐτυχία μουσικὴ (ut *LAERTIUS* alicubi loquitur) omnisque vena iterum exaruerit, ut ne verbulum Latine muſſitare valuerit: Idem ἰατρικώτατος Vir ibidem ex *FORESTO l. 1. Obſ. 13.* de quodam melancholico-deliro ex lapidis ictu in caput, narrat, quod in paroxysmo ſemper ſyllogiſmos optimos in lingua Germanica confecerit, quos tamen poſteà componere neſciverit: Et ex *LINDANI MSSto* quodam Practico de muliere refert, quæ, indoctiſſima aliàs, verſus concinnos & genium habentes in delirio compoſuerit. Memorabilis imprimis eſt hiſtoria, quam PETRUS BORELLUS: (quem ſatis apertum ſe deprehendiſſe ſcribit THOM. BARTHOLINUS *Centur. 4. Epiſt. 17.* quod elogium etiam repetit apud B. PHOSPHORUM *noſtrum in Gammarol. pag. 916. Cent. 2. Obſervat. 54.* ex propria obſervatione de muliere ecſtatica refert, quæ per totum morbi decurſum Hiſpanicè, (ejus tamen linguæ & anteà & poſtea penitus ignara) idque optimè, locuta fuerit; qui laudatus Autor varias inſuper hiſtorias ex CARPENTARIO, *la* MOTHE *le* VAYER, *Opuſculis* POMPONATII *lib. de Incantationibus*, & CARDANI *Encomio Medicinæ*, tandemque ex LUDOVICI GUYON *variis Lectionibus* de famulo quodam Heinrici IV. Galliarum Regis, linguâ Græcâ in febre locuto, mira narrat. Cumque huic ſimillimam hiſtoriam ante triennium hic loci mihi obſervare licuerit, non pigrabor eam ex Ephemeridibus meis Practicis, pace curioſi lectoris, bonâ fide nunc recenſere: Die nimirum 29 menſis Februarii Anno ær. Chriſt. 1696. Tabellarius noſter Lipſienſis, *Hanns Noack*, tincturam bezoardicam, à viſitantium mulierculàrum choro uxori ſuæ commendatam â me petebat, additâ quæſtiuncula: num hoc medicamentum uxori, vago horrore ac calore per viciſſitudinem, cum cephalalgia & extremorum laſſitudine ſitique vehementiſſima, per triduum jam afflictæ profuturum fore cenſeam? Ipſa mulier 39. annorum placidi aliàs erat ac benè compoſiti animi, contra morem ſexus minùs verboſa, ſemperque cogitabunda, cupiditati quærendi per confectionem tibialium

victus

victus ſatis intenta, cæteroquin mariti ac viciniæ totius teſtimonio, in colendo per aſſiduas preces & hymnos, imprimis repetitas Catechiſmi Lutheri & Pſalmorum lectiones, numine ſatis devota, imò in hymnorum decantatione aliquantum occupatior, nulli tamen pathemati melancholico, formali ſaltem & manifeſto, unquam obnoxia, adeoque ſic ſatis ſana, niſi quod menſibus ſuperioribus, ob δυσαρεστησίαν & anxietatis inuſitatæ ſenſum, in manu ſibi venam aperiri curaverit. Re itaque probè æſtimatâ, mihi ſtatim ſuſpicio de febre maligna, in qua, ſtylo Sennertiano, malignitas magis quàm putredo negotium faciat, oborta eſt: idque poſtmodum eò magis confirmabatur, quod ægra calore ſaltem blando, lento ac miti, & ad manum vix ſenſibili afflicta, ſe malè habere neque credere voluit, neque priùs lecto conſtanter, quàm viribus marcidis, ſe commiſit. Satis dehinc diu multumque pòſt, ſexto nempe die Martii, maritus triſtior obnunciat: uxorem amiſſo omni & liquidi & ſolidi appetitu mirè jam deficere, ipſam inſomniis turbidioribus ac crebro delirio agitari, eamque inſuper de medicamentis hactenus nihil, præter binas tincturæ bezoardicæ doſes â me nuper acceptas, & pauca alia, quæ â Dn. D. Petermanno, apud quem Lipſiæ negotium ſibi expediundum fuiſſet, gratis accepta his diebus attuliſſet. Poſtridie, die nempe martii octavo, circa horam primam meridianam, maritus citato curſu accedens multum me rogitat, ut calamitatis ſuæ domeſticæ miſertus uxorem incoram viſerem, jacuiſſe illam per quatuor horas exſpiraturæ ſimilem ſine omni ſenſu ac motu, apertis, nullo tamen motu aut agitatione errantibus, ſed inunum defixis oculis, ſtatuâ taciturniorem, ſeque in momenta cum adſtantibus mulierculis extrema omnia expectaſſe; nunc verò miſellam, rupto ex improviſo ſilentio, complicatis manibus preces, uti ſibi quidem ex perorantis habitu videretur, quasdam linguâ quâdam peregrinâ, ſine ullo tamen ſenſus ac intellectus indicio, recitare. Ubi itaque ſine mora, ad deſiderium mariti, ægrotam viſito, haud modicâ admiratione attonitus miſeram *Symboli*, quod vocant, *Apoſtolici Articulo altero* Græca illa verba: συλλυβδέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου, τεχθέντα ἐκ μαρίας τῆς παρθένου, παθόντα ἐπὶ ποντίου πιλάτου, σταυρωθέντα &c. proferre intelligo. Pronunciatio, quod mireris, & elementalis & accentualis, decens erat & recta, voce benè compoſitâ nec contentâ nimis, nec nimis ſubmiſsâ, ſine impedimento juſtoque tenore conſtans. Hærebam interim in ſedula attentione ad *finem* uſque *explicationis Lutheri Articuli ſecundi tertiiquè principium*, ſimulque urgebam maritum, ut inuſitatæ rei teſtimonium, & ad affectus rariſſimi con em-

plationem, citiſſimè ex aula Sereniſſimæ Principis hic reſidentis accerſeret archiatrum, Dn. D. Lichtenhahnium, virum tam in ſua arte quàm in varia politiore literatura doctiſſimum, Amicum meum illibato candore, rariſſima in noſtro ordine virtute, conjunctiſſimum, is verò eodem mane, quod uterque dehinc valdoperè dolebamus, in ægrum artis faciendæ causâ evocatus fuerat; aderant interim ſacrorum hujus loci miniſter M. Adam Schumann, nunc ipſe beatus, & Chirurgus noſter oppidanus, Johann-Chriſtian Götzſch, pro excitandis in nucha ac pede veſicis accerſitus. Mulier ipſa textum, eo quo ceperat ordine, Græcum juſtâ oratione perorabat, in habitu ſuprà deſcripto penitiſſimè immota jacens, omnibuſque ſenſibus orba neque illis, licèt contentiſſimis, acclamationibus, frictionibusque, excitari poterat. Fruſtrà inſuper conabar fumo medicamenti cujuſdam, quod tunc ad manus erat, ante biduum â me ordinatum ac commixtum ex liquore cornu cervi ſuccinato & eſſentia caſtorei tartariſata, linteolo turundæ inſtar contorto exceptum naribus intrudendo, imò guttas aliquot ſine vehiculo ori infundendo, archeum torpidiorem excutere, & ſui officii admonere; ſed præter tenuem, quo genæ pingebantur, ruborem nihil auxilii afferebat. Diutiùs tragœdiæ intereſſe non licebat, præſertim cùm & maritus auxilia artis alia ſummis precibus urgeret, & aliæ occupationes clinicæ vel invitiſſimum me domum retraherent. Dum itaque Græcula noſtra ad illa verba: ἁγίων κοινωνίαν, ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, &c. pertingeret, promiſſo in meridiem, poſt finita ſacra, reditu lares repeto, & medicamentum quoddam ex arte conveniens, per ægrotantis filiam transmitto. Intereà tempus ſacris deſtinatum inter occupationes ἐγκυκλίυς Practicas præter omnem opinionem extrahitur, ita ut non prius, quàm circa horam quartam veſpertinam ægræ viſitandæ gratiâ ædibus digredi liceret, ſed in via nuncio de morte illius accepto lares repeto, altero verò mane per Chirurgum laudatum, & aliquot poſt dies per maritum, cum dolore & indignatione cognoſco, rumorem iſtum, cui tam ſecurè & temerè credideram, evanidum fuiſſe & falſum, duraſſe verò hanc mali faciem uſque ad noctis medium, ubi miſera ex altiſſimo ſopore, repentinâ cataſtrophe, ſibi reddita, omnium tamen ante-actorum & dictorum ignariſſima, vernaculo & uſitato ſermone maritum adſtantem affata, liberoſque circumfuſos ad pietatem Deo, & obedientiam parenti, præſtandam adhortata fuerit, quibus abſolutis ad Deum converſa, ſine ullo amplius mentis

errore

errore in dormientis modum, circa horam quartam matutinam, inter medias preces placidè exſpiraverit.

(*Die 7. Mart. A. 1700. Delitio Norinbergam miſſa.*)

Obſervatio CXXIII.

DN. D. JOHANNIS THEODORI MOEREN

De Injectis.

ANno 1700. 23 Jan. Uxor militis decurionis unius anni infantem lactans incepit conqueri de inſolito cruciatu infra umbilicum cum continuo aſſumptorum vomitu. Vicinæ mulieres, ut plerumque ſolent paſſionem eſſe uterinam credentes ſua adhibuerunt aliquot diebus remedia, quibus tamen fruſtra applicatis in auxilium vocatur chirurgus, cujus cum remedia quoque nil opis adferrent, mulier verò dicta noctuque diuque ejularet ob atrociſſimos dolores, mea præſentia flagitatur. explorato manu abdomine, ſentio in loco doloris durum ſub latere globum, adhibeo cataplasmata, enemata laxantia etiam anodyna, ſed dolore pariter & abdomine increſcente ſequenti die, quæ erat morbi & doloris ſeptima, obiit.

Ob inſolitum dolorem nullis remediis vel mediocriter alleviatum petii inſpectionem anatomicam, quam patiens duobus ante mortem diebus, adſtantibus mulieribus ex ſuſpicione ſe veneficio tactam demandaverat. Quare operante Chirurgo Regiminis & adjuvante chirurgo centuriæ abdomen aperui, moxque ſtomachus & inteſtina, etſi vacua horrendo modo inflata, proruebant, inteſtina craſſa brachii virilis amplitudinem ferè æquabant, liveſcebant etiam & partim nigricabant cum omento putrescente. Hepar Sanum, veſicula fellis diſtendebatur lapillis 10. majoribus & aliquot minoribus fruſta gummi guttæ referentibus. Unus etiam lapillus majoribus ſimilis in ductu hærebat cholidocho cruſtâ albâ obductus. Hi omnes lapides ponderabant ℥iij. Cæterum capſula vix unam alteramve guttam liquoris continebat. Forſitan inde fuit, quod rariori & duriori fuerit alvo, & ſcybala eſſent ſemper globulata, quales adhuc reliquæ paucæ in Inteſtinis feces erant.

Hæc utut mira ſatis, cum ſectionem verſus pubem ad uterum forſan

ſan inculpandum produceremus, occurrit maſſa aliqua carnea: qualis ſol et eſſe ſecundina peritonæo ſupra regionem pubis accreta, cui inteſtin a tenuia quoque adhærebant. Hæc maſſa digitis facilè tam ab inteſtinor um membranis quam à peritonæo ſolvebatur, ut jam hæc maſſa oblon gum pomum pugni noſtri magnitudine undiquaque clauſum nullibi hab ens ingreſſum aut initium, referret; uterus infernè ſubſtratus ſine ulla noxa & culpa inveniebatur. Quare toti intenti in hanc peregrinam maſſam & huic loco corporis incongruam, aperto maſſæ exteriori duro cortice jam liveſcente & gangrænato qualiter etiam inteſtina adhærentia & peritonæi membrana videbantur, prodiit materia flava ceræflavæ ad inſtar conſiſtentiæ melleæ, nullius ferè fœtoris: in hac ſanie vero latebat variè inter ſe mixtus manipulus ruforum crinium & his pilis intricata erant oſſicula ſequentia. Unum, fruſtum informis maxillæ referens florenum ferè magnitudine æquans, cum inhærentibus adhuc tribus dentibus, & duobus prætereà alveolis vacuis, præter hoc etiam ſeparatim dentes duo molares bene formati & tria alia oſſicula dura crinibus mediante lotione calida extricabantur, ponderis ℥iiß.

Stupore ergo attoniti, quid aliter poteramus concludere, quàm veneficio hæc fuiſſe injecta & injaculata quomodo hæc autem fiant nunc non indagabimus ſola relationis veritate & oculari inſpectione contenti, quippe cum Helmontio tit. *jaculator. modus intrandi N. I.* non ſum curioſus indagator operum ſatanæ, quæ ſibi in proprietate competunt.

(*Bonnâ Auguſtam Vind. d. 20. April. A. 1700. miſſa.*)

SCHOLIUM.

Voluntati Exc. Dn. Autoris, ſententiam meam de hoc Caſu expetentis, cum deeſſe haud valeam, quamvis magnam & mirandam Veneficiorum poteſtatem eſſe non ignorem, ipſeque præſtigiarum illarum Satanicarum adcuratus aliquando ſpectator fuerim, quod in *Obſervationibus Helvvigianis num.* 75. recenſui, hîc tamen num ſimile quid contigerit, materiæque illæ peregrinæ in maſſa carnea contentæ ab extra in illam fuerint injectæ, nonnihil me dubitare fateor; quas potiùs intus fuiſſe genitas ſuſpicari mallem. Mulieris enim hujus morboſa conſtitutio magnum in ipſius corpore lymphæ â naturali ſtatu diſceſſum adfuiſſe indicat, à qua viſcidiore reddita, ac variis particulis heterogeneis conſpurcata

cata ſtagnatio inprimis vitioſa, atque ab hac tumor etiam ille præſens ortum trahere potuit, qui revera nil aliud quàm Meliceris fuiſſe videtur, quam inter tumores cyſticos, qui materiam melli ſimilem in peculiari folliculo reconditam habent, communiter referunt. Neque obſtare arbitror intricatum ruforum crinium manipulum, & immixta hiſce oſſicula; cum talia abſque veneficii ſuſpicione non infrequenter in corpore animali præter naturam generari, pluribus Obſervationibus conſtet: Sic ex. gr. *D. Frid. Ruyſchius*, in *Obſ. anatom. Chirurg.* 19. tumorem pugni magnitudine in omento hydropicæ, quod peritoneo fixe adhæreſcebat, invenit, in quo, præter paululum materiæ pultaceæ, albæ & nullo fœtore præditæ, glomus durus è capillis intricatis & criſpis conſtans comparuit: Pilos citrini coloris in ſteatomate mulieris ſe vidiſſe *D. Stephanus Blancardus* in *Anat. pract. rat. cent 2. Obſ. 26.* refert; ubi etiam pilorum in utero, nec non *Obſ 27.* in ovario muliebri repertorum, ex *Guil. Fabricii Hildani cent. 5. Obſ. chir. 48. & 49.* vel *Gregor Horſtii lib. 1. Epiſt. med. ſect. 5.* meminit: Folliculum muſculo glutiæo bubulo profunde immerſum, in quo crines rubri coloris impliciti latebant, producit *D. Thomas Bartholinus cent. 1. Epiſt. anat. 100.* Mictionis pilaris tum *Hippocrates ſect. 4. aph. 75.* tum alii mentionem faciunt; & trichiaſin præprimis admirandam, ſine veneficio productam, noſter quondam Collega curioſus, *D. Johann. Scultetus* ſingulari libello expoſuit. Neque oſſicula & dentes pilis immerſi obſtant; qualia corpora in abſceſſibus aliquoties reperta fuiſſe, medicorum ibidem Obſervationes teſtantur: Ut ipſas corporis humani partes, arterias præſertim, quin & veſicam felleam, & meſenterii magnam partem oſſeam factam, quod *Joh. Rhodius* habet *cent. 2. Obſ. med. 96.* tendinum, membranarum, cartilaginum & ligamentorum oſſificationem, qua de conſul. *noſter D Jo. Nicol. Pechlinus lib. 2. obſ med. 40.* taceam, corpora verè oſſea in ſarcocele ſuppurata genita in *Eph. noſtr Cur. dec. 2. ann. 3. obſ. 19.* puellæ exhibet *Cornel. Stalpartus Cent. 2. obſ. med. 34.* Pertinent huc potiſſimum Obſervationes *D. Eduardi Tyſonis*, quas ex *Collectionibus philoſoph. Angl.* in *Acta Eruditorum Dom Lipſienſes A. 1683 pag. 215. &c* inſeruerunt. 1. de tumore in juvenculæ teſticulo dextro ſingulari, inque duas veſiculas membranaceas abeunte, quæ materia ſteatomatoſa cum pilis intermixtis turgeſcebant, in ovarii verò reſiduo ſubſtantia latebat, quæ denti oculari ſeu canino, figura, duritie, colore, omnibuſque circumſtantiis quam ſimilima erat, una cum aliis binis oſſibus, aut dentibus minoribus & irregularis magis figuræ; 2. de cyſtide prope uterum feminæ, in quo tum pili continebantur

ur, tum os mandibulæ haud abſimile, i. e. diverſos alveolos habens, quibus quaſi in triangulo, tres dentes molares & quartus aliquantum adhuc latitans infixi; 3. de ovario feminæ valde tumido, in quo etiam dentem cum pilis ſe vidiſſe *D. Needham* perhibuit: Neque rationes Viro huic Clariſſimo deſunt, quibus pilos, oſſa & dentes ejusmodi in corpore generari poſſe, oſtendat. *Reperiuntur hæc in tumoribus*, ſcribit *Carolus Muſitanus* in *Chirurg. tom. 1. cap. 7. ubi diutiſſime materia latet, & ſtagnat, quia hæc temporis progreſſu plures mutationes circa figuras ſubit, ex quarum particularum figuris, miſtura, ſitu, combinatione, concurſu, poſitu, & motu, nunc hoc, vel illud hujus, vel illius figuræ corpus generatur* Prout etiam Lympha in ſtatu naturali conſtituta, particulas gelatinoſas continet, quas in pilos, oſſa, dentes ut coagulentur aptas eſſe, nutritio harum partium, à lympha ſuccedens, oſtendit, ita etiam in ſtatu præternaturali, ubi præſertim craſſiores ſunt, quales in tumoribus hiſce, melleas, adipoſas, oleaginoſas, pultaceas &c. Autores deſignant, in diverſa corpora concreſcere illas poſſe credibile eſt.

(D. L. Schröck Præſes.)

OBSERVATIO CXXIV.

DN. D. SAMUELIS LEDELII.

De Parturiente Epileptica curata.

Virago Sileſiaca 32. annorum, connubium inierat cum Aurifabro, & altero anno exacto, 39. ſeptimana impregnationis terrebatur à marito ebrio, indeque graviſſima corripiebatur epilepſia. Mane vocatus videbam paroxyſmi reliquias, ideò jubebam, ut ê loco frigido in tepidum hypocauſtum portaretur. Hoc facto, propinabam mixturam cephalicam, quam vomitu rejiciebat, cum copia pituitæ viſcidæ, ingruente ſimul Affectu Epileptico. Nullus aderat motus fœtus, externis licet adhibitis, & vomitiones crebriores, cum inſultu epileptico exagitabant impregnatam. Enema injectum ſubſiſtebat per bihorium, ideò acriore injecto, utrumque educebam cum aliquibus ſcybalis, paroxyſmo epileptico non feriante. Obſtetrix ad partum nondum eſſe diſpoſitam fœminam ajebat, ideò, quia nec interna ob evomitiones, nec externa aliquid valebant, denuò applicare jubebam Clyſterem, in partu mihi conſuetum, & noſtris Ephemeridibus

ridibus inſertum. Hoc facto magis meliora partus ſigna ſeſe exerebant, ſanguine per uterum, pituita autem viſcida per anum effluente abominando cum foetore: Epilepſia autem protrahebatur, & fœtus exitui accomodatior; dumque niſus adeſſe debebant, pariens artus cum abdomine extendebat inſcia, ſicque pariebat filium mortuum, flaccidum & maculis cœruleis pictum. Convulſiones in uteri labiis aderant fortes ut & in artubus. Fœtu excluſo optime ſperabamus, lochiis blandè ſtillantibus, Epilepſiâ quieſcente, convulſionibus autem capitis & colli continuantibus, cum brachiorum inordinato motu, & ſudoribus calidis, ſine intermiſſione erumpentibus, nullus tamen uſque huc aderat intellectus. Infuſa deglutiebat, & tandem per aliquot horas quieſcebat, ſenſim atque ſenſim placatior, ſudoriſque calidi fluxu continuante. Expergefacta altero à partu die, videbatur ſibi reſtituta, & ſic de die in diem vegetior, vires recolligebat cum ſanitate, quod tùm omnibus adſtantibus miraculoſum apparebat tantis ſymptomatibus obrutam reviviſcere. Remedia externè applicata erant, ſal ſuccini volatile cum ſpiritu ſalis armon. Urinoſo, oleum item ſuccini & majoranæ, anthos, lavendulæ cum balſamo vitæ, vertici, cervici, naribus applicato. Interna, Aqua meliſſ. S. Vin. ceraſor nigr. pulv. bezoard. Sennerti, ad partum procurandum & diſcuſſionem miaſmatis epileptici, liquor C. C. ſuccinatus, aqua cinamomi bugloſſata, ſyrupus artemiſiæ rubræ, & demum ſal volatile oleoſum Sylvii cum paucis aliis. His adhibitis, ex Dei gratia, ſyrtes has mortis fœmina hæcce, longioris ſtaturæ & lacertoſa transnatavit adhuc ſana & vegeta, per integrum Annum, quo hæc ſigno.

OBSERVATIO. CXXV.

DN. D. SAMUELIS LEDELII

De Vulnere arteriæ.

UTi parva ſcintilla neglecta, magnum ſæpè excitavit incendium: ita leve vulnus poſthabitum, haud rarò morti pandit fores. Civis noſtras, præteriti Anni 1669. autumno, nuces virides cultello acuto diſcindebat, illumque nuci juglandi duriori cultellum intrudit, en! nuce fracta, cultello ſub pollice ſcindebat arteriam, ſanguine cum ſaltu copioſiſſimè effluente. Primum leve vulnus parùm curat, linteis tantum cohibere effluxum ſanguinis tentat, quia autem ſanguis per omnes

ruit faſcias, chirurgum advocat, qui omnia neceſſaria accerſebat & adhibebat, fruſtrà tamen. Alium vocant chirurgum, nec hic ſufficit ad inhibendum fluxum ſanguinis, ſiquidem rivus hicce purpureus ſine mora fluebat. Debilitatus à nimia profuſione ſanguinis, demùm me accedit vulneratus, monſtrat vulnus, narrat acta & conqueritur de fruſtranea deligatione petitque conſilium & auxilium, ſanguis ſi non ſiſtitur, ingemiſcebat, mihi erit obeundum, ſuccu vitali exhauſto. Ordino ſtatim optimum adſtringens, absque effectu, tento omnia quæ Ars præſcribit, irrito tamen conatu. Periculum videns, & propter metum ægri, animi deliquia metuens, ſanguine cumprimis tanto impetu fluente, nucem ſumebamus dimidiatam excavatam, unguento ſtyptico repletam, fortique deligatione vulneri imponebamus, cum exoptata utilitate. Sanguis enim inſtar Circes baculi tactus, ſubſiſtebat, & deligatio nova ſpatio 24. horarum exacto, inſtituebatur, ſic intra paucos dies, favente Divina Gratia, periculo exemptus feliciter reſtituebatur, & uſque huc benè degit. Sunt qui nucleum mali perſici in hoc caſu ſuadent, ſed judicabam magis proficuam nucem juglandem, ob majorem cavitatem. Res conſiſtit in compreſſione vulneris, hoc facto, obex ponitur fluxioni ſanguinis.

OBSERVATIO CXXVI.

DN. D. SAMUELIS LEDELII

De Singulari faſcino.

HOcce objectum mihi ſummoperè placet, & puto admodum curioſum eſſe, ideò & aliquot obſervationes hujus commatis Ephemeridibus inſerui. Hac vice ſequentem do. Juvenis barbitonſor hoc ipſo Anno 1700. ad Affinem alterius, ejusdem artis vocatur, annuo pretio ad radendam barbam conductus. Prima vice ſuo benè præeſt officio: altera autem comparens, ſingulari afficitur alteratione; à pollice namque pedis ſentit lenem dolorem per totum nervoſum genus repere, cum tremore manuum tanto, ut nec novaculam tenere potuerit, ſudore frigido totam frontem humectante, anxietatibusque cordis intercurrentibus. Domum repetens, benè habet, venas ſecat, barbatos rejuveneſcere facit, omniaque illa quæ artis ſunt, facili manu & ex voto tractat, in hocce tantùm ſubjecto infelix. Conſultus, dedi amuletum, & juſſi fumum in hocce caſu celebrem. Cauſam puto in conclavi hæſiſſe,

aut

aut in ipſo ſubjecto, cui barba demenda, alias in aliis perſonis eundem vidiſſet manuum tremorem, ſi fuiſſet in barbitonſore, aut ejus inſtrumentis. Qualis verò materia fuerit quæ tantam inducere valuit alterationem, quis enucleabit? quod à pedibus incepit, fortean inde eſt quia materia, talia nociva de ſe ſpargens effluvia, ſub pedibus hæſit, & in area hypocauſti latuit. Aſam fœtidam ut ſecum portaret, jubebam, & aliquid levaminis ſeſe ſentire, affirmabat: adhibitis per aliquot dies infrà notatis medicamentis, ex ſummi Dei Gratia penitus ſymptomata hæcce evanuere. Per effluvia effaſcinatum fuiſſe huncce judico, & effluviis medicamentoſis hæcce fuiſſe ſuperata & ſuppreſſa, præprimis quia ſtatim à prima invaſione morbum medicamentis adortus fuit. Medicamenta fuerunt hæcce:

℞ Herb. & ſemin. antirrhin. ℥ij.
  Flor. aquileg. hyperic.
  Capill. Veneris
  herb. Parid. a. p. ij.
  ſemin. aquileg.
    hyperici a. ℥j.
  granorum Parid. V I.
  Mercurii vivi in nuc. avellan.
    incluſ. ℥ij. Mixta indantur
ſacculo, zum Anhencken.
Suffumigium inſtituebatur cum ſuccino,
aſ. fœtid. leviſt. fl. hyperici & origano.

OBSERVATIO CXXVII.

DN. D. SAMUELIS LEDELII.

De ſingultu in febribus malignis.

Singultum in peſte & febribus malignis periculoſum eſſe ſymptoma norunt practici: hinc Epiphanius Ferdinandus Deum teſtatur, hoc ſignum in febribus malignis & ardentibus ad mortem prædicendam ſe nunquam decepiſſe. Aſtuti ubique, ſic etiam in medicina nulla regula tàm firma, quæ non patiatur ſuam exceptionem. Decumbebant hoc Anno 1700. ſporadicè plurimi in noſtris oris febribus detenti malignis & petechialibus. Horum conſortio erat annumerandus pannifex Ebricht,

vir juvenis. Decumbebat plurimis ſtipatus ſymptomatibus periculoſis, utpote deliquiis animi, Cardialgia, vigiliis, delirio, fluxu alvi, nauſea & tandem ſingultu. Obviam ibam omnibus cum lenimine, ſingultus tamen multum nobis faceſſebat negotii. Acerſebam bezoardicum minerale, quod ſemel datum Gorlicii Bibliopego Rohrlag, ſtatim ſingultum ſiſtebat, hic erat inane. Dabam ſpecies Ephemeridibus noſtris inſertas & in hoc paſſu celebres, inutili itidem conatu. Tandem porrigebam theriacam Cœleſtem cum lapide bezoardico orientali, & ſingultus remittebat, redibat tamen, ideo altera vice hoc exhibebam medicamentum, cum felici eventu, ſingultu penitus deficiente, febre remittente, & ſanitate redeunte. Ergo ægrotus non derelinquendus quouſque anima adeſt, quia multoties monſtra fiunt in curationibus morborum.

OBSERVATIO CXXVIII.
DN. D. SAMUELIS LEDELII.
De Aqua ligni fraxini.

ALiquoties deprædicavi in Ephemeridibus noſtris vires ligni fraxini. Bigæ ægrotorum à conſiliis eram, quam moleſtabant ulcera penis. Utrique præmiſſis conſuetis, ordinabam aquam ligni fraxini, alumine crudo leniter impræegnatam, externè adhibitam, & optatum videbamus effectum. Eſt inſtar ligni Guaiaci in noſtris oris, & ut antifebrile etiam hinc inde laudatur, alias ut jam non attingam virtutes, quales plures continet & inſignes, idque, ni fallor, ob volatilitatem uberrimam & vim balſamicam quæ huic ligno copioſè inſunt.

(Miſſæ Grüberga Norimbergam d. 20. Maji 1700)

OBSERVATIO CXXIX.
DN. D. VITI RIEDLINI.
De Rara reſpirationis difficilis cauſa.

SÆpius quidem & non parum miratus fui, quando non jam viros, verum & imbecilliores fœminas vidi, ea animalia, quæ cibui ſunt deſtinata aut vita privata aut & eadem privanda, tam intrepide aperire, exenterare, in partes dividere, & quæ ſunt plura alia, quæ donec in uſum

ſum cedere poſſunt, requiruntur, præſtare, & tn. tam multos eſſe, qui ab hominibus defunctis tantum abhorrent, ut non jam non tractare, non aperire, verum nec aſpicere quidem ſuſtineant, quod, uti in linearum mearum medicarum Anno ſexto exemplo quodam probavi, ita inprimis patet, quando apud tales meticuloſos aut mentio cadaveris aperti vel aperiendi injicitur, aut & licentia petitur, tum enim mirum quantum renuunt, & hinc identidem impediunt, ne in cauſas morborum inquirere poſſimus, quas ſi noſſemus, ſæpius non parum nos juvaret; juvat hinc quantum quidem fieri poteſt, horum hominum menti tam perverſam eripere opinionem, & contra ſemper magis magisque patefacere quanta utilitate ej[u]s modi Cadanerum apertiones inſtituantur; parumq[u]e revera intereſt, ſeu hominem, modo in tam utilem & honeſtum finem id fiat, ſeu aliud quodvis animal cultro ſubjicias, nec, niſi jam corruptio quædam acceſſerit, alius odor ferit nares, nec habes, quod magis metuas, modo non præconcepta opinione jam factus pavidus negotium aggrediaris; cum vero ii, quibus hoc perſuadere opus habes, facilius vix præbeant aures, quam ſi & exempla referantur eorum, in quorum cadaveribus notatu digni quid inventum fuit, vel hac de cauſa eadem ſemper pluribus augere, non abs re eſt quando illorum præſertim, qui itidem difficilius conceſſerunt ſimul mentionem injiciendi, occaſio datur, quale & ſequens eſt: Biennium fere jam præteriit, quod in vicino urbi pago quodam, hoſpes quidam jam ſeptuagenario major, cum diu difficili reſpiratione, cetera tn. Sanus laboraſſet, tandem accedente alvi obſtructione admodum pertinaci fatis ceſſit, degebat tum in hoc pago medicus curioſus ad cujus aures cum mors ejusdem delata fuiſſet, isque prius eidem aliquandiu adſtitiſſet, ut cadaveris apertio concederetur, petiit, quam & amici, non tn. ſine quadam difficultate conceſſerunt, quos poſtmodum, uti quidem gener, qui & reliqua, mihi recenſuit, facti non pœnituit; nam cum primo juxta aſperam arteriam ſanguinis grumoſi lapidis fere duritiem nacti particula inventa fuiſſet, & ab hoc dictam arteriam comprimente, difficilem reſpirationem ortum ſuum traxiſſe, non ita male judicaretur, recordati ſunt amici, eum ante plusculos annos poſt lapſum graviorem de hac inprimis parte dolente conqueſtum fuiſſe, quo dolore tn. ceſſante, utut reſpiratio difficilis ſtatim ſucceſſerit, quod hæc inde originem ſuam habuerit, neminem nec cogitaſſe quidem: adeo verò poſt lapſus graviores, utut ſymptomata graviora ceſſent, non ſemper tn. fidendum eſt, cum reſtare poſſint læſiones in oculos quidem non incurrentes, at niſi iiſdem occurras, in

inſa-

inſanabilia ſubinde degenerantes mala: de impotentia verò ad venerem per aliquot annos hoſpes noſter itidem aliquoties ſolicitus fuerat, & hujus cauſam in incantatione quæſiverat, quam veram tn. etiam per dictam apertionem innotuiſſe, gener ulterius retulit cum enim ad teſticulos ventum fuerit, alterum debito majorem conquaſſatum & marcidum inventum fuiſſe, quod itidem lapſui graviori cum equo, & teſticuli ad ephippium alliſioni ortum debuiſſe meminerunt; an vero hæc ſola cauſa ſuffecerit, propterea non abs re dubito, quia uno ſolum teſticulo integro plures liberos nihilominus nonnullos progenuiſſe pluribus hiſtoriis facile probari poſſet; ipſeque novi aliquot liberorum Patrem, cui teſticulus alter in juventute exſectus fuit: Sicuti vero hos non pœnituit, quod hanc inquiſitionem permiſerunt, ita nec alios pœnitebit, quod tuto quibuſvis promittere poteris.

OBSERVAT. CXXX.

DN. D. VITI RIEDLINI

De Arthritide per contagium contracta.

IN prœmio quidem II. Anni III. Decuriæ harum Ephemeridum à me comunicatæ obſervationis, quod ipſemet, utut pellicea veſte quam Arthriticus geſtavit, per aliquot annos uſus fuerim, hoc tn. malo Dei gratia hactenus nunquam laborarim, retuli, indeque ad minimum non ſemper contagioſam eſſe arthritidem, haud ita male concludi, tum judicavi, & quomodo, quæſo aliter potui? cum ipſemet tum Virorum clariſſimorum exempla ejuſdem contagioſæ adduxerim, nec plane ignoraverim, quam difficulter certi quid in medicina ſtatui atque affirmari poſſit, cum utut vel pluries una eadamque res in variis ſubjectis eodem modo contigerit, jam nobis de certa inde regula conſtituenda cogitantibus, apud alium plane alium ſortiatur eventum, adeoque nos ab inſtituto noſtro avertat, quin, quo ſæpius ea, quæ notatu digna judico, in chartam conjicio, eo magis opus eſſe, ut tantum non ſemper exceptionis quoſdam notas, judicio meo inſeram, invenio, & ſicut nunquam me hujus facti pœnituit, ita niſi illas obſervationi citatæ amexuiſſem, ut jam annecterem, ſumme requireretur, cum haud ita pridem hiſtoriæ huc ſpectantes notatu digniſſimæ mihi narratæ fuerint, quas hic repetam: Mentio injiciebatur coram Illuſtriſſimo quodam ægroto, lectorum, ob levitatem pennarum, iis præſertim, qui dolores artuum paterentur, commodorum,

qualia

qualia inprimis quoſdam Arthriticorum hic loci poſſediſſe, ego quidem retuleram, & is ſubjiciebat, at ego vel hoſti non ſuaderem, ut quibus olim Arthritici uſi fuerunt aut veſtibus aut & lecto, uteretur, cum fixius memoriæ inhæreant caſus minus felices illorum, qui ejuscemodi quid aut inſcii aut minus providi tentarunt; hic novi olim Virum quendam optima gaudentem ſanitate, cui arthritici cujusdam tibialia ex ſerico texta ſic placuere, ut poſt mortem illius eadem pretio non exigao redemerit, at vix per aliquot dies illa geſtaverat, & inde arthritide tam gravi correptus fuit, ut vix unquam tam graviter hoc malo decubuerit, qui olim hiſce tibialibus uſus fuerat; novi alium præter hunc ſcribam, & fidum celebrium quorundam Comitum miniſtrum, cui nulli illorum vitiorum, quæ alias arthritis preſſo ſequitur pede indulgenti, hi ipſi comites, veſtes, quibus olim arthritici uſi fuerant, dono dederant, quas cum gerere cœpiſſet, doloribus arthriticis tam vehementibus tortus fuit, ut clamans ſubinde in platea audiri potuerit, hæcque ut magis confirmarentur, non minus illuſtris hujus ægroti conjux ſequentia addebat: Vixit hic ante plusculos annos aurifabri cujusdam Uxor, quæ lectis opus habens, eosdem optimos quidem & vili pretio comparavit ab hæredibus divitis cujusdam Canonici, qui olim arthriticus ſemper in iisdem decubuerat, at cum poſtea in puerperio illis uſa fuiſſet, doloribus artuum laborare cœpit, nulli remedio cedentibus, donec lectum mutavit, quem tn. neſcia quod dolores ab illo originem traxerint, poſt ſesquiannum fere denuo pariens repetiit, & tum demum, cum alius retuliſſet, ſe Caldarium quoddam â dicti Canonici hæredibus itidem haud adeo magno pretio redemiſſe, & poſtquam vel ſemel in eodem ſudarit, pedum dolorem contraxiſſe, inde reſcivit, illum ipſum fuiſſe, qui lecto, quo nunc utatur, tum arthriticus uſus fuerit, doloribusque tum iterum detenta hunc propterea eo citius nunc mutavit, unde quidem dolores quodammodo remiſerunt, non tamen ſic, quin poſtea aliquoties adhuc dicti lecti memoriam eidem refricuiſſent, identidem nempe, licet non tam vehementer redeuntes: Non facile vero quis fidet ejuscemodi rebus ab aliis comparatis, niſi ſciverit, quis olim poſſederit, iisdemque uſus fuerit, cum ſi is morbo quodam contagioſo, quorum præter arthritidem plures dantur, laborarit, non raro hunc nolens volens ſimul comparare poſſit.

OBSERVATIO CXXXI.

DN. D. VITI RIEDLINI.

De Polypo Nicotianæ fumo curato.

CUm per ſe narium quædam vaſa ſic ſint patula ut tantum non ſemper aliquid ejus muci, qui ex iisdem emungitur, extillent, apud quosdam quidem magis ſenſibiliter, dum in tanta copia eum hic excernunt, ut quotidie eidem excipiendo vix aliquot ſufficiant emunctoria, aliis vero vix ſentientibus eodem ſecedente, & brevi exſiccato aut alio modo conſumto; & ea, quæ ſanguinem ad has partes tum vehunt, tum revehunt ab iisdem, facilius ac alibi operiuntur, hincque identidem pretioſum hunc liquorem in non exigua quantitate fundunt, profunduntque ubi quidem pro cauſarum diverſitate, quibus merito vaſorum horum apertio adſcribitur, ſicuti aut facile aut difficilius curatur malum, ita etiam diverſa poſt ſe relinquit ſymptomata, quibus curandis ſæpius vix plura remedia ſufficiunt; inter quæ & polypum inprimis numerandum eſſe, qui vel ejusdem deſcriptionem aliquando legit, vix dubitabit; non autem piſcem vel aliud multis pedibus inſtructum animal me hic innuere, vel ex inſcriptione patet, magisque ex jamjam legendis patebit; excreſcentia nempe carnea eſt, quæ in naribus plerumque â læſo quodam vaſe ſanguiveho, ſanguinem omnem non profundente, ſed in vicinam quandam Membranam deponente, eoque ibi cum aliis humoribus in talem maſſam mutato, ortum ſuum trahit, quod malum, quamprimum ſic notatur, ut de eodem præſente nullum ulterius ſuperſit dubium, non parvum eo laborantibus injicit metum, cum non ſolum reſpirationem valde impediat, ſed interdum non absque periculo curetur, ut jam taceam, quod tandem & faciem dêfœdet; feliciter verò curati polypi hiſtoriam nunc dabo: Vir quidam propinqua adfinitate mihi conjunctus, quadraginta ſeptem annorum, adeo nicotianæ fumo ſe delectans, ut ab eodem vix per pauculas horas abſtinere poſſit, quin abſtinens tam male ſe habeat, ut & adſtantes notent, qui moris ejusdem gnari hinc eundem monent, ut appetitui ſuo ſatisfaciat, unde illico priorem lætiorem induit faciem: cum nuper me viſitaſſet, teſtatus eſt, ſe ante duodecim demum & quod excurrit annos hoc fumo uti cœpiſſe, antea vero ferme ab eodem abhorruiſſe, non autem tam delectationis gratia, quam ſumma neceſſitate coactum ſe hanc ſuffumigationem inſtituiſſe, notaſſe enim prius per bene longum temporis ſpatium excreſcentiam carneam

in

in narium ſiniſtro foramine, quæ non ſolum nares obſtruxerit, ſed & indies magis excreverit, jamque & narium fines excedere inceperit, hincque varios artis chirurgicæ peritos ſe cum hac de cauſa conſuluiſſe, qui omnes pro polypo agnoverint, nec niſi extractione violenta curari poſſe, plerique ſtatuerint, at ab hac ſe abhoruiſſe, cum præſertim quidam, (non parvum ſubeſſe in eadem adminiſtranda periculum, dum nempe facile arteria lædi, & hinc hæmorrhagia tam facile non curanda concitari poſſit) monuerit: hincque præſertim ſolicitus fuit, ut alio modo juvaretur, & clariſſimum Medicum. D. D. Joh. Francum, communem nobis adfinem æſtumatiſſimum, ſedulo ſæpius rogavit, ut conſilia ſalubria ſuggerat, qui pluribus aliis non juvantibus, ſuaſit, ut fonticulum ſiniſtro inurat brachio, & inprimis nicotianæ fumo mediante ſæpius ſuperfluum ſerum ex ore eliciat: dictis autem his eo magis paruit, quo majus polypus quotidie ſumſit incrementum, & ecce! vix per trimeſtre ulcuſculum in brachio excitatum pus in quantitate decente fuderat, & per hoc ipſum temporis ſpatium ſalivæ etjam major quantitas mediante tabacco ex ore rejecta fuerat, cum aliquando ſubito ſternuere cœpiſſet, medianteque hac ſternutatione ê naribus receſſit maſſa carnoſa non ita parva venulis hinc inde interdiſtincta, & ab illo tempore Dei gratia melius ſe habuit, facilius nunc reſpirat, & reſtitantis adhuc particulæ ſe nullum indicium deprehendere poſſe teſtatur, vel eo diligentius vero nicotianæ fumum continuat, quo magis ſe juviſſe eundem credit, quo magis etiam eidem per tantum temporis ſpatium quotidie aſſueſcit: Quod nempe apophlegmatiſmis ſuis Veteres in talibus affectibus præſtiterunt, haud abs re â fumo nicotianæ; ad eos commode referendo, expectatur, dumque eo mediante alimentum ſubtrahitur tali excreſcentiæ & pediculus unus alterve, â quibus pendet, exareſcit, non ita difficulter poſtmodum, â naribus ſeparatur primo & tandem quoque excluditur: Fonticulum tamen itidem non prorſus nil contuliſſe, nullum eſt dubium.

(*Exhibitæ d. XI. Junii Anno 1700.*

OBSERVATIO. CXXXII.

DN. D. CHRISTIANI HELWICHII,

De febri Petechiali.

ANnô labentis ſeculi nonageſimô nonô menſibus Martiô Aprili, Majo, Juniô poſt hyemem tepidam non infrequenter febris petechialis in homines utriusque ſexûs in flore & vigore ætatis conſtitutos præprimis eos, qui temperamenti ſanguinei & cholerici erant, ſæviebat. Non paucorum curæ præfui ego, (ad quem ex miſeris intra trium menſium ſpatium ultra ſexcentos accurrunt ſine noſtro conſiliô & operâ meâ uſuri & à pharmacopœô remediis ſine ſumptu, beneficiô Tharoullianô inſtruendi) & attentè morem modumque morbi omnem explorare conatus, ac ſtudioſè annotavi, quô cum ſucceſſu pharmaca à Practicis in hôc morbô commendata exhibeantur. Typus morbi ferè hic fuit: Ægrotantes horrore & eô vel manifeſtô vel ſatis remiſſo, qui unicô plerumque acceſſu gravis rarò per intervalla repetierat, ſe correptos narrabant, interrogati verò, nùm & ante mutationes quasdam in corpore ſenſiſſent, ut plurimùm referebant, ſibi per dies aliquot caput fuiſſe grave, alii dolorem obtuſum cum vertigine conjunctum ſibi fuiſſe moleſtum ajebant, omnes præcedentibus noctibus ſomnos turbulentos ſe habuiſſe querebantur. Erant qui antequam horror aut frigoris per dorſum decurrentis ſenſus occuparet, ſe anxietate non ſatis explicabili ex improviſô aliquoties oppreſſos dicerent. Mali originem cuncti ferè propter appetitum dejectum & gravitatem quandam circa ventriculi regionem ex repletione arceſſebant, negantes ſe aliô medicamentorum genere quàm emeticis vel purgantibus draſticis juvari poſſe. A primis alterationibus quotiescumque morbi initium contendebam eſſe numerandum & Catharcticorum ejusmodi uſum diſſuadebam, totiès ferè timiditatem tacitè, alii etiàm ſatis liberè accuſabant. Poſt horrorem ægri leniter quantùm ad externas partes ſe incoluiſſe ferebant artubus quaſi laſſitudine fractis aut contuſis, quæ virium proſtratio luculentum malignitatis indicium præbebat, interiorem verò calorem ſatis gravem eſſe probabat immutatio linguæ, quæ modò lentô ac glutinoſô ſuccô obducta ſquallebat, modo fiſſuris aſperis & ſcabris dehiſcebat, aut retorridô calore cum vicinis faucibus arebat, poſtea apthæ ſatis maturè interiora oris obſidebant. Interdùm tamen calor in habitu corporis primis diebus mordax obſervabatur comitanti eum ferè ſemper hæmor-

rhagiâ

rhagiâ narium & in ſexu ſequiori fluxu menſtruo. Deliria modò mitiora modò ferociora, quæ nocturnò tempore exacerbabantur, in omnibus ab initiô præſtò erant, nec ægrotantes antè ſuperatum morbum deſerebant. Pulſus naturali haud ſimilis ſed celer, inæqualis, cæteroquin non languidus. Reſpiratio anhela & ſuſpirioſa. Fuit, qui hiante ore auram præter morem captaret. Aliquibus alvus adſtricta & hi intenſiori calore exæſtuabant præcordialibus anxietatibus obnoxii & immani capitis dolore infeſtati. Nonnullis contra in fluxum copioſum concitata alvus erat & hi non adeò enormiter prædictis ſymptomatibus excruciabantur. In nonnullis conatus vomendi inanis, ab aliis varia vomitu rejiciebantur. Saliva glutinoſa ſub finem in incredibili quantitate excernebatur. Sudores morbô incrementa capienti ferè nulli, & cum in paucis quibusdam fluerent, ut eventus docuit, periculum grande minabantur. Urina nonnullis ab initiô intensè rubra, aliis ferè naturalis, quæ procedente morbô ſedimentum exhibebat, quod laudabile credidiſſes, ſecuturæ mortis non vanum dabat præſagium. Cardialgiæ ferè omnibus graves, ut & vigiliæ perennes & ſitis nullâ arte domanda. Circa ſeptimum imò undecimum diem in pectore, dorſô, brachiis maculæ rubentes puncturis pulicum ſimiles erumpebant, ſæpè tamen majores lenticulas exprimebant, ut videas non malè quondam à vulgô lenticulares, teſte doctiſſimô Fracaſtoriô lib. 2. cap. 6. de morb. contagioſ. fuiſſe vocatas. Erupturas non rarò præcedebat convulſivus motus & tremor artuum, qui ſub morbi finem revertentes non fallaces hæmorrhagiarum indices exiſtebant. Non memini vidiſſe, in quibus retrocederent. Durabat morbus ad diem 14, 21 imò & 40geſimum. In tali ſtatu cùm ægri verſarentur obſervavi 1. venæſectionem fuiſſe admodùm noxiam; nam omnes ii, qui propriô conſilio, ut paſſim fit, venam ſibi pertundi curaverant, quicquid etiàm molirer, etſi ſymptomata viderentur eſſe multò, quàm in cæteris remiſſiora, fatis conceſſerunt exceptâ unicâ virgine, cui ſub primum febris inſultum ſanguis in exiguâ quantitate ad ſupprimendum fluxum menſium ſymptomaticum meô juſſu fuit eductus. Simile quondam fatum alios, qui ad V. S. in his febribus confugerunt, alibi eſſe expertos apparet ex Hieronym: Fracaſtoriò, Mart: Rulandô, Philip. Hœchſtettero & luculentâ Obſervat. 33. lib. 1. p. m. 48. & ſeq. Auguſt. Thoneri. Adeò hoc verum, ut fortaſſis etiàm non immeritò Bened. Victor Faventin: dixerit, in *his febribus*, ubi malignitas major quàm febris, *á Phlebotome tanquàm à diabolô cavendum eſſe* ubi verò febrilis calor permagnus, & corpus plurimò ſanguine abun-

det

det & malignitas minor quam febris, aut ſi inflammatio petechiali febri ſupervenerit, qui caſus Moræo obtigit, aliter utique ſentiendum fuerit. Ea ergò mihi ſedet mens minus veritati congrua eſſe, quæ habet inſignis Medicus, Johan: Coyttarus in doctiſſimô opere de febre purpurâ Epidemiali & contagioſâ p. 10. *quòd hæc febris ante eruptionem & ubi eruperint nullo obſervato dierum numerò (modò vires conſtent, ætas & morbi magnitudo conſentiant) ad ſui profligationem ſanguinem mitti expoſtulet* (2) nec emetica paſſim decantata meliori ſucuſſu data eſſe edoctus ſum exemplô eorum, qui cum morbi naturam non intelligerent & ventriculum tanquam fontem omnis mali accuſarent vel à Medicis vomitorium importunis precibus extorſerant vel à medicaſtris ſibi obtrudi fuerant paſſi. Nam intempeſtivâ illâ Catharſi graviter affectæ vires & ægri deinceps à morbô jugulati. (3) lenientia ſub primum morbi inſultum exhibita præclarè ſe geſſerunt & ejectis ex corpore ſordibus in inteſtinis hærentibus cætera medicamenta vim exercuerunt præſentiorem. Caſu, quod fateri haud pudet, hoc deprehendi. Nam quantumvis probè recordarer, & Johan: Langium olim *expurgata cum pharmacis. Catharticis levioribus Cacochymiâ aliquos ferè deploratos reſtituiſſe* lib. 2. epiſt. XV. p. m. 561, nota mihi quoque Laurent: Donckeri in ideâ febr. petechial: tùm doctrina tùm praxis eſſet; impetrare à me non potui, ut hos alioſque imitarer, donec paſſim obſervarem, eos, qui febrim petechialem nullam metuentes, ſumptô, ut vocant, minorativô ſordes ex primis viis exegerant, deinde in hanc febrim lapſos & commodiùs ferre morbum & eundem faciliùs ſuperare. Depoſitâ ergò formidine, quam & infauſtus eventus & medicæ hiſtoriæ Franciſci Rubei eô licet fine ſcriptæ ut doceant in acutis etiam morbis tutò pharmaca exhiberi poſſe, incuſſerant, lenientia ægris cum optimô ſucceſſu propinavi, deſiique mirari, cur olim Sylvius Principi, cùm variolæ inſtarent, purgans repugnantibus aliis Medicis dandum eſſe cenſuerit & feliciter dederit. 4. Regimen calidum cum alexipharmacis & ſudoriferis admodùm calidis & volatilibus noxium, ita ut non tàm de inventione eorum quàm de intempeſtivo uſu nelius affirmari queat quam quod de malignitatis inventione Sydenham dixit in Schedulâ monitor: p. 681; *eam humano generi longè ipſâ pyrii pulveris inventione lethaliorem.* Certè quibus regimen calidum adhibitum, ut apud lautioris conditionis homines fieri aſſolet, mortui ſunt; contra miſeri, qui paſſim extra hypocauſta ſub tectis & in angulis & latebris cum periculoſô morbô luctabantur, moderatis adjuti bezoardicis, qualia ſunt fixiora, feliciter de periculo-

sô

ſô morbô triumphârunt. Hôc ipſô tamen non damno prorſus medicamenta calida, nam ubi coagulationis alicujus in ſanguine metus & pulſus languidus exiſtit, aut ubi ſoporoſi ingruebant affectus etiam ipſe ejus generis medicamenta præſcripſi, quod & poſt V.S. celebratam antequam vocarer, feci. (5) In diarrhœa & vomitu aut conatu vomendi ab uſu adſtringentium graviſſimi angores, corporis jectigationes, deliriorum & Cephalalgiæ incrementa, ſordes & ſqualores majores in lingua & faucibus cum ſiti planè intolerabili, quod cùm viderem (6.) de diarrhœâ compeſcendâ non ampliùs fui ſolicitus, & licet haud aſſerere queam, quòd per ventris dejectiones morbi ſeminia expellantur, id quod & Fracaſtorio animadverſum, ſanctè tamen teſtor, nullam me à diarrhœâ vidiſſe noxam. Rectè ergò ſcripſit Clar: Georg. Erneſt. Sthalius in problemat. Practic. febrium Pathologiæ & Therapiæ inſervientibus p. 13. in petechiis *diarrhœam ſi non actu utilem at nihil periculi directi inferre.* Celeberrimus Alphonſus Borell. in epiſt. die 25. Novemb. A. 1661. ſcripta ad Cl. Malpighium de morbô malignô epidemicè tùm Piſis graſſanti hæc habet hùc facientia: *quibus alvi fluor non ſuccedit, decimo 4to die & interdum citiùs moriuntur* & interjectis aliis *poſt alvi fluorem* inquit, *levamen ſupervenit.* Qui verò hæc cum aliorum auctorum experientiâ conciliari queant, ignoro, niſi fortè cum doctiſſ. Paulo Neucrantzio in lue petechiali ex infecti aëris μιάσμασι diarrhœam ſuſpectam, in petechiali verò ex morboſô apparatu producta, qualis & noſtra fuiſſe videtur tutiorem dicere velis (7) notatu dignum judico & hoc, quòd nocturnô tempore ingraveſcentibus deliriis alvi dejectiones increbeſcere ſueverint, manè verò cùm mens aliquantò ſerenior eſſe cœpiſſet, minui viſæ ſint. Fluctuo verò, nùm hæc excretionum frequentia tempore deliriorum â deliquiô rationis an verò à potu in majori quantitate per diem ſumpto pendeat. Nam etſi verum ſit, quod Cl. Hœchſtetter in Obſervat: Med: Dec. 1. Caſ. 6 ſcribit, alvum licet adſtrictam frequentiori frigidô potu humectatam facilè fluidam reddi, non aſſequor tamen, cur non in iiſdem febribus extra deliriorum horas, in quibus ſæpè avidius & potum poſtulant & crebrius bibunt, non toties alvus ſolvatur, quàm ubi mens ſibi non conſtat; aut cur non in omnibus, qui potu nimiô ventriculum diſtendunt, alvus ſeſe effundat. (8) Ex anodynis quocumque morbi tempore exhibitis nullam vidi redundare in ægros utilitatem, quin contra poſt eorum uſum deprehendi pulſum ac conſequenter motum etiam ſanguinis fuiſſe languidiorem, ſenſuum ἐνεργείας debiliores, excluſionem recrementorum quâcunque viâ etiam per poros impeditiorem, quantacun-

tacunque etiam aliàs ſit opii vis diaphoretica hactenùs multum celebrata, rationem etiam, ubi deliria non urgebant, hebetiorem. Et propterea theriacam Medicamentum per tot ſecula uſitatum, licet Medicamenta longo uſu probata quibusvis arcanis præponere ſoleam, exhibere non ſum auſus. 9. Comperi Vigilias per multas noctes non æqué eſſe damnoſas quàm vulgo creditur. 10. Spasmodici motus non ſemper perniciem attulerunt, ſed ſæpè ſub decurſum morbi eos hæmorrhagiæ criticæ exceperunt, ita ut attentè omnia conſiderans in illas inciderim cogitationes propter hæmorrhagiam excitandam fuiſſe ſuſceptos à movente, quod non inconcinnè quondam à Stoicis apellatum ψυχὴ & τὸ ἡγεμονικὸν qua de re legi poteſt Salmaſius in notis & animadverſ. in Epictet: & Simplic. Non prorsûs abſurdè ergò Borell. centur. 1. obſerv. p. m 62. *rigorem & tremorem inter bona malignarum febrium ſymptomata numerari* ait. 11. In hôc morbô nihil æquè me terruit quam (a) delirium, unde mira perturbatio motuum in corpore, ad quod compeſcendum tanquam ad ſacram anchoram confugi ad veſicatorium cum majori ſanè commodô ægrorum quàm damno; neque enim verum deprehendi, quod habet Rodericus à Fonſecâ ſcilicet veſicantia augere calorem febrilem, vigilias & deliria intendere, ſed experientia ſuffragatur Riverio, Horſtio, Bartholino, auctori pyretologiæ myſticæ, Sennerto aliisque eadem commendantibus. Non tantum verò oculi feroces &c. deliria antecedebant, ſed & obſtinatus vini appetitus, id quod notavi in aliquibus, ad quos tempeſtivè vocatus ſum, antequam morbus indolem proderet, & licet ſciam vini uſum commendari in Rhodii cent. 2. Obſerv. Med. 16. Bartholini centur. 6. Hiſtor. 7. in Ephemeridibus noſtris & alibi, ego tamen tum ob alias cauſas tùm ob monitum expertiſſimi Foreſt. de variolis & morbillis ſuo locò agentis præfractè negavi (b) hæmorrhagiæ τεκμήρια utplurimùm orgaſmi ſanguinis, quas ita opprimere, ne natura ſanguinis depurationi in febribus intenta in opere ſuô turbetur, magnæ profectò artis eſt. Nam minimè id conſequi licet per adſtringentia, quibus pori per quos ſanguis propellitur, obſtruuntur, quôcunque tandem mechaniſmo id fiat, hâc ipſa verò obſtructione naturæ in depuratione ſanguinis obex ponitur. (c) atrociſſimi illi capitis dolores, nam & ſi in morbi progreſſu aliquam opem viderim ab unguentô alabaſtrinô quod laudat Neucrantzuis, inter initia tamen tacitô muſſavit medicina dolore & quæ Henr: Screta de febri caſtrenſi malignâ ſect. 3. c. 9 laudat, concitatam de viribus ſuis ſpem non adimpleverunt. 4. graves pectoris oppreſſiones nullis topicis cedentes niſi quòd ad applicationem

nem camphoratorum miteſcere quodammodo viderentur. 12. meretur obſervationem, quòd in intermittentes deſierint, quas an more Anglorum quorundam cortice Peruvianô oppugnare liceat, nondum mihi conſtat. Abſterruit me ab uſu potiſſimùm, quod viderit aliquos in ſtupiditatem & ſoporem lapſos Cl. Ramazin: 13. Tandem nec hoc prætereundum, quòd febris hæc non ſoluta per ſudorem ſed vel per ſedes vel hæmorrhagias, vel viſcidæ ſalivæ uberiorem rejectionem aut tandem per abſceſſum in partibus ignobilioribus. Ultimò de operatione medicamentorum bezoardicorum illud addere juvat, quòd aliquot ante exacerbationem febrilem horis optabiliori ſucceſſu quàm vel immediate ante exacerbationem vel ſub exacerbatione exhibeantur. Ex ephemeridibus meis duas hic attexam hiſtorias. Virgo 26. annorum ſanguineæ conſtitutionis cœlebs, cibis indulgentiùs uti ſolita & intra duos annos proximè præterlapſos febri ardenti bis jam vexata de dolore capitis gravativô die 23. Martii ſt. n. & laſſitudine conqueri cœpit, quam contempſit, rata ut res erat, menſes inſtare, die 24. leviter horruit ac incaluit. Poſterô die calor auctus, quô primùm ad eam vocatus ſum. Sub noctem mens hæſitare cœpit, & per integrum menſem nunquàm ſibi conſtitit. Die 26. menſes erumpunt ordinariô tempore ac æſtus invaleſcit. Sequenti die ad fluxum hunc compeſcendum ſanguis eductus ex medianâ; ſubſtitêre menſes & ægra largô ac blandô ſudore perfuſa. d. 28. alvum quinquies dejecit d. 29. adhùc pluries & catamenia denuò fluere cœperunt. Terrea & deinde diaſcordium utrumque fluxum cohibuerunt, inde autem inflatio ventris & tormina, ructus, deſiderium vomendi, anxietas inexplicabilis, dolor capitis enormis, lingua ſqualida ac tandem vomitus. Territus his ſymptomatibus ab uſu horum medicamentorum abſtinendum eſſe duxi. Præter lapſô dimidii diei ſpatio alvus iterùm ſolvi cœpit, & vomitus ac ructus illicò evanuere, anxietas & capitis dolor remiſêre. Duravit iſte fluxus uſque ad 26. Aprilis, & intra diei naturalis ſpatium & cumprimis noctu ſæpè octies nunquàm verò minùs quam quinquies alvum exonerare coacta eſt. Excreta lactea, ſubviridia, nigra, varia erant. Die 2. Aprilis ſpasmodici motus mihi & circumſtantibus formidinem incuſſerunt, alterô autem ab hoc die non ſolæ petechiæ pectus, dorſum, lumbos & artûs fœdarunt, ſed & tumores elatiores rubicundi, qui diſparentibus illis circa 14. April. pus circa 22. diem largè fundebant. Veſicatorium Nuchæ d. 8. April. cùm mens deliriis diſtracta mirè corpus turbaret, applicitum. Die 23. & 24. gargariſmus incredibilem quantitatem viſcidæ ac glutinoſæ ſalivæ

provocavit. d. 26. & 27. corpus obriguit ac ſpasmodicos ſubſultus eſt paſſum. Die 28. Nares parcè ſtillabant ſanguine. 29. horis matutinis uſque ad nonam antemeridianam apyrexia deinde frigus intercurrens ac æſtus ſatis vehemens ad 12. mam uſque quâ calor defervescebat rediens horâ 9. vel *11.* veſpertina. Is ægræ ſtatus per 4. dies erat, redeunte optatâ ſanitate circa initiâ Maji. Medicamenta, qualia innui ſumpſit debitô tempore non neglectis confortantibus, emulſionibus &c. Hanc hiſtoriam tantò libentiùs cùm plures aliæ obviæ eſſent, recitare volui quòd Excell. ac Experientiſſ. Dn. Doct. Oehmb Phyſic. digniſſimus Coll. noſter honoratiſſ. cùm una mecum nobili Puellæ in eôdem domicilio medicinam faceret, quater virginem hanc pro benevolô ſuô in me affectu viſitare ac audita morbi hiſtoriâ me ſuô conſiliô adjuvare voluerit. Similibus ſtipata ſymptomatibus inceſſit etiàm febris hæc in aliis & methodô, quam innui, tractata collum tandem ſubmiſit. Vomitoriis, Venæſectionibus ac volatilibus irritata, medicorum eluſit opem, prout me non actorem ſed ſpectatorem docuit eventus. Adducam exemplum alterum infauſti eventûs. Laborabat juvenis propter pietatem & induſtriam ſuam omnibus charus hâc febri; tertio ab invaſione die Medicus aliàs inſignis vomitorium ei propinat, 4tô verò & 5. die calidiora ei bezoardica exhibet, 6tô morbi die imperat V. S. primâ, & quod non præviderat ultimâ vice celebrandam, huic, multùm rogatus, conſtitutâ horâ interfuturus juvenique animum additurus cum alter ſibi per negotia id non licere cauſaretur compaveo, antequam verò venam à chirurgô pertundi juberem, in morbum diligentiùs inquiſivi, cùm autem nudatô pectore & dorſo petechiæ oculis ſeſe objicerent & morem morbi omnem ac medicamenta jam data intellexiſſem, nullum V.S. hìc locum eſſe relictum docui, tùm quòd emeticô & vi morbi vires proſtratæ, tùm quòd maculæ erupiſſent &c. & re infectâ diſceſſi. Non acquievit verò alter, ſed circa XII mam ſanguinem largiter educi juſſit. Quô facto diſparuere maculæ, ſecutus ſingultus ac deinde mors. Frater ægri lecto ſemper adſtans in eundem morbum majoribus comitatũ ſymptomatibus incidit, ſed omiſſo vomitu, V. S. & calidioribus, à me, Deô juvante, fuit contra omnium ſpem reſtitutus.

(*Miſſa Menſe Majo. 1700, Uratislavia. Norimb.*)

OBSER-

OBSERVATIO. CXXXIII.

DN. D. SYLV. SAMUELIS ANHORNII DE HARTWISS,

De Abortu feliciter inhibito.

ANimal in animali vocat uterum Helmontius, propter plurima quæ ſequior ſexus pati incommoda, ex uteri vitio oriunda, pro genio ſuo fingebat. Variæ is utique expoſitus eſt violentiæ, in partu præprimis non modò foetus qui ſuam jam τελειογενίαν aſſecutus eſt; ſed etiam qui intempeſtivè è matris gremio ejicitur, & vivere deſinit antequam naſcatur. Plurima tamen utero dicata mala ipſo inſonte contingere, & vel geniture fermentali odore turgenti, vel ſanguinis vitiato motui, vel deſtructo partium nervoſarum tono adſcribenda eſſe, jam dudum obſervârunt ſaniores: imponere tamen aliquando oculiſſimis circumſtantiarum haud exactè gnaris, & certam foetui, ſi non & matri perniciem parare poſſe unius alicujus ſymptomatis neglectum, ex ſequenti caſu conſtabit.

Inſignis Familiæ Dna. 31. annos nata, ſanguine acriore ſalibus ſcorbuticis multum ſaturato prædita, hinc lymphæ exundationibus, catarrhis, odontalgiæ, cephalalgiæ & tuſſi crebrius obnoxia, promti at generoſi animi, in functionibus quibuſvis expedita, modò lunari tributo ſegnior atque inordinata, ſatis tamen tum temporis larga. Anno 1682. ætatis 16. Viro valetudinis athleticæ ac maximè ſanguineo nupta, poſt ſeſquiannum utero concepit. Menſem ab impregnatione tertium citra notabilis moleſtiæ ſenſum complevit, & en! mediâ nocte ex incendio quod Coenobii domum ſibi propinquam corripuit, terrore ingenti concuſſa, inter curſitandum ad terga delabitur, & poſt moderatum in lumbis dolorem, tertio abhinc die cum prævio fluxu cruento puſilli foetûs ſtamina infauſto niſu excludit. Abhinc quindecim annorum tempore, abortus non pauciores, ſingulos ſub tertii ab impregnatione menſis finem, ſummo cum Ampliſſimæ. Familiæ luctu paſſa eſt, non expertiſſima quacunque à Celeberrimis Medicis conquiſitâ arte, quidquam contrà proficiente. Excelentiſſ. D. D. Harderus Scaffhuſienſium Poliater feliciſſimus ὁ νῦν ἐν ἁγίοις, in medium conſuluit, ut ſanguinis acrioris, menſium conſueto tempore æſtuantis, & ad uterum violentius irruentis, vaſa & cotyledones perrumpentis, atque tenelli embryonis

 primor-

primordia inundantis & ſuffocantis copia, ſub ſecundi & tertii à conceptione menſis finem, modicâ veneſectione detraheretur, interea optima quæque uterina, nervina, ſanguinem contemperantia, ejus æſtum extinguentia & ſalia acriora corrigentia ex Bez. Lunar Jovial. Corall. r. Bol. Armen. et ſang Drac. exhiberentur: quæ ſingula pro lege ſua in uſum ducta ſunt ſucceſſu haud optato. Aliis ad exturbanda ſalia, acidulæ potentiores viſæ, datæ ſunt ipſi ab octava ad duodecimam graviditatis hebdomadā jejuno ſtomacho ad ℔. duas potandæ: ſimul etiam ad confortandum ex caſu illo debilitatum uterum, ceu delendam ejus cicatricem, uti Medicorum Tigurinorum Coryphæus, Excell D. D. Lavaterus opinabatur, fortè tamen, ad relaxata fortiore illa concuſſione ejuſdem ligamenta ſtringenda atque firmanda, balneum ex herbis uterino traumaticis, duabus de die horis in uſum vocatum eſt: at his omnibus non hoc quidem impetrâſſe datum, ut vel momentum tranſcenderet conſuetum abortiendi terminum. Anno *1687* communi ſuffragio in uſum vocatis Thermis in Argovia ſitis Badenſibus, valde ſe incaluiſſe, delaſſatam imò ſterilem redditam eſſe ſibi perſuaſit, dum biennii tempore uterum non tulit, Anno 1688 ad Thermas Fabarienſes profecta, optima quæque ex earum potu ſibi promiſit; at inani gaudio capta, triſtem cum tempore cataſtrophen tertio imprægnationis menſe ut olim experta eſt. ὁ πάνυ Colendiſſimus noſter, nunc beatiſſimus D. D. Wepferus, ſignis conceptionis in poſterum apparentibus, quiete corporis animique injunctâ, & diætæ exactiſſimæ ratione, (vitatis ſedulò bene ſalitis, acidis, acribus & aromatiſatis) inculcatâ, ſanguinem eruptionis menſium tempore detrahi, & Opiatam cum pulveribus abſorbentibus, uteri & ſanguinis compagem firmantibus, ſtrenuè in uſum vocari, lumbos & hypogaſtrium unguenco com iriſſæ inungi, vel emplaſtro ſantalino munire præcepit: unde gravida, quiete, verbis, conſortio, medicamentis pro viribus ſuſtentata, nihilominus magno ex enormi hæmorrhagia cum vitæ periculo, nono demùm die abortiit. Anno 1694. Thermas Fabarienſes denuo notabili cum valetudinis augmento potavit. Hyeme verò ut hactenus idem paſſa eſt. Sequente anno 1695 easdem & potu & in ſeſſu adhibere decrevit. Ex eo mox gravida facta, omne tempus in lecto quieta tranſegit, & ſpretis aliis prophylacticis, non niſi diætam exactam obſervavit; at vix tertio menſe ſuperato, licet ſtatim ac ſigna fluoris uterini apparerent, repetitâ venæſectione malo occurreret, ex ſanguinis ad uſque deliquia profuſione tandemque gemelli fœtûs excluſione, tantùm non occubuit; & ſic etiam deinceps

nun-

nunquam non præſentiſſimo cum vitæ periculo infelix puerperium luit. Anno 1698. Ill. Natur. Curios. Præſes Magnif. D. D. Lucas Schrökius in conſilium ſolicitè rogatus, partium nervoſarum ex ſupino iſto caſu validè ſuccuſſarum reſtitanti debilitati, ſanguiniſque (quod per venæſectionem patuit) limpido ſuo vehiculo deſtituti ſpiſſiori diatheſi, cauſam tribuens, eundem conceptione factâ in vaſis uterinis obhærentem & à ſalium levi de cauſa ferocientium acredine in motum concitatum, eruptionem quâ datâ portâ tentare, tenelli fætûs acetabula perrumpere, ſicque abortum concitare, haud fallaci augurio ſtatuit: utque ad craſin ſanguinis extra graviditatis tempus emendandam, & læſarum partium tonum reſtituendum, juſcla caponum vel gallinarum cum herb. chærefol. beton. bellid. naſturt. & rad. cichor. ac ſcorzoner. alterata, atque cum gelatina C. C. & eboris convenienter juncta, m. & v. per iij vel iiij. ſeptimanas in uſum vocarentur, & pulveres abſorbentes ſanguini motum æqualem conciliantes, tam intra quàm extra graviditatis tempus, ſtudioſè adhiberentur, ſuaſor extitit. Venæſectionem appropinquante menſium tempore haud omittendam eſſe dixit, & gravidæ pro potu decoctum C. C. Raſp. cum paſſulis & aliquot foliis beton. ac fl. papav. err. dandum eſſe voluit, ſtudioſê his paruit Nobiliſſ. Dna, ſimulque balneo aquæ dulcis nonnunquam inſedit. Menſe Septembri, dum aliquando illius conſortio frui daretur, perterreri ſe ad vota pro ſua fœcunditate nuncupata, ut pote certiſſimam ſibi perniciem minitante, adſeverabat. Ego animum ejus quâ urgebatur ſolicitudine levavi, & in ſpem erexi, ſi mihi aliquando ad ſingula quæ occurrerent ſymptomata à primis conceptionis diebus attendere liceret, ſine dubio ſingulare quid in lucem prodíturum eſſe, quo clarius abortûs cauſa innoteſceret, tantoque facilius præcaveri poſſet, quàm ſi demùm re deploratâ advocarer, vix menſe elapſo promiſſi commonitus, mane & veſperi nobiliſſ. Dnam conveni. Mane præter laſſitudinem lumborum nihil paſſa, urinam ſalibus copioſè ſaturatam excrevit. Veſperi manus præter morem friguêre imò & apices digitorum quaſi Tertianariæ livuêre, & prævii horrores per lumbos vagavêre. Poſt horam circiter, corpus ſenſim in caluit, & pulſus celer & fortior evaſit, at tanta nec frigoris nec caloris vehementia aderat, quæ aliquid in actionibus impedimenti adferret. Interim exactâ periodo circa quartam veſpertinam febrilis orgaſmus acceſſit. Hunc autem ad uſque fatalem abortionis terminum jugiter continuatum, ſemper ſibi hactenus infallibile conceptionis factæ ſignum fuiſſe teſtabatur Nobiliſſ. Dna, nihili verò ſe febriculam feciſſe, tum

 quòd

quòd ultrà trihorium paroxyſmus ſe non extenderit, & ejus causâ lectum tenere nunquam fuerit coacta, tum etiam quòd à pluribus aliis inaudierit, ſe frigoris & caloris reciprocationibus tempore graviditatio crebrò obnoxias eſſe. Inſtante autem abortu, aliquando præceſſiſſe unicam notabilem corporis ex horore febrili concuſſionem, unde inſignis æſtus, tormina & dolor lumborum, tandemque infauſta hæmorrhagia. Ego de fatalis affectûs causâ ſic feliciter detectâ ipſi gratulatus, & in ſpem melioris ſortis excitatam monui, ut in poſterum circa tertiam veſpertinam in lectum ſe reciperet, donec ſuperato menſe primo ex ſuppreſſis menſtruis, certius quid nobis de graviditate conſtiterit. Non defuêre febriles ataxiæ, quantumvis ſtragulis coopertæ, ſic tamen mites, ut non habitâ earum ratione ubivis obambulare, & negotiis domeſticis vacare ut hactenus conſuevit, valuiſſet. Solenni tandem Catameniorum fluxu non apparente, & conceptionis factæ ex mamillarum punctionibus, urinæ ardore, nauſeâ matutinâ & continuatâ febre veſpentinâ, indubiis ſe ſignis ſiſtentibus; poſt Dei invocatum auxilium, hâc methodo uſus ſum. Omnium primò quoad res non naturales conveniens affectui ordo injunctus, & lecto in hypocauſtum translato, ſubtractâ culcitrâ, lectum more Gallorum, paratum ex lana & ſeta equina ſubſtratum eſt. Cibus conceſſus eſt quem toleravit ſtomachus, ex juſculis hordeatis, oryzatis, avenaceis, lacticiniis & fructibus, coctis, interdum etiam quem vehementer appetiit, licet δύσχυλον. Decocta quævis gratiſſima ſtomachus faſtidivit, Vinum cum duabus aquæ coctæ tertiis mixtum gratiſſimum fuit. Omni corporis motui interdictum & ne quidem in prandio & cœna ſurgere conceſſum fuit. Alvus nî quotidie fecerit officium, alternis diebus clyſmate ex lacte & butyro recenti, & ſi tormina flatulenta adfuerant, cum decoct. fl. chamomill. & ol. olivarum parato, nunquam non cum εὐφορίᾳ ſub ducta eſt. Ex penu Pharmaceutico ſingulâ ſextâ matutinâ & veſpertinâ quintâ, ad uſque quinti menſis initium Corall. Rubr. contuſ non præparat ℈j cum aq. fl. til. in paſtam redactum, & cruſtulo madido (ſ[illegible]ipen) involutum deglutiit. Dum Febricula urgeret, veſpertinâ tertiâ Corall. r. cont. ℈j Cort. Chin. Chin. ℈ß. flor. ✱ gr. iij eodem modo ſubacta hauſit, ac probe ſtragulis cooperta ad lenem uſque madorem, frigoris inſultum, quà potuit ſolertiâ arcebat. Inſultus hyſterici dum ſe quandoque oſcitatione, ventris tenſione & flatuum copiâ proderent, ante pr[illegible]ndium & cœnam Eſſent. Caſtor cum ſp ✱ci paratæ gtt. x, tam ad hoſce depellendos, quàm acores potentius edomandos, & progreſſivum ſanguinis

in

in vaſis minoribus motu vegetandum (ne hoc impedito inteſtinus in æſtum abripiatur) ex hauſtulo potûs ordinarii exhibui. Ex ſingulari tam τέκνο quàm Βιοφιλίᾳ, in minimis morigeram ſe præbuit Optima Domina. Poſt primos ſex dies ataxiæ febriles evanuère, horripilationes tamen quovis diei tempore, ſi minus probè tecta ſe liberius exponeret, redituræ videbantur. Circa ſecundi menſis finem ſanguis ex ſiniſtræ mediana ad ℥iij detractus eſt, unde quietior dormiit. Mane aſſumta ſubinde revomuit. Declinante tertio menſe, quaſi jam hoſte ſuperato, animus pro virili addebatur, modò nihil ſanguinis motum turbantis admittatur. Cephalalgia & inſomnia terrifica, venæſectioni denuò feliciter ceſſerunt. Emplaſtrum ſantalinum lumbis impoſitum continuò geſtabat. Præter oſcitationes, pandiculationes & alia paſſionis hyſtericæ deliramenta, circa veſperam crebriùs obvia, hoc ſibi toties fatali viſo menſis quarti initio, nihil ſe exhibuit notatu dignum. His ſtatim ac obſervatis, mixturâ appropriatâ (ex aq. meliſſ. menth. ana ℥j. fl. til. ℥ij. Eſſent. antihyſter. ʒß Confect. de Hyacinth. ℈ij. & Theriac. cœl. gr. iij) cochleatim propinatâ & juſculo mox deſuper calidè hauſto obviam itum eſt. Eſſentia antihyſterica noſtra, non minùs ſedulò ante prandium & cœnam ad gtt. X continuata fuit, quantò magis ex Illuſtriſſ. Dn. Præſidis dexterrimo conſilio ad ſtagmen potius ſanguinis, quod per ſpasmodicos hoſce inſultus inducitur, præcavendum, quam ſecundarium illum æſtum, fœtus acetabula perrumpentem attendendum eſſe, auſpicatiſſimæ Curæ ſucceſſus nos docuit. Menſe quarto decurrente, & fœtu ſe multis indiciis commovente animum recepit Nobiliſſ. Domina, attamen ob capitis dolores, ſomnum brevem inſomniis turbatiſſimum modicâ ſanguinis detractione opus habuit. Menſe quinto, quantum per horripilationes, quavis occaſione acceptâ recurrere tentantes licuit, lectum ſubinde per momentum deſerere conabatur, moxque illum probè calefactum repetiit. Diffugiente nive & redeuntibus gramina campis & lectum deſeruit & favente cœlo ſubinde exſpatiata languidos artus refecit, tandemque d. 20. Julii 1699. poſt tolerabiles partûs dolores, Thaumaturgi Numinis ſingulari ex gratia deſideratiſſimæ, & hucusque bellè valentis Filiæ, maximo Nobiliſſ. Domûs ſolatio, mater facta eſt.

(*Miſſa Sangallo Auguſtam Vind. d. 5. Julii A. 1700.*

OBSERVATIO CXXXIV.

DN. D. JOHANNIS CASPARI WESTPHALI.

De Inquiſitione in Vinum litharggrio fucatum, occaſione ſacchari Saturni ex lithargyrio confecti, & inde orta noxa.

SIcut inter præcepta de rectè atque ordine inſtituenda rerum naturalium inquiſitione â ſapientibus jamdudum & inter prima relatum conſtat, ne in his ſtudiis occupatus ταχυπειθὴς ſit aut facilè nimis credulus; animus enim hoc dulci errore aut fœdâ labe inſectus, facilè omnia admittit; & contrà, ſecretâ æſtimatione ſecum morari tandemque mori, & in rerum abdita altius deſcendere temerè obliviſcitur: ita dum in hac levidenſi Obſervatione libertati philoſophicæ nonnihil indulgeo, id *pace Excellentiſſimorum*, â quibus tantisper ſeorſum nonnihil ſentio, *Collegarum* id fieri poſſe confido. Dum nempe ſuperioribus annis *Suevia* ferè univerſa atroci quodam morbi genere, linguâ patriâ die Weinkranckheit dicto, graviter affligeretur, iſtius mali violentia curioſam diligentiam Nobiliſſimæ virorum Quadrigæ, *Brunneri* nimirum, *Gockelii*, *Vicarii* & *Jägerſchmidii*, provocavit, ut partim in *Ephemerid. Noſtris Academicis*, *Anno* videlicet *III. Decuriæ III. Obſ. 53.* nec non *Anno IV. Obſ. 30. 92.* & *100*, partim etiam peculiari eâque venuſtiſſimâ opera, de triſtiſſimo affectu doctiſſimè commentati fuerint, ac infauſtam originem ac incunabula tanti morbi *vino per lithargyrium corrupto*, uno ore adſcripſerint; dum, inquam, hiſtoria hæc morbi ex literis & tabellis publicis apud nos innoteſceret, primitus in eam delapſus ſum opinionem, vel potius errorem, morbum hunc nihil aliud eſſe, quàm choleram quandam epidemicè graſſantem, qualem quidem olim *Riverius Cent. III. Obſ. 78.* ac *Obſ. Morbor. infrequent. 26. Williſius Pharm. Ration. P. I.* ſub nomine *Dyſenteriæ incruentæ*, & *Sydenham Tract. de Morb. acutis*, ſatis luculenter delinearunt; imprimis cùm vinum lithargyrio dulcificatum nihil aliud videretur quàm ſaccharum Saturni quaſi liquidum, aut in liquorem redactum, quod ipſum in Officinis pharmaceuticis non raro ex lithargyrio parari ſolet, ex cujus tamen uſu tam ſæva ſymptomata aut rariſſimè, aut ne vix quidem, obſervata fuerunt.

Quam-

Quamvis enim per experientiam compertum quidem ſit, quôd vel ex ſolius ſacchari Saturni abuſu ſpasmodica abdominis pathemata aliquando oborta fuerint, uti nominatim *Petr. Borellus Cent. IV. Obſ. 22.* congelationem & paralyſin univerſalem; *ὁ πάνυ Ettmüllerus Tom. II. Opp. pag. 332. & 333*, ut & Academiæ Fridericianæ Lumen indies magis exſplendens, Nobiliſſ. DN. D. *Hoffmannus in Notis aureolis ad Poterium p. 606.* coloicam convulſivam; & diligentiſſimus Linear. Medicar. Apelles-Medicus, *Riedlinus, anni 1695. Menſe Majo Obſ 31.* tormina ventris & atrophiam, *Lemery verò Curſu Chymico pag. mea 136.* ipſam dyſenteriam exinde obſervarint: ego tamen, propriâ experientiâ nunc edoctus, hoſce obſervatos effectus non facile omni & cuicunque etiam ſaccharo Saturni, qua tali, ſed ſaltem illi, quod ex lithargyrio confici ſolet, attribuere vellem; cui etiam ſententiæ favent viri in arte pharmaceutica quondam incomparabiles, *Dan. Ludovici in Pharm. p. m. 598.* et B. *Ettmüllerus*, qui in ſupremo ante fata labore, quo *Schrœderi Pharmaciam per Collegium* denuò mirum quantum *illuſtravit*, quodque Amicus ex amore in publicum, & pro corrigendis ac augendis â me denuo beatiſſimi Viri operibus, benevolè mecum communicavit, de ea re, ubi de Lithargyrio, ita prudenter judicavit:

> *Saccharum hoc* (Saturni ex lithargyrio paratum:) *ratione præparationis unum & idem eſt cum illo, quod fit ex minio aut plumbo uſto; ratione effectus tamen in uſu interno maximè differt, propter admiſtas venereas aliaſque particulas heterogeneas, quibus plumbum ſub fuſione & depuratione auri & argenti imprægnatur. Externè tutò poteſt adhiberi, &c.*

Neque ego, quod bonâ fide affirmare poſſum, ex ſacchari Saturni, modò legitimè, & juxta modum alias uſitatum, nempe aut ex minio per acetum deſtillatum, vel ſolitarium vel cum ſpiritu nitri acuatum, aut cui ex lithargyrio conficere lubet, per ſolum tantùm acetum deſtillatum, præparetur, & circumſpectè adhibeatur, unquam ulla, imò ne minima quidem, abdominis pathemata aut dolores obſervare potui, prout B. *Ettmüllerus* illud ipſum, *tanquam egregium & nobile remedium in colica, diarrhœa, ac dyſenteria*, quodque *contra furioſa dyſenteriæ tormina multæ utilitatis deprædicat*, uti videre licet Tom. *I. Opp. pag. 476. & 851.* atque T. *II. p. 134. & 162*: cum quo conferri ſimul meretur eruditiſſimum Scholion *Doctiſſimi Vicarii in obſervationem propriam ſuprà allegatam p. 211 & 213.* Contrà verò plumbi ſeu Saturni ſaccharum ex li-

gyrio paratum, ſemper mihi ſuſpectum fuit, idque ideò, quia lithargyrium nil aliud eſt, quàm plumbum vehementiſſimo & ferè ultimo ignis gradu calcinatum, â depuratione auri, vel argenti imprimis, in fornace cinerea, in qua mediante plumbo particulæ venereæ aliæque heterogeneæ ac ſemimetallicæ ab argento ſeparantur; vulgò den Treibherd vocant.) reſiduum, adeoquè omni fumo virulento (poſt calcinationem nimirum:) particulisque ac principiis Mercurialibus activis, plumbo crudo aliàs non denegandis, deſtitutum; ſegmentis tamen metallicis vilioribus, immaturis, ac ſemimetallicis, in ſpecie vero particulis copioſis cupreis ſeu venereis, probabiliter etiam arſenicalibus, argento ferè inſeparabiliter adhærentibus, largiter impragnatum. Mineras enim argenteas quasdam, in ſpecie obſcurè rubeſcentes, das rothgüldene Ertz / oder die Ungariſche Gold-Blume / copioſo arſenico ſcatere, experimento curioſo, præter *Zuvelferum in Mant Hermetica*, probat *B. Ettmüllerus Tom. I. in Colleg. Pharm. Schrœder. pag. 811. & 832.* cui accedit figulorum noſtratium relatio, quod feles nempe & canes, modo de lithargyrio lævigato & cum aqua diluto lambant, illicò moriantur. Ideoquè, cum anno 1679. toties laudatus & nunquam ſatis laudandus *Ettmüllerus* mecum in prædium non procul abhinc diſſitum, Neuhauß / ad curandam fœminam nobilem cacheƈticam & hydropi proximam, contumacius cephalalgiâ laborantem, evocatus eſſet, inveniebamus, inter aliam ſupelleƈtilem medicamentoſam, tincturam lunæ cœruleam, â Medico quodam Halenſi in ſolatium cephalalgiæ, ſubmiſſam, â cujus tamen uſu miſera in continuam nauſeam & creberrimos adeoquè moleſtiſſimos vomenti conatus delaberetur, ubi ſummus vir ϛοχασμῷ, quo ad miraculum pollebat, acri ac promto ſtatim tragœdiam omnem medicamento lunari aſſignans, ulteriorem illius uſum ſeverè prohibebat; quo facto, Nos, habitâ conſultatione, in proximum cubiculum diſceſſimus, ubi ego, cùm meas nugas ſemper benevolâ aure facilè admitteret, idem dubium, occaſione hujus phænomeni de ſaccharo Saturni ex lithargyrio parato movebam; quam verò ſuſpicionem â me ſequentibus rationibus, ac rectè quidem, iisque ſolidiſſimis, removere tentabat, ſcilicèt: (1.) quod tincturæ lunæ vulgares cœruleæ puræ putæ ſint ſolutiones venereæ, de luna ne tantillum participantes; in lithargyrio contrà particulæ Venereæ reſpectu totius molis pauciſſimæ: (2.) quod plumbo eædem compactiores ſint ac duriores: & cùm (3) acetum deſtillatum primâ affuſione partes ſaltem plumbi longè præponderantes ac poroſiores ſtatim aggrederetur, ac ab his in momento quaſi ſaturetur, particulis cupreis,

& qui-

& quidem magis compactioribus, ac hinc inde diſperſis, ſolvendis ineptum fiat. Quare me fruſtrà ab hoc Saturni ſacchari uſu abhorrere. Lubens tamen vir ἰατρικώτατος concedebat, quod ſi quis loco aceti ſpiritum nitri, ad modum præparationis cryſtallorum mineræ plumbeæ, eligeret, ſaccharum Saturni omninò emeticum aut maxime nauſeoſum hinc provenire poſſe. His tandem rationibus, & experientiâ nuperâ jam recenſendâ, convictus nunc lubens conſentio, morbum in Suevia locisque huic vicinis hactenus famoſum, die Wein-Kranckheit / cum omnibus periculoſis ſymptomatis â vino infucato, partim lithargyrii mediante aceto ſolutione, partim illo ipſo in cados injecto, ortum ſuum omninò traxiſſe. Rem omnem ſequens ex lithargyrio obſervatio ſine dubio ulterius illuſtrabit: Nempe menſe Martio anni præterlapſi 1698. pro conficienda tinctura D. Michaëlis antiphthiſica ſaccharo Saturni mihi opus erat, deficiente verò pro labore hoc ſufficiente minii quantitate, illud ex lithargyrio præparabam, acetum verò deſtillatum, pro meliore & ſolutione & penetratione nec non feliciori elegantiorique cryſtalliſatione, cum quarta ſpiritus nitri parte acuebam. Menſe verò jam dicti anni Julio vir quidam hypochondriacus, criminis cujusdam accuſatus, ac re per inquiſitionem cognitâ â munere ad tempus remotus, delirio melancholico per paroxyſmos quotidie, ad modum tertianæ duplicatæ, corripiebatur, ac curæ meæ ſe committebat: cui quidem, præmiſſo ſtatim vomitorio, unâ vel alterâ ante inſtantem proxyſmum horâ, pulveres ex *coralio rubro, arcano duplicato, ſaccharo Saturni* (dicto modo parato:) *& camphorâ*, ad præceptoris imitationem compoſitos, exhiberi curabam; â quorum tamen uſu ſtatim dira ac infauſta inſequebantur abdominis tormina ſpasmodica, præcordiorum anxietates, ac uno verbo; omnia ferè illa ſymptomata, quæ laudatus *Ettmüllerus* T. *II.* Opp. *pag. 332 ubi de curis Febrium Intermittentium perverſis* agit, diffuſius recenſet, excepto ſaltem aſthmate; cumque hac differentia, quòd primis quatuor diebus, unâ cum cardialgia, diarrhœam torminoſam, incruentam tamen, reliquis verò diebus loco diarrhœæ pertinacem alvi obſtructionem, ſine ullo tamen vomitu, pateretur: quæ ſymptomata, intermiſsâ ulteriori pulverum exhibitione, uſu laudani opiati, ad grana duo cum cryſtallo & coralio juncti, bis aut ter repetito facilè conquieſcebant. Inter hæc autem doloroſa ſymptomata ſpasmodica paroxyſmi delirii hypochondriaci fiebant inordinati, quinimò penitus tandem remittebant: ipſâ verò melancholiâ, una cum vigiliis, pavore & anxietate, trium ſeptimanarum ſpatiô

nimium adhuc urgente, mane propinabam liquorem Martis Solar. & tempore ſomni pilulas B. *Ettmüllero* alias uſitatas, & T. *II. Opp. p. 960. & 1596.* deſcriptas, ex *ſaccharo Saturni, laudano opiato, & camphora;* quo facto, primis duabus aut tribus noctibus placidè quidem ſomnum capiebat, & anxietates atque pavores hypochondriaco-melancholici in miſeri ſolatium notanter evaneſcebant. Ceſſante verò opii effectu, ac renovato dicti Sacchari Saturni uſu, opio ſemper pilulis dictis in dimidia doſi adjecto non obſtante, dolores dicti abdominis, & ſimul circa os ſacrum, unà cum iſchuria ſpaſmodica, Nephritide Notha aliàs dicta, ad modum quo *Dravvizius in Tract. de Scorbuto Tit. 8. & 9.* delineat, de novo accendebantur; quâ ratione, nullâ ſuſpicione de ſaccharo Saturni concepta, dolores dicti abdominis & dorſi, ſcorbuticis aliàs ſolenniſſimi, mentem ſubibant, unde pilulis ſepoſitis, methodum tantiſper variare, & ad ſcorbutum mentem magis dirigere, volupe fuit: quo quidem conſilio tormina illa, ægro ultra octiduum (loci enim diſtantia celerioris auxilii applicationem excludebat:) convellentia, beneficio clyſterum anodynorum, terebinthinatorum, pulverum abſorbentium appropriatorum cum laudano opiato ſociatorum, hinc continuato ſpiritus carminativi de tribus cum eſſentia corticum aurantiorum & camphora conjuncti uſu, non omiſſis externis fomentis, linimentis, imprimis emplaſtro ex galbano, tacamahaca, &c. iterum ſic ſatis feliciter conſopiebantur. Pavoribus intereà & conſternationibus illis melancholicis cum pervigiliis ſæviſſimè urgentibus, ad curam priorem hactenus intermiſſam, tanquam primariam & radicalem, cum liquore nempe Martis Solar. & pilulis dictis, tertiâ vice devenire iterum neceſſarium duxi, ubi verò denuò diarrhœa maximè doloroſa ingruebat, quâ ſedatâ pertinaciſſima alvi ſegnities, unà cum torminibus, pareſi ac contractura quaſi manuum ac pedum, remanebat. His cum admiratione & ſtupore à me obſervatis, tandem omnem cauſam in ſaccharum Saturni haud vanè conjiciebam, idque eò promptius, quod tum etiam hiſtoria ab *Ettmüllero* T. *II. Opp. pag. 332.* recenſita, in ejusdem evolutione mihi obvia fieret, morbusque vulgò vinoſus dictus à vino lithargyriato hactenus derivatus, animo ſimul altius inſideret. Seponebam igitur Saturni ſaccharum hoc, & aliud ex ceruſſa mediante aceto deſtillato, hactenus dicto modo acuato, præparabam. Interim, ut prioris noxæ amplius certior fierem, illud ipſum experimenti gratiâ tribus ancillis, tam tenerioris quàm firmioris texturæ, exhibui, quibus tamen omnibus ſimiliter tormina abdominis; huic quidem cum ſolâ diarrhoea, illi, & quidem tenerioris texturæ & ex chloroſi cachecticæ, cum diarrhœa ac

vo-

vomitu inſtar choleræ; & iſti ſolâ & pertinaci alvi obſtructioni, conjunctis ſuperveniebant: quæ verò uſu abſorbentium & laudani opiati facilè ceſſabant. Firmiter itaque credo, quòd omnis iſthæc noxa â particulis veneris, arſenicalibus, aliisque ſemimetallicis lithargyrio adhærentibus, ſine ulla particularum Mercurialium latitantium ſuſpicione (utpote quæ ſub argenti depuratione ac vehementiſſima illa ignis tortura calcinatoria, unà cum ſuppoſito paracelſiſtarum principio Mercuriali, modernorum verò humiditate metallicâ viſcoſâ ac quaſi Mercuriali, quantæ quantæ in auras avolare coguntur:) derivanda ſit; & quidem eò magis, partim quòd acetum deſtillatum cum ſpiritu nitri acuatum texturam lithargyrii altius penetrarit, particulaſque dictas venereas aliaſque ſemimetallicas ſimul magis recluſerit; partim etiam, quod dictæ particulæ acido ſpiritus nitri auſtero ſaturatæ, ſociato liquoris Martis Solaris uſu, ex ſaccharo Saturni in primis viis præcipitatæ fuerit. In melancholico autem dicto poſtmodum propinatum Saturni ſaccharum ex ceruſſa præparatum pariter omittendum erat, quippe cujus uſu ſeceſſus copioſi, utut ſine notabilibus torminibus aliaque noxa, tam in hoc quàm in aliis hactenus ſubjectis obſervabantur. Eidem tandem Saturni ſaccharum ex minio mediante ſolo aceto deſtillato paratum diligenter adhibui, idque ſine ullo incommodo, niſi quod alvi obſtructio ipſi aliàs habitualis magis increſceret, ita quidem, ut cùm tribus quatuorvè diebus alvum anteà non depoſuerit, tum ad ſex vel ſeptem dies ab uſu medicamenti hujus obſtrueretur; quæ tamen obſtructio, interpoſito noto ſatis decocto paſſulato cum infuſa ſenna, quod B. *Ettmüllerus in Diſſ. de Dolore Hypoch. cap. 5. & alibi* communicavit, præcavebatur: æger hoc tempore, ſumptis poſt Martialia & Satunina in auxilium ſocium elixyriis ac eſſentiis appropriatis amaricantibus, volatilibus, caſtoreo ac camphorâ probè imprægnatis, quoad melancholiam, præſertim cùm vigore ſententiæ â Jctis latæ in integrum reſtitutus; & mente & corpore valens egregiè rerum ſuarum ſatagit, ac demandato officio fungitur. Illud tamen notari adhuc velim, me anteâ cum ſaccharo Saturni ex lithargyrio parato tincturam antiphthiſicam confeciſſe, nec tamen ullam noxam exinde obſervaſſe, idque dubio procul ideo, quòd conjunctione vitrioli Martis particulæ venereæ & aliæ heterogeneæ præcipitatæ fuerint.

Quâ verò ratione ſaccharum Saturni, ex ceruſſa paratum diarrhœam excitaverit, curioſâ indagatione non indigna res videtur. Meo quidem judicio ceruſſam non ex perfecto jam plumbo, ſed minera quadam Saturnina, tam argento, quàm particulis heterogeneis ſemimetallicis aliis, adhuc referta confici autumo; ceruſſæ enim vulgaris præ-

parandi modum mihi incognitum eſſe, fateor. Et licet hoc fine tum à me ipſo, tum amico quodam, literæ Fribergam & Annæbergam miſſæ fuerint, hujus tamen conficiendi modi nondum certiores facti ſumus; omnes tamen in univerſum Chymico-Pharmaceutici ſcriptores, eandem ex plumbi laminis mediante aceti vapore calcinatis ſeu corroſis confici ſolere, dicunt. Ego præterea differentiam quandam, inter ceruſſam hanc Chymicâ methodo paratam, & inter vulgarem in Officinis Mercatoriis venalem, ſignis ſuis manifeſtam, deprehendere viſus ſum: hæc enim in ore non eſt reſolubilis, ſed potius concretum terreum, inſipidum ferè, apparet; cùm illa contrà per vaporem aceti parata inſtar ſacchari Saturni in ore reſolubilis & ſaporis ſalini nauſeoſo-dulcis eſſe ſoleat: ad cujus præparationem (1) multum temporis requireretur; (2) ambigendum eſſet, unde ſufficiens tantæ ceruſſæ copiæ parandæ, ſingulisque nundinis Lipſienſibus divendendæ, vini acetum deſumendum; ut pretii vilitatem taceam, quo ceruſſa vulgaris, & quidem ex unico loco advecta, divenditur: & quamvis (3.) loco aceti vini aliud acetum vegetabile confici ac operationi huic inſervire poſſet, illa tamen præparatio ipſa ac calcinatio vaporoſa in ſe eſſet tædioſa ac tardiſſima, nec tanta ejus copia, quanta ſingulis Nundinis Lipſiam adfertur, intereà temporis confici poſſet. Satiùs itaque duxi arbitrari; cerusſam hanc in tabernis mercatorum venalem nil aliud eſſe niſi mineram quandam Saturni corroſam ac ſolutam, & in magiſterium quaſi præcipitatam, quod edulcoratum in forma conica conglobetur.

Interim vim catharcticam â luna in mineris plumbeis ſociata commode derivari poſſe, arbitror, præprimis cùm ſæpè laudatus *Ettmüllerus in ſuprà dictò Collegio Pharmaceutico* mentionem faciat *loci cujusdam prope Fribergam, quo optimum inveniatur plumbum, magnam argenti copiam ſecum vehens, unde medicamentum purgans exinde parari poſſe* innuit; quod porrò etiam, præter teſtimonium *Erckeri in Aula Subterran. p. 33.* confirmat *in p. I. Opp. p. 848. ipſum* nempe *plumbum argenti commercio gaudere, & in teſta probatoria calcinatum, aliquid de argento perfecto relinquere.* Nec obſtat, quod minium pariter nihil aliud ſit, quàm plumbum calcinatum, ex cujus confecto Saturni ſaccharo nulli ſeceſſus, ſed intenſior potius alvi adſtrictio, obſervata fuerit: verum tamen ſub minii confectione & fortiſſima illa ignis tortura, argenti volatiliores & draſticæ particulæ avolant, argento fixiore remanente, quod acetum deſtillatum propter plumbi partes poroſiores ac longè præponderantes, non attingit cùm contrà mineræ plumbeæ ſub ceruſſæ vulgaris præparatione

ſuppo-

ſuppoſita, ab aceto ſubſtantialiter corrodi poſſint; unde caſtratâ particularum lunarium vi emeticâ ac nauſeâ, vis cathartica tantùm remanet.

Cùm autem verus ac genuinus ceruſſam præparandi modus me adhucdum lateat, judicium deciſivum de ſacchari Saturni ex ceruſſa parati virtute catharctica ſuſpendo, atque rem omnem in arte Chymica & metallurgica peritioribus decidendam meritò relinquo.

OBSERVATIO CXXXV.

DN. D. JOHANNIS CASPARI WESTPHALI.

De Delirio Amoroſo.

AMantes *Amentes*: in vulgus notum proverbium eſt, & non raró veriverbium, adeò, ut *Pontificis Romani, Sixti*, effato: *Amare & ſapere vix Deo concedatur*; Id quod Illuſtris ille Angliæ Cancellarius, *Franciſcus Baconus, Baro de verulamio, Tract. ſerm. Fidel. p. 1154* refert. Sicut enim perpetua unius rei meditatio non illuſtrat, ſed, unà cum mente, ſpiritus animales confundit atque turbat: ita nec mirum amantes, quorum mens nihil quicquam aliud, præter amaſiam fortius impreſſam & perditè adamatam, cogitat, vel ex abolita vel depravata potius memoria ac ratiocinatione delirium, nunc cum nunc ſine febre, tandemque maniam incurrere. *Utut enim varia delirantium, pro diverſitate ſubjectorum, ſint phantaſmata*, quam concluſionem permultis ex Medicinæ proceribus deſumptis hiſtoriolis *Deſideratiſſimus noſter quondam Præceptor, B. Ettmüllerus, Tom. 11. Opp. p. 1. pag. 948. infert, nihilominus tamen unum ſaltem eſſe*, pergit, *circa quod occupentur ordinariò melancholici, & utplurimum pro determinatione phantaſmatis cauſas habere externas, vel objectum quoddam, quod aut fortius placet aut diſplicet (unde ibi deſiderium, hic fuga: adeoque affectus inſignes excitet, aut quòd ſæpiùs occurrat, aut ſuper quo illi certam reflexionem faciant. Quod objectum per ſenſus externos ſpiritibus vitioſè conſtitutis fortius impreſſum, eos ſubindè, iisdem motibus in cerebro ſæpè reiteratis, cieri vel rotari facere, cujus continuati motus occaſione anima rationalis eundem conceptum vel ideam, ſeu ſpeciem intelligibilem & intentionalem (voca ut lubet) continuo formet & eliciat.* Seu, ut idem ἰατρικώτατος Vir ibidem ulterius ſe explicat, *inde his deliriis determi-*

terminatis ſolet fieri, ut in ægris jam melancholicis, nondum tamen delirantibus, ab objecto quodam externo fortius affectis, ejusque vel ratione complacentiæ vel diſplicentiæ, impreſſione forti oriantur affectus animi graviores, ratione quorum certum & determinatum delirium patiantur melancholicum ſuper unicum objectum. Conf. etiam *Gladbach Idea prax. Medicæ p. 216. §. 22.* Varia inter hæc objecta Amor non ultimum eſſe ſolet, qui ſicut non infelix, nec nimis ſaucians, juxta *ſuprà laudatum Baconum de Verulamio Tract. Hiſtor vitæ & Mortis p. 533.* ex genere gaudii eſt, & easdem leges ſubit, quas de gaudio *pag. antecedente* ponit: ita in contrarium partem infelix, vel nimis ſaucians, ſuos clientes varie afficit, quatenus quosdam ſuprà dictis malis, & pro diverſitate ſubjectorum variis aliis, mulctat. Unde etiam *Gregorius Horſtius, Diſſ. 11. de Natura Amoris p. 430.* ubi amoris veſani efficaciam ſatis ſuperque explicat, *Amorem faſcinationem quandam eſſe*, aſſerit; qui etiam in *Inſtitut. Med. Diſp. VII. pag. 293.* furorem uterinum impreſſioni cujusdam nimium appetiti objecti imputat. Illuſtrantur magis hæc variis ac curioſis illis exemplis delirii ac maniæ amoroſæ, â multis Practicis, & imprimis in *Ephemer. Noſtris Acad. Leopoldino - imperialis*, collectis & notatis. Sic *Decur. 1. Anno VI. & VII. Obſ. 54.* refertur ex amore phrenitis, balneo deſiderato curata: *ejusdem Dec. Anno IX. & X. Obſ. 58.* Delirium Amoroſum ſub Affectus Hyſterici titulo proponitur: *Decur. II. Anno I. Obſ 2.* amentia ex amore in virgine 33 annorum orta, cui ſponſus caſtra ſecutus valedixerat, reditu tamen ejuſdem ac matrimonio curata, enarratur: tandemque *Decur. III. Anno II. Obſ. 57.* mentio fit febris amatoriæ in virgine. Quo referenda etiam certo modo eſt catalepſis, quam ex repudio inopinato matrimonii, & inde orta ingenti animi ægritudine, obſervavit *Tulpius l. I. cap. 22.* Plura alia reperiuntur apud ſupra laudatum *Horſtium L. II. Obſ. 18. Beverovicium P. I.* Schatzes der Geſundheit *cap. 4 pag. 42. ſeqq. Zacutum Luſitanum Prax. Med Admir. L. II. Panarolum Pent. III. Obſ. 14. & Schenck. in Obſ. med. L. 1. pag. 141.*

Similem Amentiam & Delirium Amoroſum, ſtratagemate curatum, jam Obſervatione ſequenti ſiſtam. Anno nimirum æreæ Chriſt. 1698. menſe Julio in oppidulo nobis vicino, quod *Brena* audit, *mercenarius quidam, Georgius Voigt*, delirio quodam furioſo, cujus cauſâ etiam in carcerem deductus erat, miſerè affligebatur. Die ergò 28. Julii â Magiſtratu in morbi cognitionem & curam requiſitus, ægrum, perluſtratis prius Actis Judicialibus, in cuſtodia bis viſitavi, collatoque hinc morbo cum cauſis occaſionalibus, quas partim ex Actis, partim ex adſtanti-

bus

bus, ſedulò inquirendo didiceram, Delirium Eroticum ſeu Amoroſum cum febre lenta, paroxyſmatim quotidianæ continuæ inſtar affligente, ſubeſſe concludebam; paroxyſmi ſiquidem exacerbationis huc uſque primordia ſua cœperant manè horâ quintâ cum algore, poſt meridiem verò horâ quartâ remiſerant, quo tempore nimirum calor (in ſtatu paroxyſmi cum ſiti & furore intenſior:) ceſſaverat, ſuperſtite tamen calore lento continuo ac delirio leviori. Primùm adveniens horâ nonâ antemeridianâ ægrum toto corpore, exceptis artuum extremitatibus adhuc algentibus, tepidè calentem, poſt meridiem autem auditâ horâ primâ inſigniter æſtuantem ac ſitientem, offendi. Pariter etiam â Balneatore loci aliiſque adſtantibus reſcivi, in omnibus hactenus paroxyſmis grave quoddam delirium cum furore obſervatum fuiſſe, quod ipſe etiam æger jam, antequam in carcerem mitteretur, variis actionibus probaverat; utpote qui e. g. ancillis, graminum acervos portantibus, collo ſe ſuſpenderat, illasquè humum proſternens in venereos amplexus pellexerat; quin & aurigas equis inſidentes ſervoſque obvenientes cultro falcato, ſutoribus aliàs uſitato, aggreſſus fuerat. Porrò & in ipſo carcere, lictoris nempe hypocauſto, paroxyſmi tempore fornacem pro nido hirundinum habens, impetuoſè diffregerat; aliaque quædam abſurda, nefanda, ac ſanæ rationi minus convenientia, perpetraverat; hinc excrementa alvina, in patina cum potu ordinario miſcendo, intritæ loco avidè devoraverat; nec non genituram maſtupratione prolectam & potui permixtam ingurgitaverat. Nec tamen diffitendum, me præſente non æquè ac anteá deliraſſe noſtrum, poſtquam â Balneatore memorato æger veſperâ antecedente grana duo laudani opiati in aquâ florum tiliæ diſſoluti contra vigilias nimias, hinc clamores aliaſque moleſtias nocturnas ſopiendas (quod Indicans ipſe Balneator prætendebat) acceperat; hoc enim, ſpiritibus animalibus furiosè agitatis torporem ac ſtuporem inducendo, illorum furorem tunc temporis in tantum cohibuerat. Maxima tamen pars cauſæ furoris remittentis, ſuppreſſique ferè delirii, amaſiæ debebatur, utpote quæ ad noſtrum inſtinctum cum illo blandè confabulari ac conſolari non detrectabat.

Ægrotus nempe noſter, homo cæteroquin laborioſiſſimus, natione Vandalus, hoſpitam ſuam, relictam civis Brenenſis, Chriſtiani Krumbigelii, viduam (cujus ſcilicèt hoſpitio ultra annum uſus erat, idque ſine omni hoſpitæ incommodo, quippe quæ voluntariam & induſtriam ejus in cura rei familiaris aſſiſtentiam halcyoniis interdum, blandiſque allocutionibus, compenſaverat) deperire cœpit; quos verò

 ignes

ignes cum diu celare haud potis exiſteret, reciprocum amorem petere non dubitavit: atque ſic de amore cum vidua paulatim incipit agere, nuptiarumque ſpem inſtanter urget; quin & cubiculum demum amaſiæ per tectum effractum de nocte ſubintrans, mulierem, quam in lecto comprimere conabatur, unà cum liberis circumcubantibus, ad clamores & auxilium implorandum coëgit. Vidua tum dementiæ ejus miſerta liberius mentem explicat, ejusque deſiderium, multis rationibus adductis, apertè abnuit. Hic ſpe ſuâ ejectus, repudiique certior factus, perturbatur, angitur, delirat; nec mirum! ipſis Actis judicialibus omnibuſque incolis vitam hominis ſolitariam, animum ſibi relictum ac placidum, orisque ſilentium teſtantibus illum ad melancholiam diſponi: uude ob nimiam ideæ amoroſæ impreſſionem, canicularium æſtu adminiculante, delirium ipſum melancholicum, in ſpecie eroticum, facilè incurrere potuit, uti ex ulteriori hiſtoriæ contextu patebit.

Ego primùm cum Chirurgo Noſtro Aulico, Samuele Auerbachio (qui quidem aliud ob negotium itineris comes mihi erat) eum accedens, morbi ſtatum eò melius expiſcaturus, Nos ad curam ejus impenſis Krumbigeliæ, amaſiæ putatitiæ, cujus & nomine illum ſalutabamus, Delitio accerſitos eſſe, ſimulabam: quo vix audito, ad ſe ſtatim redibat, ac ſobriè loquendo gaudium conceptum ſatis luculenter teſtabatur. Hoc viſo, ab oppiduli Inſpectore cæterisque Senatoribus præſentibus Krumbigeliæ conſilio meo injungebatur, ut alterâ viſitatione noſtrâ ægrotum ſimul accederet, aſſerta noſtra affabiliter repeteret ac confirmaret, nec non ad continuandum inſimul medicamentorum uſum, quæ propriis ipſius impenſis impetraturus eſſet, cohortari non abnueret. Nec ſanè conſilii ſpes nos adeò fefellit, ut potius ad primum mulieris alloquium conſpectumq; ægrotus notanter animum recolligeret, nec abſurda planè aut irrationalia in medium proferret, ſed colloquium quaſi eroticum cum ipſa inſtituens, aſſereret: ſe ipſam conſtanter amaturum, nec aliam in uxorem ducturum, ſimile quid ut & ipſa faciat rogitans, cibos ex perizomate ejusdem capiendos optabat & appetebat, credens ſe ſanum evaſurum, modò perizomate ejusdem potiretur: quæ illi ſatisfactura perizoma prius reſolutum, ac ſiliquis coctis refertum, adjecto nodulo è floribus contexto, Voigtio tradebat. Illi accipiens, conſtantiamque ſuam iterum affirmans, ſiliquas ex perizomate avidius devorabat, per jocum prætereà rogitans, ut naturalē & ſub perizomate reconditam ſibi ſervaret ſiliquam. Porrò & potum cerevìſiæ contra ſitim urgentem, necnon intritam ex cerevìſia & pane cibario ad reſtaurandas vires debiles, ab eadem exigebat, votique ſui compos factus, & bibebat & comedebat.

In-

Intereà temporis mihi arteriarum in manuum carpis pulſum, ejuſque mutationem, unà cum præfato Chirurgo, attentè obſervanti diagnoſin pulſus ſic dicti amatorii, de quo practici adhuc inter ſe diſputant, ſatis luculenter obſervare licuit. Dicunt enim, arteriarum dictarum pulſum in amantibus mœſtis, perturbatis & melancholicis, abſente amaſia, eſſe parvum, debilem in rhythmo turbatum & inconſtantem; ad illius verò adſpectum, aut ejus ſaltem mentionem, mutari in frequentiſſimum & celerrimum, ita, ut duplici ictu caprizantis ſpeciem referat. Siquidem ex pulſu ejusmodi (uti referunt id ex *Galeni L. I. de præcogn. ad Poſthumum c. 6. Valerius Maximus L. V. cap. 7. & Beverovicius l. a. p. 47. ſeqq.* nec non *p. II.* Schatzes der Ungeſundheit §. *3. pag. 467.*) *Eraſiſtratum* Antiochi, Seleuci Regis filii, amorem erga novercam, Stratonicam; & *Hippocratem* amorem Perdiccæ, Regis Macedoniæ, erga parentis concubinam, File dictam; pariter ac ipſum *Galenum* amorem Pyladis erga Menippi uxorem, deprehendiſſe. Ac ſimile quid & in ægroto noſtro obveniebat: pulſus enim, qui horis antemeridianis debilis, inordinatus, & planè impurus percipiebatur, primâ mulieris factâ mentione ſtatim in citatiorem & ordinatiorem; imò primo amaſiæ conſpectu, confabulatione, animiq; commotione obſervata, in celerrimũ & magis vehementẽ, & ut verbo dicam, caprizantem, mutabatur.

Rectè autem *B. Noſter Ettmüllerus Tom. I. Operum*, in ſpecie in *P. II. Inſtitut. Medicar. c. 4. pag. 238.* cum *ſuprà laudato Horſtio in Diſſ. allegata*, judicat: pulſum amatorium â reliquis quidem pulſibus diſtinctum eſſe; determinatum tamen & ſolis amantibus proprium non dari, ſed pro multiplicitate affectuum in amore admodum variare; imò in aliis animi pathematis toties variare pulſum ratione affectuum ægrotantium, quoties nunc triſtium, nunc lætiorum, nunc ſacrorum, nunc verò prophanorum meditationes, vel â curis aliqua laſſitudo ac mœror, ſe invicem accipiant; de quo vid. etiam *Tulpius L. IV. Obſ. 49.* ſicut ipſe in aliis pariter, animi mœrore ac cura, citra amoris affectum, detentis, pulſum ſimilem ſic dictum amatorium ſæpius me obſervaſſe memini, imprimis anno 1689. Menſe Semptembri in Actuario quodam præfecturæ delitienſis. Hic enim cùm paucis poſt acceſſum ſuum menſibus officiô huic præeſſe impar judicaretur â Patrono ſuo ac Præfecto, indicatâ dimiſſione, derepentè corripiebatur horrore cum artuum laſſitudine, quam ſequenti die ſequebatur febris lenta cum cephalalgia, ſumma virium proſtratione, præcordiorum anguſtiâ, inquietudine, cordis palpitatione, omni proſtrato appetitu tam liquidi quàm ſolidi, vultu triſti ac gemebun-

do, animo proſtrato ac pavido, pulſu debili ac tardo, in rhythmo perturbato & intermittente. Pro cura â præfecto accerſitus, antecedentium ignarus, in principio febrim quandam malignam, & fortean petechialem, periculoſi eventus metuebam, adeoque ad miaſma malignum corrigendum, & maturè per ſudorem expellendum, mentem dirigebam: morbo autem ad unam alteramque ſeptimanam in uno eodemque tenore, ſine ulla, neque exacerbatione neque remiſſione, perſeverante, non potui, quin præfecto ſententiam meam ſic exponerem: ægri affectum mihi videre idealem, & aut pathemati amoroſo aut mœrori melancholico eſſe ſimillimum, pulſum debilem ac tardum, & ad mentionem præfecturæ ac ipſius præfecti in rhythmo maximè turbari, inconſtantem eſſe ac intermittere, ſimilem amatorio, qualem imprimis in Antiocho erga Stratonicam Eraſiſtratus obſervarit, &c. præfectus ſubridens & hæc admirans, rem omnem de officii mutatione mihi narrat; ſtatim autem mecum accedens ægrum & humaniter ſalutans, celerem priſtinæ valetudinis reſtitutionem precatus, de morbi ſtatu ſciſcitatur, eumque bono animo eſſe jubet, inſtare enim, ut præfecturæ Delitienſis adminiſtrationem cum præfectura Sorbigenſi, tantis laboribus non ſtipata, ſit commutaturus: quo vix audito, pulſus anteà languidus, inordinatus, &c. illicò in celeriorem & vehementiorem, imò caprizantem, ac ſenſim ſenſimque in naturalem, mutabatur; ipſe etiam æger, recollectis in horas viribus, intra biduum ê lecto ſurgebat, & novâ ex literis visâ vocatione, ſanus evadebat, hodieque adhuc alibi officio ſuo fungitur.

Sed ut ad Voigtium redeam noſtrum, cognito ſic ex dictis circumſtantiis delirio amoroſo, ægrum hunc per dies caniculares cæteroſque æſtivos in carcere detinendum ac cuſtodiendum, ideamque amoroſam tam cerebro & ſpiritibus animalibus quàm menti impreſſam ſtratagematis primò, in ſpecie per ſimulatam amaſiam, conſervandam, poſtmodum verò rationalium cauſarum propoſitionibus, aliiſque ſtratagematis contrariis, delendam, & alius cujuſdam ac amabilioris perſonæ objectione mente ejiciendam, pronunciavi. Pro cura interim Medica ritè inſtituenda ad ſpiritus animales â perverſo & inordinato motu avocandos, illorumque dyſcraſiam melancholico-delirioſam in craſin naturalem reducendam, corpore priùs â noxiis & ad melancholiam diſponentibus ſuccis excrementitiis evacuato, mentem direxi.

Viſo igitur non malo ſucceſſu laudani opiati â Balneatore porrecti, cujus ſcilicet uſu, per ſomnum ferè continuum, delirium ſequenti die

in

in tantum mitigatum fuerat, continuabam hoc tribus veſperis ad grana duo, cum arcano duplicato Mynſichti, coralio rubro & camphora ſociatum: ſiquidem opiatorum uſum in hujusmodi caſibus nec metuendum imò nec negligendum eſſe, præter quotidianam experientiam, multæ Practicorum Obſervationes teſtantur & imprimis Cura *B. D. Schmidii in M. A. N. C. Anno IX. & X. Decur. I. Obſ. 58. ſuprà allegata*, qua virgini ex amore inſanienti grana tria extracti anodyni, uti hec vocare illi lubet, in aqua hypnotica Dornckreilii diſſoluti, unà cum ſyrupo papaveris, egregio cum ſucceſſu propinavit. Tertio die pòſt propinabam horis matutinis vomitorium ex granis duobus Mercurii vitæ & granis quinque gummi de Peru, cum ſcrupulo dimidio arcani duplicati; quo aſſumpto, ſordes viridi-flaveſcentes ſepties per vomitum, & quinquies per alvum, excrevit. Poſteà horis matutinis & pomeridianis liquorem illum Martis Solaris analogum, ex ligno nempe quercino metalliſato ac vitrioliſato (cujus *in Obſ. 227. Anno IIX. Decur. II. Ephemer. Medico-Phyſ. Noſtrarum p. 359.* mentionem feci) paratum, ad guttas 25. aſſumendum, veſperi verò dictos pulveres, cum unico tantùm laudani opiati grano mixtos, repetendos ordinabam.

Nunciabatur dehinc die 9. Auguſti literis Dni Inſpectoris: præſcripta medicamenta nunc eſſe conſumpta; ſtatum morbi melioratum; deſiderium ægri liberationis è carcere, neminiquè nociturum ſanctè promiſiſſe; adhuc dum etiã amaſiæ, cujus perizomate ille conſtanter amictus, recordari; famem augeri cum appetitu deliciarum; atque per intervalla triſtitiam aliquam cum delirio levi adhuc obſervari. Denuò igitur mittebantur medicamenta & manè quidem aſſumendum ordinabam elixyr præcipitans, cujus meminit *B. Ettmullerus in Diſſ. de præcipitant. Uſu & Abuſu c. 1. §. 15.* â meridie verò & horis veſpertinis eſſentiam fumariæ compoſitam D. Michaelis cum ana ſpiritus carminativi de tribus, & granis quibusdam camphoræ permixtam; alternis tamen veſperis, loco hujus mixturæ, dictos pulveres cum grano opii repetendos injunxi. Liberationem â carcere diſſuadebam, quòd melancholia, uti ex dictis indiciis compareret, nondum penitus ſublata, multò minus idea amoroſa extincta eſſet, & metuendum, ne ulteriores hinc viduæ moleſtiæ ab ipſo excitentur, atque ex novo repudio novum etiam & gravius delirium, noxæque aliæ plures ſubſequantur; interim â catenis liberum in hypocauſto & atrio vagari, & cuſtodibus aliisque ſociis famili-

liarius uti poſſe, concedebam. Hinc in dies magis magisque reconvaleſcens æger, carcereque tandem emiſſus, domum redit, ubi hoſpita ſponſalia de die in diem differendo, & cauſam cum Senatu prætexendo, ſicque miſerum ſpe lactando, ab ulteriori delirio præſervavit. Simulac verô contrarietatem quandam ac diſſenſum illa proderet, Voigtius de novo perturbatus, ad furorem redibat, ſub quo feneſtras Inſpectoris oppidani cujus juſſu ſcilicet ſe incarceratum & pecunia ſuâ privatum credebat, lapidibus petere cœpit, adeò, ut per aliquod tempus de novo ad vincula illum deduci, & flagellis ac virgis aliquoties cædi, neceſſum videretur.

Mulier tandem, quam nunquam deſerere volebat, moleſtiis, quas ipſi, aut nuptias aut concubitum conſtanter urgendo, intulerat, delaſſata me convenit, de multis & tædioſis moleſtiis meo conſilio ipſi creatis conqueritur, & remedium de phantaſia amoroſa extinguenda ut communicem, multum rogitat. Occaſione igitur itineris Dresdam ſuſcipiendi, ubi in cauſa quadam coram ſupremo Appellationum Judicio contra Senatum Brenenſem ſiſtenda fuit, ſequens ſtratagema optimi effectus ſe offerebat: ſuadebam nempe, ut, antequam iter aggrederetur, privatim ſubjectis ſtolæ pulvinaribus ventrem incraſſaret, & Voigtii oculos ſic præfaſcinaret, animique ſimul ingentem mœrorem ſimularet. Quo facto, & itinere aliquot poſt ſeptimanas, inſcio Voigtio, ſuſcepto, mulierculæ quædam ſubornatæ illi perſuadebant, Krumbigeliam utero geſtare, ac partus causâ in pagum non longè diſtantem abiiſſe, & Voigtium cum ea rem habuiſſe, embryonisque patrem eſſe, profiteri. Nec deerant alii, qui Inſpectoris indignationem, vindictam, & ad carceris miſſionem repetitam, (quam etiam ipſe lictor, aliquoties in die, aut circa viciniam obambulando, aut Voigtio obviam eundo, ſimulabat:) ac ad nuptias coactionem, &c. imprimebant. Ille nil ſibi conſcius, odio nunc erga amaſiam, ideam amoroſam deſtruente, concepto, terrore inductus fugam meditabatur, clanculum ſe ſubducit, oppidulum relinquens Merſeburgum adit, injurias ſibi illatas Illuſtri Regimini vindicandas denunciat. Interim plenariam & mentis & corporis ſanitatem ibi recuperans, apud Dn. D. Langium, cui, tanquam cauſæ Patrono, delationem inſtituendam commiſerat, ſervitium nunc mediaſtini, nunc aurigæ, ad tempus ſubiit, jam vero civis uxoratus, optimè ſanus, & ſtrenuus mercenarius, Kembergæ ad Wittebergam degit.

(Delitio August. Vindel. d. 26. Julii 1700. miſſæ.)

OB-

OBSERVATIO CXXXVI.

DN. LIC. CHRISTIANI FRIDERICI GARMANNI.

De Tonitru obſtetricante.

IN oppido uno milliari â Chemnicio noſtro diſtanti Scriniarii uxor in puerperio difficili & periculoſo totam noctem & medium diem irata Lucina incaſſum exegerat. Res videbatur conclamata, & ob virium defectum & dolores non amplius recurrentes feralis labor.

Maturum tum quaſi fulmen
perſcindit ſubito nubem, ferturque coruſcis
omnia luminibus luſtrans loca percitus ardor.
quem gravis inſequitur ſonitus, diſploſa repentè
opprimere ut Cœli videantur templa ſuperne.
Inde tremor terras graviter pertentat, & altum
Murmura percurrunt Cœlum. (*Lucret. l. 6. d. Nat. rer. v. 281.*)

Quid fit? Exitialis multis tonitru fragor & fulmen Puerperæ ſalutaris tonuit & luxit. Illa namque à partu ferè enecta terrore reſuſcitatur, dumque minacem Tonitru ſonum auribus haurit, eo ipſo momento ſanum vegetumque excludit filiolum, qui cum matre ſana, & ipſe ſanus adhuc vitali veſcitur aura.

SCHOLION.

§. 1. Stupendi & admirabiles fulminis & Tonitru ab Hiſtoriæ naturalis conditoribus recenſentur effectus. Collegerunt & in nuce dederunt hos *Seneca* (*l. 2. Nat. quæſt. c. n. & 52*) *Plinius* (*l. 2 c. 51.*) *Plutarchus* (*l. 4. Sympoſ. qu. 2. p. m. 201.*) *Lucretius* (*l. c. v. 221. ſq.*) Horum ſcrinia expilarunt *Albertus M* (*Comment. in 3 Ariſt. Meteor. c. 21. & 22*) *Simon Majolus* (*dier. Canic. Colloqu 1 p. 14*) *Libert Fromondus* *l. 2. Meteor Artic. 12. p. 77. ſq.*) *Fortun Licetus* (*pyronarch. paſſim.*) *Joh Jonſtonus* (*Cl. 3. Thaumatogr. nat. c. 5. p. 104.*) *Eraſm. Franciſci* (Lufft-Krieg *Diſcurſ. 21. &*

21. & 22.) E ſuperioris ſeculi poëtis *Job. Jovian. Pontanus (l. Meteor. p. 246.)* qui ab iſtis non obſervatum addit:

Nunc ipſis etiam in ſtabulis, mirabile dictu,
Quadrupedem exolvit, pedibus quoque ferrea demit
Vincula, & intacto terram quatit ungula cornu.

Et miraculo proximum videtur, quando *Nobiliſſ. Dn. D. Job. Dolæus (l. 4 Encyclop. Chirurg. rat. c. 4 p. 140)* deprehendit: Aureos annulos in digito fuiſſe abſque læſione cutis à fulmine fuſos.

§. 2. Tonitrua verò obſtetricum munere defuncta apud Phyſicos Medicoſque non facilè leges. *Libertus* equidem *Fromondus (c. l. p. 79.)* id ſcripſit, ſed dubitanter. Dicitur Tonitru, *inquit*, juvare & incitare cervarum partus, juxta illud Pſ. 29. v. 9. vox Domini (id eſt Tonitru) præparantis Cervis, vel, ut in Hebræi, Cervas, & *D. Hieronymus* vertit: vox Domini obſtetricans Cervis, quia ſc. horrore Tonitrui concuſſæ effundunt ſuos partus aliàs ab magnitudinem & perfectionem difficiles. Unde *Jobus (c. 39. v. 1. 2. 3.)* Parturientes Cervas obſervaſti? incurvantur ad foetus, ut pariant, & mugitus emittunt. Separantur filii earum, & pergunt ad paſtum, egrediuntur, & non revertuntur ad eas. Loca hæc etiam olim *(diſſ. d. Gemell. & part. numeroſ. c. 6. §. 4)* cum *Gerhard. Joh. Voſſio (l. 3. idolol. c. 7. p. 761.)* & *celeberrimo Dan. Georg. Morhofio (Sentor. hyaloclaſt. c. 13 p. 185.)* allegavi.

§. 3. *Hieronymum* cum omnibus Hebraizantibus id affirmare *Job de Pinedo (Comment. in Job. c. 29. v. 3. n. 6. p. 1020)* tradit, communemque hanc ſententiam vocabat *Jacob. Bolducius (Com. in Job. c. l. p. 853)* Hoc in bonum accipiunt, vid. quòd Deus præparat & juvat (Cervas) ad partum Tonitru & tempeſtate, ſecus perirent propter nimiam difficultatem pariendi, & propter anguſtias viarum, commentatur *(c. l.) Pinedo.* Expoſitionem hanc etiam amplexus *Job. Lorinus (Comment. in Pſ. 29. v. 9. p. 401.)* quando pronunciat: Vocis effectus divinæ circa Cervas non alius propriè poteſt aſſignari quam in earum partu, dum tonat, quaſi tunc ſolo adminiculo Dei pariant, & ſic Deus præparet ad partum, ac parere faciat. Nec refert, *addit*, quod genus maſculinum ſit poſitum Latinè, cum Hebraicè ſit foemininum, quia genere maſculino Species tota intelligitur, & Græcè communis generis eſt ἔλαφος. *Conf. & Auguſtin. Marlorat. (Com. in Pſ. 29. v. 9. p. 103.)*

§. 4. Quod Tonitru obſtetricante opus habeant Cervæ δυσοκίαν natura-

turalem earundem in medium proferunt, & *cum Vatablo* anguſtias viarum allegant. *Guilielmus Harveus, immortale illud inter elapſi ſeculi Anatomicos nomen*, qui partes generationis cervarum ſumma cum induſtria & felicitate luſtravit (*Exerc. d. generat. Anim 60. p. 281.*) huic opinioni fundamentum inveniſſe videri poterat, dum oculari inſpectione fretus diſſerit: Cervice uteri ſecundum longitudinem reſciſſa, videas non modo ingreſſum ejus exteriorem in vaginæ fundo conſpicuum, arctè connivere, firmiterque conglutinari, adeò ut ne aër quidem inflatus in uteri cavitatem penetrare queat, ſed & quinque alias ſimiles anguſtias ordine collocatas, firmeque contra omnem extraneæ rei ingreſſum conſtrictas, & mucagine glutinoſa ſigillatas. Quinque hi receſſus diſtinctiſſimè in cerva & Dama (*pergit p. 282.*) conſpiciuntur, ceu totidem orificia uteri conſtricta & conglutinata; quæ meritò credas munimenta adverſus cujuslibet rei intröitum. Uſque adeò natura videtur providiſſe, ut ſi quid caſu aut vi aliqua foramen primum perrumperet, idem tamen in ſecundo ſiſteretur: & ſic porrò in reliquis cautum eſt, ne quippiam omninò uterum ſubeat.

§. 5. Iſta quidem ita ſe habere non repugno. Cur verò ſapientiſſimus conditor Cervabus præ aliis brutis Sylveſtribus anguſtas uteri vias dederit, ut inde difficultati partus ſint obnoxiæ, hariolari nequeo. Non ſolum illa viarum anguſtia *ab Harveo* deſcripta Cervabus competit; ſed id, *aſſerente Eodem*, in cervice ovilli, vaccini & caprini *Hieronym. Fabricium (ab Aquapendente)* vidiſſe notat. Et ea forſan ſingulis & omnibus quadrupedibus eſt, nec ſine ſingulari Divina Providentia, ne, quod lædat foetum, utero pervio viam inveniat. Ita uterus humanus ante partum *Herophili* teſtimonio *ap. Galen. (l. 3. d. nat. facult. c. 3. p. m. 434)* ne ſpecilli quidem mucronem admittit, à quo non diſſentit *ipſe Galenus* (*l. 15. d. l. U. P. p. m. 864.*) idque ſuperare humanum ingenium aſſeruit, quove pacto id accidat, ut foetui facilem præbeat exitum uteri cervix mirari nos quidem, non intelligere putavit. Et alia longè ratio eſt rei, quæ ingreſſum, & egreſſum molitur. Ita facilius ſcybala non rarò dura & copioſa ab ani ſphinctere exturbantur, quam tenella ſuppoſitoria & enemata fluida per tenuem ſyringem injiciuntur. Ovum ovarium facilè excludit; nunquam admittit ab extra intrudendum. Addidit præterà *Harveus* ſtylum è cavitate uteri foràs emiſſum dicta foramina facilè recludere. Et quis prætereà eſt, qui dolorum in partu, & uteri actionis vim foetuſque parturitionem molientis conatum & impetum ignorat?

§. 6. Res igitur hæc de difficultate pariendi Cervarum à pauciſſimis probatæ autoritatis Autoribus traditur, rectè quidem (*c.l.*) animadvertit *Pineda.* Quod verò adjicit: In illo Pſalmi loco nulla alia proprietas Cervorum agnoſcitur, quam in perimendis & extrahendis halitu ſerpentibus, variaſque Patrum cum Græcorum, tùm latinorum in medium profert auctoritates. Sed quomodo hæc ſerpentum è latibulis extractioni accommodari poſſit hebeti quidem ingenio judicare nequeo, cum & illa ſerpentum & cervorum Antipathia carioſa, imò nulla nitatur baſi. Hebræum Ajaloth nunc ſignare campos, nunc Cervas *laudatus Voſſius* (*c. l. p.* 762) non ineptè monet, ut adeò vox Domini (Tonitru) impleat *ex verſione Symmachi* campos. *Plutarcho* namque (*c. l. p.* 241) *teſte*, aquas, quæ inter fulgura decidunt, Agricolæ & putant eſſe & nominant incrementis idoneas.

§. 7. Nec ſine ratione concludit *Pineda* Auctorem Naturæ potius indidiſſe cervabus perculiarem facilitatem in pariendo. Ratio verò & relatio, quam ſubiungit, non militant. Cognoſcunt, *refert*, naturaliter herbam, qua ſe ad faciliorem partum præparant. De iſta Herba *Plinius* (*l.* 8. *c.* 32.) Fœminæ ante partum purgantur herba quadam, quæ Seſelis dicitur, faciliore ita utentes utero. (*Conf. l.* 20. *c.* 5.) De eadem *ante Plinium Cicero* (*l.* 2. *d. Nat. Deor. f. m.* 50. *b.*) narrat: Cervæ paulò ante partum perpurgant ſe quadam herbula, quæ Seſelis dicitur. Quis etenim vidit cervas gravidas hanc herbam depaſcentes, quis è Cervabus uterum ad partum faciliorem hujus herbæ uſum diſponere cognovit. De Seſeli Maſſilienſi & reliquis ſpeciebus *Dioſcorides* (*l.* 3. *d. Mat. med. c.* 60. *p. m.* 199.) aſſeruit, quod Menſes & partus trahat, & ad partum adjuvandum capris cæteriſque pecudibus detur in potu. *Adde Anton. Sarraceni* (*in h. l. p* 62.) *Scholion.* Poſt partum etiam Cervas hoc veſci *Philoſophus* (*l.* 9. *Hiſt. Animal. c.* 5. *p. m.* 1046.) *annotavit*, quod nec *Plinius* diffitetur, qui easdem à partu duas habere herbas, quæ Aros & ſeſelis appellantur, profitetur. *Joh. Colerus*, πολυπράγμων *ille*, (*l* 13. *Oecon. c.* 34. *p.* 603.) Dragontea (è Dracontio corruptum ſuſpicatur *I. A. Graba Noſter* (*Elaphogr. ſ.* 1. *c.* 2. *p.* 41) ad partum accelerandum easdem uti; & poſt partum Camum & Siloſas comedere Lacti procurando meminit. Inter Herbas caprino generi & Rupicapris quoque ac Ibicibus in jugis Alpium lociſque propinquis eſu gratiſſimas & ſeſeli Æthiopicum Cæſalpini & Creticum ſ. Narbonenſe computavit *Vir Summus Georg. Hieronym. Velſchius* (*Diſſert. D. Ægagrop.* 2 *p.* 39. & 40) ſed quæ partum accelerant, poſt partum nunquam in uſum adhibentur. Et malè erit

Cerva-

cervabus in iſtis climatibus, in quibus Seſeli, cum prædictis herbis non creſcit. Væ illarum partui! væ ipſis parturientibus matribus Verum enim vero wer weiß obs wahr iſt? *Colerus (c. l.) judicat,*

§. 8. His ita ſe habentibus rectius Terrorem obſtetricari, ſi quidem relatio iſta ſuſpecta, quod vereor, non ſit, & per modum Abortus partum contingere *Vatablus* hariolatur. Haud ſcimus an de intempeſtiva parturitione & abortione intellexerit (*David*) opinatur *Auguſt. Marlorat. (c. l.)* Sic enim magis Divinæ potentiæ miraculum auxerit, ut cujus vox parturire faceret ante legitimum tempus, & eas animantes, quæ ſuo etiam tempore ægrè pariunt. Tonitru oborto paſtores condocefaciunt pecus, ut in unum concurrant, ſeque invicem applicent, namque quæ palant à reliquis avulſæ oves abortum faciunt, *ap. Plutarchum (l. 4. Symp. qu. 2. p. 244)* legimus. Tonitru ad Margaritarum generationem conferre *ex aliis ap. Athenæum (l. 3. Dipnoſoph.) Iſidorus Characenus (Deſcript. Parth.) docuit*: Ajunt cum ſæpè tonat, & imber largior effunditur, tunc pinnas concipere, unionesque plurimos generari, & inſignis magnitudinis. Sed *Ælianus (l. 10. d. Animal. c. 13. p. m. 584.)* contraria relatione hanc infirmat: Maris fœtura hæc (Margarita) etiam eſt, & ad partum deduci ajunt (τερατολογȣ̃σιν) quum in apertas conchas fulgura affulſerint. Fulgure præſente abortire conchas è *Plinio (l. 9. c. 35.)* patere poterit: ſi tempeſtive ſatientur (rore) grandeſcere (concharum) partus: Si fulgeret comprimi conchas, ac pro jejunii modo minui. Si verò & tenuerit pavidas ac rependè compreſſas, quæ vocant phyſemata, efficere, ſpeciem modo inani inflatam ſine corpore: hos eſſe concharum abortus. In quam ſententiam & *Ammian. Marcellin. (l. 23. Rer. Geſtar. p. m. 281.)* Concuſſæ ſæpiſſimè metu fulgurum inaneſcunt, aut debilia pariunt, aut certè vitiis defluunt abortivis.

§. 9. Martiam Romanorum Principem ictam gravidam partu exanimato citra ullum aliud incommodum vixiſſe, inter fulgurum miracula recenſuit (*l. 2 c. 52*) *Plinius.* Sed terrore potius fulminis à matre concepto quam à fulgetro corruptus & examinatus fuit fœtus. Ita mecum *Fortunius Licetus (Pyronarch. c. 3. p. 70) Petrus Gaſſendus (ad l. 10 Diog. Laërt. p. 1023.* & forſan rectius ac *Voſius (c. l. p. 762.)* qui tenello fœtui facilius nocuiſſe fulmen (cur non & terrorem?) præ matre arbitratur.

§. 10. *Nunc vero afflatu tenui pecudemque bovemque*
Aut virides tondentem herbas, aut ilice ab arcta

Arcentem nimios animoſi ſideris æſtus
Exanimat, nulla ut maneant veſtigia mortis,
Optatum ut credas armenta haurire ſoporem,
Ut placidum videas Paſtorem ducere ſomnum.

Joh. Jovian. Pontan. (*c. l. p. 46.*) vidi & ipſe armenta ſine externa læſione à fulmine enecta, ut & juvenem, cui ne pilus quidem læſus, morti datum. Et tales ſæpe ſolo Terrore adacti è vivis excedere cognoſcitur. Ita & piſces Tonitru exanimari, & exploſione tormentorum in præliis marinis abigi tradunt *ap. G. D. Morhof.* (*c. l. p. 185.*) Non enim verum eſt illos auditu carere, ut quidem volunt, cum nos aqua demerſi nil audiamus: nam alia eſt in iis organorum ratio, quæ appulſu Circulorum aëreorum afficiuntur. Ita *ſecundum Plutarchum* (*c. l.*) innumeros videre eſt mortuos tonitru, in quibus nullum ictus aut aduſtionis appareret veſtigium, quod Anima eorum è corpore avis inſtar evolaſſet. Eo tempore quo periit Carus Imperator tantum fuit ſubitò Tonitruum, ut multi terrore ipſo exanimati eſſe dicantur, *Flavius Vopiſcus* (*in vit. Cari. Imp. p. m 442.*) *narravit.* Cum igitur ægrotaret (Imperator) atque in tentorio jaceret, ingenti orta tempeſtate, immani coruſcatione, immaniore tonitru exanimatus eſt. Hunc & divino fulmine ictum aſſeruit *Eutropius* (*l. 9. Hiſt. Rom. c. 12. p. m. 233.*) Si verum eſt, grande namque mendacium vocat, & contrario Exemplo *M. A. Severinus* (*Seilomaſt. part. 2 §. 1 p. 64,*) hanc opinionem eludit, dormientes fulmine non percuti, præſidio his eſſe quod non ſentiant, *ex mente Plutarchi* (*c. l.*) expoſuit *Voſſius* (*c. l p. 764.*) quia dormientes non expaveſcant, cum contra, qui vigilant, ſæpè ex conſpectu vicini fulminis ſolo moriantur metu.

§. II. Circa cauſas, cur nulla ictus veſtigia appareant, variè philoſophantur curioſi. Ictu magis quam calore tales fulmen læſiſſe *Alb. M.* (*in 3. Meteor. tr. 3. c. 22*) *ratiocinatur.* Sed ſi ictu, cur nullum viſui occurrit ictus veſtigium. Facilius externum fulminis lumen (internum) ad ſe evocare dixerim, *putat Th. Bartholin.* (*d. Luc. Hom. c. 8. p. 66.*) & vi ſua omnem interiores vitæ lucem elicere haud repugnanter ob affinem naturam ſequuturam: exhauſta autem hoc æſtu univerſa lucis vitalis quantitate, de vita conclamatum. Subtiliori mentis acumine rem penetraſſe ſibi viſus *Joh. Mayovv*, quando (*Tr. de Sale Nitro & Spir. Nitr. Aër c. 13. p. 194*) circa fulmina notabile judicat, quod animalia iisdem percuſſa ſine quovis ictus illati veſtigio haud rarò interi-

mun-

muntur. Id quod huic Cauſæ imputandum videtur, quod particulæ aëreæ non tantum per atmoſphæram diſſeminatæ,ſed etiam iſtæ, quæ in ſanguinis maſſa exiſtunt, ob violentam aëris concuſſionem in coruſcationem quandam concitantur; unde fit, ut eædem mox effœtæ, ſanguiniſque fermentationi ſuſtinendæ inidoneæ. Quibus *addit*, quòd & ſpiritus animales per fulmen diſſipantur. Poſſunt, *concludit P. Gaſſendus* (*c. l. p. 1022.*) ignis reliquiæ ſ. extrema flammæ jamjam deſinentis ita defæcata, tenuiaque eſſe, ut corpus facilè pervadant. Ejusmodi illud erit quod in medium protulit *Paul Zacchias* (*l. 5. Quæſt. Med. legal. Tit. 2. qu. 11. n. 10. p. 437.*) quod in homine omnia viſcera, illæſis externis, abſumit, quod obſervatum aliquando experientia oculatos teſtes habuit, idque Epiſtola Joh Jacobi Beureri ad Joh. Schenckium (l. c. obſ. med. p. 84.) exarata ſatis evincit.

§. 12. Afflatu quoque Fulminis taſes non rarò ſuffocantur, ut eſt ap. *Joh. Nardium* (*in Lucret. Animadv. 27. p. 459.*) Halitus ille eſt fœtidus & Sulphureus. Ita in tempeſtate ob Solis gregem ab Ulyſſis ſociis violatã mactatoſque boves navis Sulphure implebatur *teſtimonio Homeri* (*Odyſſ. pr. v. 380.* notaſque fulminis graves Sulphuris auras halare *Lucretio* compertum (*l. 6. de Nat. rer. v. 220.*) In Hypocauſto in quo juvenis fulgure perierat, virque ſyncope correptus quaſi mortuus jacebat, denſam Sulphureamque nebulam offendi, quæ introeuntibus ſpiritum intercluſiſſet, niſi feneſtræ apertæ fuiſſent. Poſuit idcircò pro fulmine Sulphur ſacrum (*Satyr. 2. v. 24.*) *Perſius*. Quo circa etiam potuit vehementia Aëris à flamma (Sulphurea) proximè compulſi, *ex mente p. Gaſſendi* (*c. l. p. 1021.*) ſic proſtraviſſe animal; ſic os nareſque obſtruxiſſe; ſic compreſſiſſe, coëgiſſeque obrigeſcere muſculos reſpirationi deſtinatos, ut illud momento ſuffocaverit.

§. 13. Superaddunt quidam Sulphureo halitui & venenatum quid, quod quidem non opus erit, ſi ſuffocationem reſpicias, cum huic parandæ aër moleculis aqueis & igneis ſaturatus ſufficiat, quod in vaporibus Cereviſiæ & muſti liquidò deprehenditur. Cum verò fulmine tactum & congelatum vinum, ubi fluiditatem recepit priſtinam, μαινομενὸν evadat, qualitatem talem eidem impreſſam nemo facilè negabit. Quare & hanc malignitatem (*l. c.*) in medium protulit Albertus, & *Helm* (*tr. Tumulus peſtis p. 863.*) iſta ſuperaddit: quam terribile terroris venenum momento unico fulminis ictu imprimitur in belluam, quam icerit, adeò, ut ejus carnium eſu peſtis deglutiatur? quod ſaltem ſignum eſt, fulmen à portentoſo initio terroris pleno ſagittari unde nimirum Archæus in

mento extinctus ſui terroris imaginem detegendo perit ferè in momento.

§. 14. Ob in medium prolatas rationes etiam multas viventium corporibus infert calamitates. Nullius momenti læſio, quamvis mirabilis, quando quoſdam depiles ſalva interim cute & totius corporis machina reddidit. Barbam viro illæſo combuſtam obſervavit *D.* Th*omas* (*in 3. Meteor. 1. 2.*) Accidit apud Monſpelienſes, *ſcribit* Petr. *Borellus* (*Cent. 2. obſ. med Phyſ. 38. p 136.*) ut fulmen cadens in domum *Vicarii generalis D Graſſi* pudendorum puellæ ancillæ pilos abraſerit, ut *Bartaſſius* in muliere ſibi familiari idem factum fuiſſe eleganti carmine Gallico refert, ſic *à docto Gabriele Lermeo* V*olon* fideli latinitate donato:

Vidi equidem vidi bis oculis puerilibus olim,
Nec rem fallit, anum cœli cui lubricus ignis
Abſtulit attonſam ſtrictim ſine vulnere pubem.

§. 15. Ridicula hæc potius quam funeſta. Graviora quæ ſequuntur. Vulnerat & comburit ſæpè corporis partes. In quadam puella, itidem *meminit* (*c. l*) *Borellus* caput in unico loco tetigit, illudque adeò emollivit, ut cutis & caro à Cranio ſepararentur, unde ante & retrò ad anum uſque deſcendit. Ageſipolis, *memorante Pauſania l 3. ſ. in Lacon. p. m. 112.*) ad Achivorum mœnia caſtra jam locaverat, cum Terra continuo motu concuteretur, quidam etiam ex militibus icti fulmine oppeterent, quidam ad inſaniam tonitru redigerentur. Mediolanenſibus anno 1055. mentis à fulmine confuſio accidit. (*Sturm. Calend. Sanctor. p. 414.*) Bubuculum unum in Taurinis percontati ſumus, *notat Iul. Scaliger* (*Exerc. 13. ſ. 1. p. 70.*) quo haberet autore auriculam perforatam (pertuderat enim fulmen tenuiſſimum trajectione) at ille amens atque attonitus nunquam rectè aut ſapere aut loqui poſteà valuit. Id verò non mirum videatur, ſi verum eſt quod è T*agis* T*huſci libris commemorat. Cœl. Ludo. Rhodigin.* (*l. 3. lect. antiqu. c. 29 Col. 165.*) Tangendos mox fulmine adeò hebetari, uti nec Tonitru nec profundos fragores alios queant perſentiſcere. Fulmina aſpicientibus diu intumeſcit facies, & fortè etiam excœcantur *juxta Albert M.* (*c. l.*) quia ignis intrat per poros, & corrumpit humidum, & inflat faciem, & in oculos intrat, & exſiccat humorem cryſtallinum et excœcat. Addi his poſſet & hoc fulgetrum humores & tunicas oculorum corrumpere, coagulare, texturamque

eorum

eorum invertere. Eodem modo cœcum bombardarum majorum coruſcatione factum *Ioh. Schenck (l. 1.obſ.med.p. 156) teſtatur.* Ad ſurditatem etiam diſponit. Quidam ſubitò ſurdus factus, audito fulminis ictu, quòd in ſchola in qua ille erat decidiſſet, quod nim. ſenſibile ſenſorium organum ejus læſiſſet, tympanum etiam Auris vel quædam oſſicula aëris nimio impulſu è ſede ſuâ remota fuerunt, *obſervavit P. Borellus (Cent. 4.obſ. 3.p. 282*) Alſo werden die Conſtabel Taub. Diſpnœam à fulmine concitatam *Excell. Noſter Ioh. Georg Sommer (Miſc.D.2.A. 2.obſ. 175.p. 389.* vidit & curavit.

§. 16. Inſolitam cibi abſtinentiam in puella Aloſtana concitavit *ap. Helmont. (tr. jus Duumvirat. n. 25.p. 244.)* vidi *inquit*, anno 1615. Aloſti puellam novennem ſat petulantem, quæ jam à triennio nil prorſus comederat, niſi quod fortè per octiduum aut amplius biberet quatuor circiter cochlearia Aquæ puræ. Etenim à Tonitru primum inſigniter terrefacta edere ceſſaverat. Ad ſeptimum uſque diem pater & filius percuſſus abſque cibo & potu, quin etiam mutus & ſine ſenſu vitam miſeram traxit *ap. Anton. Beniven. (obſ. med. c. 23. p m. 160.)* Non ſemel etiam à me obſervatum Hypochondiacos præſentire Tempeſtates iisque ingruentibus anxietatibus præcordiorum, palpitatione cordis & momentaneis lipothymiis tentari, quod Atmoſphæræ gravitati ſine dubio debetur.

§. 17. Tanquam ſingulare phænomenon *Actis Philoſophicis Anglicis ann. 1667.* inſeruit *Nathanaelis Fairfax obſervationem (p. 446.) Henricus Oldenburgius.* Fœmina Raymundi de Stovv market quandocumque Tonitru percipit, etſi è longinquo, corporis morbo afficitur. Debilitatur, Stomachi infirmitate laborat, pronaque eſt in vomitum. In ipſo momento incidit in perfectam choleram, & perſeverat in vomitu & profluvio ventris, quoad tempeſtas durat, atque modo violentiore, quam ſolent procurari medicamentis in hunc finem præſcribi ſolitis. Et ita ſe habuit fœmina illa à pueritia. Impreſſio Matris gravidæ à fulmine territæ forſan hic multum valuit, haud ſecus etiam Eques ille Vaſco phormyngis ſonum percipiens veſicam laxã habebat, urinamque retinere non poterat, quod I. C. Scaliger (Exerc. 134. S. 6. p.) in literas retulit. Et in omni timore & terrore viæ excernendorum deprehenduntur laxæ & patentes. Semen timidis effluit, alvus ſolvitur & veſica *Ariſtot. (l 4. probl. 8 p. 836.)* prodidit. Exanguia alibi timidiora declarat *(l 2. de. part. anim. c. 4. p. 1123.)* & præ nimio metu excrementa emittere, nonnul-

la

la etiam colores ſuos immutare. Bacchus igitur ab Æaco *ap. Ariſtophan.* (*in Ranis act.* 2. *ſc.* 1.) larritus cacabat, ſibique præ metu cor in anum deſcendiſſe profitebatur. Facetè igitur in meticuloſos *Juvenalis* (*Satyr.* 14. *v.* 187.)

Longos caſtrorum ferre labores
Si piget, & trepido ſolvunt cui cornua ventrem
Cum lituis audita, pares quod vendere poſſis.

Poſſem hic latius orationem proſequi in quædam Germanorum de Timidis proverbia, eorumque apud antiquos ſcriptores originem demonſtrare, niſi verecundia crenæ pauſam imperaret. Rationem hujus excretionis *apud Macrobium* (*l.* 7. *Saturnal. c.* 11. *p. m.* 527.) hanc dedit *Dyſarius*: Laxamentum ventris comitatur timorem: quia muſculi quibus claudebantur retrimentorum meatus fugientis introrſum animæ virtute deſerti laxant vincula, quibus retrimenta uſque ad digeſtionis opportunitatem continebantur.

§. 18. In brutis & hominibus à fulminis igne letho datis non ſemel obſervavi, abdomen his mirum in modum, abſque nota externæ læſioris, intumuiſſe, in vivente etiam adhuc puella ruſtica in pago Helbersdorff à fulmine attonita, & ad integram mentem poſt redacta, qui tumor abdomine externè linimentis alexiteriis, lenientibus & diſcutientibus calefactis illito, intusque exhibitis Bezoardicis & carminativis tertio ab ictu die ceſſavit. Lepram etiam totius inferre, quod totius corporis ſanguinem adurat fulgetrum *Wolfgang Meurer* (*c. l p.* 245.) prodidit. Sed hoc potius inquinamento Arſenicali à fulminis radiis Maſſæ ſanguineæ communicato, quam ſanguinis aduſtioni erit aſſignandum.

§. 19. De Tuberibus & fungis fama, aut potius fabula, eſt quod earum productioni faveant tonitrua. Ita *Plutarch.* (*l.* 4. *Sympoſ. qu.* 2 *p.* 29.) 2 *quæſt. nat.* 4 *p.* 136) & *Plinius* (*l.* 19. *c.* 3.) reſpexit eò *Juvenalis* (*Satyr.* 5.

Et faciunt lautas optata Tonitrua cœnas.

Cauſam olim dedit *Scaliger* (*Exerc.* 180. *ſ.* 1. *p.* 584.) quæ non arriſit *Lib. Frommondo* (*c. l. p.* 78.) *Plutarchi Eidem* prævalere viſa. An ad Sanitatis cuſtodiam & reparationem quid valeant, edicere non poſſum, niſi quod *ap. Voſſium* (*c. l.*) hæc verba legerim: Ne dira tantum loquar, etiam claudo dedit (fulmen) ut deinceps recto incederet talo.

§. 20. Ut

§. 20. Ut tandem ad obſervationem datam redeam, *apud Nonnum* (*l. 8. Dionyſ. v. 691.*) ubi Semeles infauſtum cum Jove concubitum, quo tota in Cinerem redacta Nympha occubuit, cecinit, hæc leges:

Καὶ στεροπὴ πέλε μαῖα, καὶ εἰλείθυια κεραυνοί.
Κόλπου δ᾽ αἰθομένοιο διαθρώσκοντα τεκούσης
Βάκχον ἐπουρανίη μαιώσατο φειδομένη φλύς.

Fulgur erat Nutrix, & ilithia fulmina.
Sinum verò ardentem percurrentem matris
Bacchum cœleſtis obſtetricata eſt parcens flamma.

Habes igitur & è Poëtis fulmen obſtetricans. Aliud igitur Semeles, aliud Martiæ ſupra (*§. 8.*) allegatæ fatum fuit. Hæc ſalva; illa combuſta & in Cineres redacta. Hujus fœtus à fulmine corrumpebatur; illius in igne à Jove ſervabatur, quem propter imperfectionem (octavus enim à conceptione Bacchi volvebatur menſis) mortuæ ex utero extractum ſuo appoſuit femori, donec tempus perficeretur, quod eum eſſe in ventre matris oportunitas exigebat. Ita *Ovidius* (*l. 3. Metamorph. Fab. 3. v. 58.*)

Imperfectus adhuc infans genitricis ab alvo
Eripitur, patrioque tener, (ſi credere fas eſt)
Inſuitur femori: maternaque tempora complet.

Femur illud magnum *Theocritus* (*Idyſſ. 26. v. 34.*) *apellavit.* Semelem autem prægnantem fulmine percuſſam fœminam *Joh. Boccatius* (*l. 2. d. Geneal. Deor. c. 64. p. 52*) expoſuit, prætereaque nihil addidit. Quæ huc ſpectant, quædam conſignavit egregia *Th. Bartholin.* (*d. inſol. part. viis. c. 15. p. 122*) Bimater igitur *Actio Sincero Sannazario* (*l. 2. Eleg. 5.*) Bacchus, & Dithyrambi inde nomen conſecutus, quaſi ex duabus ſit egreſſus januis *ex aliis notavit Chriſtoph. Neander* (*Hiſtor. Bacchanal membr. 1. n. 6. p. 28.*) Non poſſum me continere, quin & illud *Apollinis Sileſii opit. in Hymn. Bacch. v. 13. p. 4. 28. adjiciam.*

So biſtu wieder auch aus *Jovis* Hüffte kommen/
Mehr als einmahl gebohrn: Dis haſtu gar allein/
Und keiner ſonſt mit dier im Himmel nicht gemein.

§. 21. Quod ſi verò obſervationem datam adhuc ſemel inſpiciam,

 non

non tam fulmini, quam Terrori à fulmine concitato obſtetricantes manus aſcriberem, juxta rationes *ſupra* (§ 7. & 16) adductas. Gravidas autem terrefactas facilè abortire, aliquando etiam una cum fœtu perire Julia C. Cæſaris filia, Pompeji Magni conjunx teſtabitur, quæ cum *recenſente Valerio Maximo* (l. 3. c. 6.) Conjugis ſui veſtem cruore reſperſam è campo domum relatam vidiſſet, territa metu, ne qua vis ei eſſet illata, exanimis concidit, partum quem utero conceptum habebat ſumma animi conſternatione & gravi dolore corporis ejicere conata eſt, atque ita exſpiravit. Et ut de Tonitru etiam, antequam finiam, quid addam, *Galeni verbis* (*l. de Theriac. ad Piſon. c.* 14. *p. m.* 1067. *id dabo*: Mulier gravida ſolo Tonitru exaudito, & horribili quodam ſpectaculo viſo infantem ejecit. Et ſi hoc fœtu adhuc immaturo, & ad exitum minimè diſpoſito contingit, cur non & fœtu perfecto, in partu jam conſtituto, liberumque aërem aſpiranti non contingeret.

OBSERVAIO CXXXVII.

DN. Lic. CHRISTIANI FRIDERICI GARMANNI.

De loco ap. Plinium l. 11. *c.* 37. *Conjecturæ.*

IEcur maximè vetuſtatis patiens centenis annis durare obſidionum exempla prodidere.

SCHOLION.

§. 1. Itane obſidionum exemplis jecur centum annis durare obſervatum? quærit *Petrus Petitus* (*l.* 1. *Miſcell. obſ. c.* 7. *p.* 26.) At primum, *pergit*, cujus unquam urbis obſidio tam longum tempus duravit? deinde quid urbium obſidiones ad jecoris obſervationem, & quomodo per eas compertum id viſcus ævo reſiſtere præ aliis animalium partibus? Non intelligo prorſus.

§. 2. *Adrianus Turnebus* huic loco obſcuro lucem ut afferret, oracula librorum antiquorum ſciſcitanda ſibi eſſe putabat, in quibus nihil tale reperit. Sed quod tamen reperi (*Scribit l.* 20. *Adverſar. c.* 23. *col.* 645) ut verum fatear vate aut Sibylla indiget interprete: neque ex eo ſana ulla ſententia contexi queat. Verba antiquorum Exemplarium ſunt: hoc ſirion cum exempla prodidere, quid illud ſit, hoc ſirion cum, nequeo

nequeo comminiſci. Oxyrynchum Exempla aliquando vaticinatus ſum legi debere: qui piſcis in Ægypto frequens eſt, & in ejus potuit jecore, quod *Plinius* refert, obſervari. Sed mihi commentum hoc non placet. Vero propius ſit Aſſyriorum Exempla prodidere, nec tamen huic ſententiæ ita confidemus, ut nos aliis eam approbare poſſe putemus. Itaque & amplius pronuntiamus: & alias ad emendationem interpretationemque hortamur. Verè tamen *Jacobus Dalechampius* (*in annotat. ad h. Plinii locum p. 541.*) cenſuit *Turnebum* hunc locum ſuſpectum reſtituere non potuiſſe. Rectè *Vir Magnus* cogitata ſua interponit iterum *P. Petitus (c. l. p. 27.)* & prius commentum aſpernatur, & quam poſteà affert ſententiam, ei parum fidit.

§. 3. Ex ejusdem veteris ſcripturæ veſtigiis *à Turnebo* propoſitis haruſpicum vel extiſpicum exempla ſe elicere poſſe ſperat, vel potius confidit *Petitus*. Magiſtris illis, infit, qui ex animalium fibris futura conjectandi Artem profiterentur, morem fuiſſe aſſervare jecora pecudum, ex quarum extis hujusmodi divinatio peteretur. Tum ea exſiccata penes ſe habuiſſe in capſis ſive armariis ad eum uſum paratis, quorum inſpectu planius diſcipuli intelligerent, quæ ab iis de jecoris partibus in hac diſciplina obſervandis traderentur. Concludit totam rem *(p. 29.)* Hujusmodi Exempla (quæ *è Plinio* modo adduxerat *Petitus*) eo loco *Plinii* intelligenda ſunt, per quæ apparet cognoſci potuiſſe, quot annos jecur animalis mortui durare poſſet, cum ut veriſimile eſt, tempus quo id extractum fuiſſet, in iis capſis tabuliſque notarent, quo multitudo & longinquitas obſervationum pateret.

§. 4. Ut ut verò multum in hac emendatione ſibi placeat *Petitus*, præclare de reſtitutione loci Pliniani, præclarius de Antiquitate meritus fuiſſet, ſi ſcriptorum antiquorum autoritate iſta confirmaſſet. Mihi in hanc rem non ſuccurrit teſtimonium, ut conjecturam qualicunque niti probabilitate, *vel l. 10. c. 15. Plinii N.* diffitendum minimè, ſed quod longius petita videatur, *regerit Excell. Noſter Philipp. Jacob. Hartmann (Exerc. Anat. eleganti & docta, de iis quæ contra peritiam veterum Anatomicorum afferuntur c. 5. §. 10. p. 63.)*

§. 5. Et ſanè ad id demonſtrandum, quod intendebant Aruſpices jecur ſiccatum ineptum planè erat. Divinabant è jecoris levitate, replicatione & colore, fibris, capitibus, lobis, appendicibus, pinguedine, corona, corymbi, & Lemniſci, portis, trapeza, machera, unguis, caniſtram, auriga, & ſi quæ alia, quæ ſingulari ſtudio & induſtria ex veterum libris digeſta *laudatus Dn. D. Hartmannus* Lectoribus ſuis ob

oculos poſuit (*Exercit. d. origin. Anatom. c. 2. §. 4 p 7. & c. 3. per totum p. 11. ſq.*) ſed hæc in jecoribus exſiccatis & tot annorum curſu emaciatis & depravatis amplius demonſtrabilia nemo non affirmabit. Et cum Animalium mactatorum copia quotidiè viſcera prædicta ſuppeditaret; cur in uſum illum interranea exſiccare & aſſervare voluiſſent?

§. 6. Locus igitur iſte reſtitueretur forſan felicius ſi pro obſidionum Exempla, obſervationum Exempla legeremus, nec ſic omne mendum ſublatum reputo, niſi forſan pro Centenis denis ſubſtitueremus. Cur etenim quiſpiam reſiccatum jecur centenos annos ſervarit, nemo facilè cauſam explicabit. Ab anno elixatum Epar humanum, quod ſub ſcamnis ſcholæ Medicæ aſſervabant nullo modo corruptum aut rancidum, ſed eo odore qui eſt in recenter elixato deprehendit (*l. 2. Anthopogr. c. 21.*) *Joh. Riolanus.*

(*Chemnicio Auguſtam Vind. d. 10. Septembr. Anno 1700. miſſæ.*)

OBSERVATIO CXXXVIII.

DN. D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP,

De Minutiis animalibus curioſis ſeu inſecto minimo novo & ante hâc vix, â me ſaltem, unquam viſo genere.

ANni 1698. hyeme miti ac pluvioſo tranſacto, 1699 in vere appropinquante, avibus cohortalibus libero jam & mitiori aëre fruentibus, Cohors, quæ in parte ædium ſequiori ſub ſcalis ſuſcipiendis noctu & â frigore tuendis gallinis deſtinata fuerat, cum â ſordibus & quiſquiliis purgaretur myriades myriadum apparuerunt novi cujusdam, & quod ſciam, nunquam obſervati inſecti generis, cumulatim angulis, rimis ac fiſſuris, aſſerum, graduum, parietum inhærentis, magnitudine aut exiguitate potius cum lentibus, Aſcaridibus, Midis aut ſi quod ipsâ caſeorum teredine minus, certantis, ſingulatim vix digitis palpabilis, aut oculis, niſi perſpiciliis aut microſcopio armatis, viſibilis, geminâ tamen promuſcide armati, figurâ, quam quantum microſcopii ope aſſequi datum, Schema adjectum monſtrat, vulturinum pediculum aut cimicem, quadantenus, repræſentantis, ſex pedibus tantâ pernicitate diſcurrentis,

ut,

ut, nullo tamen alarum veſtigio apparente, volare potiùs quam currere videatur, & ê longinquo prætereuntes, & vel minimùm diverſorio illorum appropinquantes invadere ſentiatur, gynecæi partibus nudis ac libero aëri expoſitis, collo præſertim, pectori, faciei, manibus, ac brachiis adeò infeſti, ut pulicum & cimicum morſus moleſtiſſimis horum diſcurſitationibus pruritum intolerabilem nullatenus evitantum, cum & oculis uſurpari & digitis prehendi vix queant, nec niſi adtritu fortè fortiori enecari poſſint, excitantibus præoptent; Sanguiſugæ tamen ſimul cum ſint, ſaturi ac cruore diſtenti punctum rubrum ferè mathematicum, idque rotundum exhibent. Domeſticæ meæ flagellum hoc inſolitum ac vix ipſis tolerabile totâ æſtate flammis ſubinde & fervidâ perſecutæ vix ac ne vix quidem penitus extirpare potuerunt; nec impedire, quin hyeme præterito, aliquatenus minori tamen copiâ repullularit, imò & hoc anno adhuc his cum ſuis hoſtibus, populiſque ad prælia natis ipſis fixa dies bello. Mihi quidem nihil cum illis negotii fuit, cum viciniam illorum ſedulo vitarim, hoc unum tamen me mordet, profligatâ ê modernâ Philoſophiâ generatione æquivocâ, cum omnia viventia ê ſemine ſui generis proprio naſci ſtatuantur, unde tantâ ſeminii hujus peregrini, & ut ſuſpicor, plane novi copia? A quo inſectorum genere oriunda? Quo in modo aut vehiculo in locum adeò obſcurum, abditum, & â libero aëre (ne vel inde pateat effugium) planè ſecluſum delata, nullo antehâc ullius iſtius inſecti uſquam apparenti veſtigio, licet plures jam annos eâdem cohorte hyeme ſtabularentur gallinæ.

FIG. XII.

Explicatio Figurarum

a. Punctum rubrum notat inſectum cruore ſaturum.
b. Jejunum exprimit in proportione naturali, ſed multò quam reverâ eſt majori.
c. Pro ut Microſcopii ope viſum, appareat, poſitu naturali.
d. Reſupinatum.

OBSERVATIO CXXXIX.

D. DN. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP.

De Minutis vegetabilibus curioſis, foliorum ſambucinorum floſculis minutiſſimis ſoboleſcentibus.

SUperficiei trium foliorum ſibi vicinorum ſambuci, in areâ ædium mearum plantati, ſurſum, aut cælum verſus ſpectanti, filiæ meæ 14. Julii Anno hoc 1700. invenerunt innatos floſculos candidos minutiſſimos petiolis ſatis longis at tenuiſſimis aranearum filamenta tenuitate vincentibus, rigidis tamen, ê circelli rotundi non niſi colore obſcuriori paulò, quam reliqua ſuperficies folii, ac glabriori diſtincti centro aſſurgentes ordine quodammodo geminâque ſerie diſpoſitos, quorum illud, quod delineavi, decerptum tredecim oſtendit caliculos albos & vegetos, ut & decimum quartum colore obſoleto, quaſi marceſcentem. Reliquorum foliorum unum ſex, alterum quinque tantûm floſculos tulit. Quibus poſtea quartum quoque acceſſit numeroſioribus priori floſculis obſitum, ac quintum in adverſâ folii parte, ſed parcius florens, quæ duo natarum incuriâ mihi non ſunt oſtenſa. Floſculorum figura liliorum convallium quadantenus æmula ſed magis oblongata, à digitalis flore parum nec niſi exiguitate abludens. In medio caliculi pellucida ſpherula prominet baſi cuidam, viſûs exactum utut microſcopii ſatis accurati ope adjuti, judicium effugiente innixa. Quod verò notabile, qui in foliis, â ſambuco, non diſcerptis innati remanſerunt floſculi, temporis tractu, num ventorum? num aliâ aëris injuriâ? adtriti diſparuerunt, nec ullum modò in illis apparet eorum veſtigium. In priori verò quod decerptum mihi ſervo licet arido jam floſculi illi adhuc ſunt ſuperſtites 30. Auguſti, quo hæc ſcribo, necdum inſigniter â menſe & quod exacurrit â decerptione alterati, niſi ſitu (corrugato folio, adeoque baſi, cui in hærent, aliter diſpoſita) valde immutato. Divinam Majeſtatem in his quoque minutiis potentiam ſuam exercentem admiratus hunc naturæ luſum Curioſis haud fore injucundum ratus, communicare debui ac volui. E quo ſeminii genere, in quo talis floſculi latuerit idea, ab ipſis naſcentis mundi incunabulis fortè, uti nonnulli volunt, derivanda, alieni ſoli emphyton hoc natum? Num & illud hic ê foliis in aëre libero liberè ſuſpenſis Ætheris incumbentis (quo alia vegetabilia ê terræ gremio exprimi quibuſdam,


Folium Sambucinum ſobolescens.
fig: XIII
pag 258.
Floſculorum figura.
fig. XV p.258
Idem reſupinatum
fig. XIV. p.258.
Minutiæ animatæ fig XII
p.257.

buſdam videntur) pondere ſit protruſum? ſcire admodum avidus, nec perfunctorie deſiderans. Qui hunc mihi nodum ſolidè ſolverit, magnus mihi foret Apollo.

FIG. XIII. XIV. XV.

OBSERVATIO. CXXXX.

DN. D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP.

De Puella primo à nativitate octiduo, fluore tam albo quam rubro tentata & quaſi menſtruo laborante

PUellas impuberes ſanguinem quandoque ê genitalibus fundere rarum quidem, non tamen omnino inſolitum; brevioris tamen vitæ triſte â plurimis habetur augurium. Dantur ejus rei exempla hinc inde & in Ephemeridibus Curioſorum Germaniæ quoque nonnulla, unum etiam domeſtica Experientia mihi in filiâ primi matrimonii ſeptenni, per triduum purgatâ & anno ætatis duodecimo dyſenteriâ defunctâ ſuppeditavit; Verùm â partu mox nondum elapſo octiduo illas purgari, inſolitum eſt nec adeò obvium. Unum obſervatio 100. Dec. 2. anni 9. exemplum præbet, & alterum ê decuria 1. ann. 3. Obſ. 114. allegat. Quorum analogum hoc anno 1700 nunc labenti circa ſeculi num ſexti exodium? an ſeptimi exordium? mihi perinde (litem enim hanc meam non facio, ſed Theologis, Chronologis & Aſtronomis decidendam relinquo) experiri datum. Dum Sylvani cujusdam, vulgò Heydereuters/ oppidi Neomarchici, cui nomen Reppen, 14 circiter milliaribus Berolino diſſiti, incolæ uxor juvencula Concionatoris filia, honeſtæ famæ, ſecundo partu puellam edidit quâ corporis membra ſatis benè conformatam, ſed quinque â partu diebus nullum urinæ veſtigium reddentem, totumque triduum fletu & vagitibus tranſigentem, quo abſoluto ê vulvâ & vaginâ uteri alba, viſcida ac tenax in longum ductilis materia biduum effluxit, quâ ſenſim in ruborem tranſeunte, ſucceſſit menſtruis virginum adultarum, ſimilimus cruor, pro tantilla ætate copioſus, qui quinque diebus continuis duravit, ſenſim tamen ſub finem præſertim imminutus; quo tandem planè ceſſante, urina libere, abſque ullis poſthac doloribus aut incommodis reddita fuit.

OBSERVATIO CXLI.

D. Dn. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP.

De Termitibus ê naſo excretis.

RUſticus pagi tres milliaris Germanici quadrantes Berolino diſtantis, cujus nomen Reinickendorff / 60 annos natus, annos unum & alterum â Catarrho præproparè ſufflaminato, immenſos patitur frontis ſuper interſtitio oculorum & naſi dolores, in ozænam tandem degenerantes, quos pro genio iſtius gentis duræ cum tædio quidem aliquamdiu perfert, ſed remedia negligit, poſtea malo ingraveſcente plurima quidem adhibet, ſed ſero & parcè euporiſta vaga ſine conſilio ſine methodo & ratione adminiſtrata tandem inveterato & atrociſſimè affligente dolore anno 1685 cujusdam Empirici, an Empiricæ? ſuaſu, incertum, vaporem quarundam herbarum aquâ coctarum naribus excipit, â quo aliquantisper continuato hemorrhagia ſatis larga oboritur, quacum quales carnibus innaſcuntur â muſcis contaminatis juſtæ magnitudinis termites naribus excidunt plurimi vivi & vividi, quibus excretis mox omnis ceſſat dolor ac æger reconvaleſcit. Teſte viro ob editum cum commentario & auctario Clariſſimi Domini Doctoris Thomæ Pancovii Herbarium portatile Celeberrimo, Domino Doctore Bartholomæo Zorn Collegii noſtri Electoralis Medici Aſſeſſore digniſſimo, amico mihi plurimum Honorando, cujus communicationi hanc Obſervationem debeo, eamque Curioſis impertiri volui, occaſione admonitus infantis cujusdam quinquennis ê cujus ore Coſſorum plures in ventriculo annos aliquot ſtabulantes, non ſine plurimis atrocibus ac tandem funeſtis ſymptomatis per intervalla erepſerunt. Cujus hiſtoriam fortaſſis Nobiliſſimus Dominus D. Menzelius Collega noſter pl. Honorandus, qui curæ illius præfuit, communicavit aut adhuc communicaturus eſt. Unde verò termites iſti ſub cranio iſtius ruricolæ in crypta illa nati? non abs re dubitari poſſet. ſi ſuſpicioni locus, cum eodem Domino Doctore Zorn muſcam ê majorum numero, quæ carnes conſpurcare ſolent in nares irrepſiſſe patulas ſomnũ fortaſſis in aprico capienti, ſuoſque illi inſinuaſſe fœtus autumo.

(*Anna 1700. d. 1. Septembr. Berolino Auguſtam Vind. miſſæ*)

OBSERVATIO CXLII.

DN. D. JOHANNIS MENRADI VORWALTNERI

De Anatome abſceſſu ventriculi defuncti.

ILluſtriſſ. D. D. N. annos 60. natus ex equo non ſine inſigni contuſione in regione ventriculi præcipitatus, mox de dolore circa pylorum conqueri cœpit, qui dolor plus minus ſubinde auctus citra tamen vomitum ultrà. 7. annos perſeverabat: tum verò alui fluxus viſcoſus, mucoſus, interdum ſubcruentus dyſenterico haud abſimilis, nonnunquam fœtidus ſupervenit, in dies frequentior, tandem inuito & ægro non advertente ſecedens; hunc affectum præterea comitabantur ructus frequentiſſimi, ventriculi & inteſtinorum tenſiones moleſtæ, febricula lenta, & maxima tum liquida cum ſolida ob ſummam renitentiam & à reluctantibus flatibus aſſumptorum repulſionem deglutiendi difficultas, ex qua non rarò Illmus D. D. patiens, cum cibum aut potum vi detrudere conaretur, omninò videbatur ſuffocandus, quamvis interea aſſumpta interdum libere abſque impedimento in ventriculum deſcenderent. Varii propterea viri experti & Medici inſignes hinc inde in conſilium vocati ſunt, cum quibus mihi de hoc affectu communicare licuit; ſed diverſi in diverſas abiêre ſententias, quidam hunc morbum, dyſenteriam, alii lienteriam, nonnulli paralyſin gutturis, aliqui obſtructionem meſenterii definiebant, mihi nunquam non de abſceſſu ventriculi ſuſpicio erat. Omnibus igitur incaſſum tentatis, cùm æger nec guttulam liquoris ſine periculo ſuffocationis amplius admittere potuiſſet, anno ætatis. 71. ſupremum diem obiit. Juſſus ab Illuſtriſſima. D. D. Coniuge, 4tà à morte horâ cadaver cultro anatomico ſubjici & præſentibus duobus chirurgis, Pharmacopolâ aliiſque pluribus ſpectatoribus, in partes internas ſedulò inquiſivi, ac primò omentum extenuatum abſque pinguedine inveni, tum verò ventriculum prætumidum & inteſtina diſtenta ſed vacua nonniſi flatibus impleta: quibus reclinatis ingens abſceſſus penſorum ambci-lienem verſus ovum gallinaceum magnitudine fayl-le accedens ſe oſtendit, hoc inciſo copioſum fœtidiſſimum pus prorupit, pancreate vicino ſimul in totum corrupto. Reliqua viſcera pro ætate tam provectà erant ſatis integra, imprimis Jecur & pulmones, quod rarius in ſenibus obſervatur.

OBSERVATIO. CXLIII.
DN. D. JOHANNIS MENRADI VORWALTNERI.
De Anatome vomitorio ſublati.

F. Adiutus Laicus, olim ſecularis, chirurgum et lithotomum profeſſus, diutius appetitu imminuto, tuſſi & difficili reſpiratione laborans aliquoties à me vomitorium efflagitavit, ſed ob pravam illius conſtitutionē viſcera illius mihi videbantur haud ſatis firma ac ferendo huic medicamento paria, unde petitum ſemper recuſavi. At ille corporis robore & ſua opinione nimium confiſus, potionem emeticam olim à me cuidam Patri ejusdem ordinis propinatam, deſcripſit, eamque me inſcio præparatam alacriter hauſit. Verum vix uno alterove vomitu exantlato aliquot libras ſanguinis per aluum reddidit, fractus inde ac in lectum portatus paulò poſt è vivis exceſſit. Ego ad hoc ſpectaculum vocatus, permiſſu ſuperiorum, corpus aperui & diſſecto abdomine omnia inteſtina ſanguine turgida deprehendi, cumque curioſius indagarem per quam viam ea ſanguinis quantitas ad inteſtina affluxerit, pancreas totum purulentum & una cum inteſtino duodeno lacerum inueni, quo preſſo ſanguis è ramis, ſplenico & arteriæ cœliacæ ſiniſtro, pancreati inſertis affatim fundebatur. Jecur pallidum proximè ad ſcirrhum accedens, pulmones flaccidi multo muco obſeſſi, reliqua viſcera mediocriter ſe habebant.

OBSERVATIO CXLIV.
DN. D. JOHANNIS MENRADI VORWALTNERI.
Ex Anatome Sarcomate ſuffocati.

R. P. Hilarion O. M. R. S. F. cæterum optima valetudine & inſignibus naturæ dotibus præditus, magna ſpirandi difficultate à teneris infeſtabatur, multorum proinde Medicorum manum expertus à pleriſque aſthmaticus habitus, tandem etiam meæ ſe curæ commiſit. Verùm malo in dies aucto, elapſo circiter menſe, triduana orthopnœa correptus ſuffocatus interiit. Veritatem hujus rei exploraturus altera ab obitu die

cultro

cultro experientiam feci, & cùm omnia viſcera incuſata ſana & integerrima inſpicerem, ſub ſterno ad jugulum ſarcoma pugnum minorem facilè ſuperans vidi, quod cùm ob ſterni firmitudinem foràs excreſcere nequiret, incremento interiora verſus ſumpto, fiſtulam pulmonalem arctè compreſſit, miſerumque ne dum 33. ætatis annum emenſum ſuffocavit.

OBSERVATIO. CXLV.

DN. D. JOHANNIS MENRADI VORWALTNERI.

Ex Anatome gangrænâ inteſtinorum extincti.

ILluſtr. quidam Juvenis 20. annorum difficili reſpirationi imprimis obnoxius, ex inordinata diæta diarrhoea corripitur, quam eſu fragorum, lactucæ & raphanorum aceto probè conditorum, præter cereuiſiam fæculentam & vinum acidum inſigniter promovit, breui poſt pertinaciſſimâ alui conſtipatione & acutiſſimis torminibus cum vomitu ſubortis. His levandis Empiricus olea deſtillata & liquores carminativos aliaque talia volatilia, neglectis interim clyſteribus exhibuit, ſed malo inde vehementer exaſperato, 7ta à morbi principio die vocatus ægrum inquietum valde, ſudoribus frigidis perfuſum, cardialgia, vomitu, doloribus circa umbilicum lancinantibus, pulſu celeri frequente inæquali, ſiti inexplebili, cum interrupto delirio humi ſedentem, ſolo induſio veſtitum, in cubiculo apertis feneſtris aëri pervio, deprehendi. Curavi ſtatim ægrum in Lectum reſtitui & adhibitis clyſteribus anodernis tempertis aliiſve medicamentis internis paregoricis ſed ſine opio propinatis ſæpiſſimè in uſum vocatis, ſenſim dolores remiſerunt, ita ut nocte quietè tranſacta mane Eccleſiam frequentare cogitaret, ſed cùm obſitim non tantum non imminutam verùm potius auctam rem dubiam haberem, ne lecto exeat ſeriò interdixi: dormivit mane iterum 3 vel 4. horas, rediit appetitus, atque in prandio cibos pro re nata oblatos convenienter ſumpſit, adeò ut omnibus res in vado eſſe videretur. Tertia à prandio repentè præter omnem expectationē æger horrendis convulſionibus agitatur, hisque ad 7timam veſpertinam jugiter inſtantibus inter maximos ſtertores extinguitur. Poſtero mane cadaver inſpexi & pleraque viſcera malè conſtituta reperi, quippe ventriculus & inteſtina ieiuna inflammata, craſſiora gangrænoſa, cœcum, quod 4. alba ad duritiem calculi fecè inſpiſſata ſcybala comprehendebat, lividum ſphacelatum, Jecur

vaſtiſſimum majorem partem ſcirrhoſum, lien craſſiſſimus, renes flaccidi ſeroſi ſatiſque magni erant. In truncis venæ cavæ & Arteriæ aortæ quamvis minimè ſauciis ab emulgentibus ad diaphragma uſque, vix ℥ß ſanguinis latebat, pulmonibus è contra in immenſum expanſis ſanguine atro craſſo refertiſſimis, pluribus in locis pleuræ affixis. Cor ſolito majus omni ferè aquâ pericardii deſtitutum, ſiccum ac ſpiſſum jacebat in pulmonibus incluſum.

OBSERVAIO CXLVI.

DN. D. JOHANNIS MENRADI VORWALTNERI,

Ex Anatome pleuritide demortui.

FAmulus meus annorum 20. neſcio quot annis pectus validò cingulo arctè conſtrictum habere cogebatur, hoc enim laxato mox humi proſtratus nemini non videbatur ſuffocandus. Cumque his annis pleuritides frequentiores graſſarentur etiam ille menſe Martii in hunc effectum me abſente incidit, quod ſymptomata deinde mihi relata veluti febris continua, tuſſis, reſpiratio brevis & difficilis, dolor pungitivus in latere ſiniſtro, ſitis acuta, pulſus frequens parvus inæqualis ſatis manifeſtabant, æger autem quamvis ab alio medico legitime quemadmodum alii pleuritici tractatus 7tima die vitam cum morte finiit. Eadem adhuc die domum reverſus tyronibus meis anatomiam inſtitui, atque in corpore lege artis profectò oſtendi omnes partes internas præter lienem & pulmones ſanas & inculpatas: lien enim verò figuram prorſus ſphæricam obtinuit externè membrana vel potius cruſta alba denſiſſima quaſi cartilaginea ſuccinctus, diaphragmati, coſtis inferioribus, ventriculo, peritonæo undequaque validiſſime cohærens. Supra diaphragma totum latus ſiniſtrum pleuram inter & coſtas ac muſculos intercoſtales ad jugulum uſque ponderoſam craſſam coagulatam ex albo flaveſcentem lympham excipiebat, cruſtæ in ſanguine pleuriticorum extravaſato conſpicuæ æmulam, craſſitie transverſi digiti. In pulmonibus pleuræ admodum annexis flaccidis & atris maculis undique notatis diſciſſis vaſa ſanguifera tum majora cum minora veluti cerâ alba impleta diſtinctiſſimè conſpiciebantur, aqua pericardii omnis in ſimile coagulum abiit, corque veluti denſa pinguedine circumdedit.

OBSERVATIO CXLVII.

D. DN. JOHANNIS MENRADI VORWALTNERI.

Ex Anatome diu arthritici.

VIr 48. annorum pinguioris fortunæ, ſed tenuioris valetudinis, obeſus, ultrà 4. luſtra doloribus arthriticis, quandoque etiam nephriticis acriter vexabatur, uſus quàm plurimis medicamentis internis & externis, acidulis, thermis Piperinis in Helvetia, &c. ſed fruſtra, unde neſcio quo conſilio vini cereviſiæque abſtemius ſolam frigidam pro potu elegit, ex quo tempore dolores non mediocriter tantum mitigari verum interdum ita ceſſare expertus eſt, ut functiones ſuas ſatis commode ſubire potuerit, cùm verò hanc diætam nimia quantitate ciborum vitiaret, ventriculum gravari ſenſit, quam ob cauſam potionem emeticam à D. Medico ordinario præſcriptam hauſit. Verùm non eâ ſolùm die ſed integro ferè menſe enormes vomitus de die frequentiores, intercurrente crebro ſingultu, ſuſtinuit, appetitu abolito, ſiti præter naturam aucto, febre continuâ, urinæ ſuppreſſione ſupervenientibus. Accerſitus tandem etiam ego ſpectatorem potius quàm medicum egi, quippe non tam cibum quàm Medicinā omnē abhorrebat, ita ut audito tantùm nomine Medicinæ vehementiſſimo vomitu urgeretur, donec viribus exhauſtis fatis ceſſerit. Vidua & conſanguinei ut cauſam mortis reſcirent, cadaveris inſpectionem à me rogarunt, aperto igitur abdomine tantam molem pinguedinis obuiam habui, ut mihi in proſectione & perluſtratione partium inferiorum magno impedimento fuerit. Ventriculus & inteſtina vacua conniventia & quaſi preſſa videbantur nullo non inflammato, ventriculi autem tunica interior omnium maximè, et jamjam gangrænoſa, Hepar palidum, durum, verè ſcirrhoſum preſertim in gibba ejus parte, & lobo ventriculum tegente: pancreas putridum corruptum; lien præter morem longus, tenuis, ſubſtantia & colore naturalis ſ lobis, quâ ventriculum reſpicit, ſerræ inſtar diviſus: Renes magnitudine valde inæquales erant: ſiniſter quippe, ubi dolores potiſſimum nephriticos conquerebatur, ſero abundans, pallidus flaccidus, unà cum pinguedine inveſtiente ventriculum quaſi minorem æmulabatus, dexter econtra ſe vix cum rene pueri 7. annorum æquabat, in neutro verò nec veſtigium calculi aut arenularum reperire erat. Veſica ℥j. propè uri-

urinæ continebat perviis licet ureteribus. In Thorace pulmones flaccidos, atris maculis conſperſos & flavo tenui ſero ebrios, corque magnum molle craſſa villoſa tunica circumdatum copioſæ aquæ pericardii innatare conſpeximus.

(Ingolſtadio Auguſtam Vind. d. 10. Septembr. A. 1700. miſſæ.)

OBSERVATIO. CXLVIII.

DN. D. GEORGII TOBIÆ DURII,

De Hydrophobia felina ultra annum occultata.

MAgnos & exitioſos morbos diu ſub cineribus latuiſſe, donec virus & vires diris ſymptomatibus exſererent, plurimæ à Practicis recenſentur obſervationes, inter quas memoratu digna eſt quæ ſequitur: Erat filia octoadecim annorum ſpectabilis Dn. Kolbenſteineri, Civis & Signiferi Günzburgenſis, aliàs ſana; hæc à fele rabida in æſtate ad pedem adeo commorſa fuit, ut nullo modo beſtia avelli, ſed pedi inhærens malleo interrimi debuerit; ſumptis ſtatim antidotis nihil mali ſenſit, omniaque negotia domeſtica ritè peregit, donec poſt annum horâ nonâ veſpertinâ repentè clamaret: juvate, juvate, patior ſummas circa præcordia anguſtias, ſpretis autem medicamentis alexipharmacis, paulò poſt incipiebat vociferare voce felinâ, ſpumeſcens circa os, & illâ adhuc nocte horrendè exſpirabat.

SCHOLIUM.

De veneno hydrophobico, in ſaliva viſcida vulneri per dentes facto immiſſa ſubſiſtente legi merentur, quæ noſter Exc. *D. Theodor. Zvingerus* in *Ephem. harum Dec. 3. Ann. 2. obſ. 104.* diſſeruit; quo de etiam pluribus egit in *cent. 1. obſ. rar. 100. D. Cornel. Stalpartius*; ubi ſimul ex *Andr. Baccio*, *Amato* & *Zacuto Luſitanis*, nec non *Guil. Fabricio Hildano* quorundam ex felino morſu demortuorum mentionem facit. Similia quoque exempla noſter Nob. *D. Eberh. Gockelius dec. 3 obſ. med 9. D. Frid. Deckerus Exercit. pract. cap. 7.* & *Antonius de Heyde obſ. med. 52.* proponunt.

(Dn. D. Luc. Schröckius.)

OB-

OBSERVATIO CXLIX.
DN. D. GEORGII TOBIÆ URRII.
De Menſibus quarto ætatis anno fluentibus

Perilluſtris Domicella Baroniſſa Ruepin à Parentibus mediocris ſtaturæ nata, cum vix quartum ætatis annum exceſſiſſet, menſtruata facta, ſingulis menſibus ordinatè per uterum fluebat, facie interim ſeneſcente, octavo ætatis anno deficientibus viribus, nullo alio præſente morbo, Monachii Anno 1684. animam Creatori ſuo reddidit: hinc proverbium illud adimpletum eſt: quod citò fit, citò perit.

SCHOLIUM.

Quamvis menſtrui ſanguinis in tenella ætate excretiones non ſemper præmaturam mortem inferre, exempla à *Joh. Schenckio lib. 4. obſ. med. p. m. 695.* & in *Ephem. noſtr. Dec. I. Ann. 3 obſ. 114.* producta doceant, atque nimiam ſanguinis laudabilis abundantiam adfuiſſe evincant, quam uti aliis in puerili ætate verſantibus narium hæmorrhagia non infrequenter diminuere ſolet, ita in hiſce dicata per naturam uteri vaſa occupare, in iis coacervari, tandemque ea perrumpere valet: utplurimum tamen periculo non carere, ratio & experientia confirmant; quis enim in tenerioribus illis per ætatẽ conſtitutionibus tot repetitas ſanguinis depauperationes multum nocere poſſe non videat, præſertim cum ſæpius vel nativam corporis, uteri præſertim, debilitatem, vel ſanguineæ maſſæ acriores atque ad turgeſcentiam ideo pronas particulas adeſſe perſuadeant? ſic Nob. *D. Joh. Nicol. Pechlinius lib. 1. obſ. phyſ. med. 34.* puellam memorat, quæ à tertio ætatis anno fluore hoc divexata, & tam præcocis naturæ impetu deficiens, ipſo ætatis anno quinto interiit; Exc. *D. Theodor. Kerckringius obſ. anat. 87.* etiam producit ab ipſo nativitatis die menſtruatam, ſed poſt tertium menſem ex epilepſia mortuam; & celeb. *D. Frider. Deckerus in not. ad prax. Barbett cap. 13.* quandam biennem menſtrua habuiſſe, ſed poſt tertium eorum periodum obiiſſe obſervavit.

(*Dn. D. Luc. Schröckius.*)

OBSERVATIO CL.

DN. D. GEORGII TOBIÆ DURRII.

De Vermibus umbilicalibus.

VErmes aut lumbricos per alvum & alia emunctoria rejectos, quotidiana docet experientia, per umbilicum autem prodiiſſe, cum rara ſit obſervatio, placet eam ex relatione Dn. Joh. Caſp. Reiſii, chirurgi noſtratis induſtrii, apponere. Cum enim is Anno. 1698. d. 23. Decembr. ad Matronam quandam, non incelebris Mercatoris uxorem, aliorum negotiorum cauſa acceſſiſſet, ipſi fundulum, ex cujus ventre ſuperiore arroſo corpus aliquod albicans propendebat, quod ipſa piſciculi inteſtina eſſe credebat, contemplandum porrexit, quem die præcedente filioli quinquennis umbilico ſuperligaverat, quia per longum jam tempus de doloribus circa umbilicum, inprimis poſt ſumtum largiorem cibum, idem conqueſtus fuerat. Chirurgus autem in tam parvulo piſce inteſtinula multò minora eſſe perpendens, ac corpus illud ex foramine extrahens, verum vivumque vermem eſſe, qui ex latorum genere, inæqualis tamen craſſitiei, & ſpithamam ferè longus erat, deprehendit, qui funduli ventrem exederat, ejuſque cavitati roſtrum intruſerat. Veſperi novus fuit impoſitus fundulus, qui altero die illæſus comparuit: puellus verò de ventris dolore adhuc conquerebatur; quod quidem à vulnerato umbilico accidiſſe chirurgus credidit, cum apertura ejus craſſitiei vermis reſponderet; qui tamen dolores poſtea diſparuerunt; & quamvis exploratio hæc per octiduum continuaretur, ſolo tamen quarto die arroſio aliqua piſciculi fuit deprehenſa; propinatis inſuper anthelminticis, nulla alia plurium vermium indicia notabantur. Facilem autem aſſenſum præbui chirurgo, vermem hunc in vaſorum umbilicalium aliquo latuiſſe, atque ex ovulo cum cibo vel potu deglutito, in inteſtinis excluſum fuiſſe, & poſtquam in ſanguinem penetravit, ad locum illum perveniſſe.

(Exhibitæ Auguſtæ Vind. *d. 17. Septembr Anno 1700.)*

SCHOLIUM.

Non unius generis vermes ſunt qui ex umbilico egreſſi notantur; cum Prænob. tamen noſtri Dn. Autoris memorato convenit ille quem

D. Breng-

D Brenggerus in *App. dec. 6. Obſ. med. Phil. Höchſtetteri*, in puella ſemeſtri ab impoſito fundulo eductum recenſet, ſemipedalis nempe magnitudinis, figuræ teretis, latiuſculæ, & coloris ex luteo albicantis. Diverſus autem eſt, cujus *noſter Dn. Georg. Hier. Welſchius hecatoſt. 2. obſ. med. 66.* mentionem facit, albicans, non omnino teretis ſed latiuſculæ figuræ, & plurimis annulis interſtinctus *Felix Platerus tom. 3. prax. med. lib. 2. cap. 13.* rotundum longiuſculum, quales in farina naſci ſolent, ſe vidiſſe ſcribit. Longos etiam & teretes notat *noſter Nob. D. Joh. Muraltus Eph. harum Dec. 2 Ann. 1. obſ. 104.* Octo præditum pedibus refert celeberr. *D. Joh. Dolæus diſſ. epiſt. 13. ad b. Waldſchmidium.* Cæterum quamvis in vaſe aliquo umbilicali ſimilia inſecta latere potuiſſe, non ſit incredibile, alium tamen etiam nidum eorum agnoſci poſſe arbitror; muſculos inprimis abdominis, ab Exc. *noſtro D. Eman Kœnigio* in *Schol. ad obſ. chirurg. Muralt. 84.* indigitatos; id quod abſceſſus, ſi una concurrant, non obſcure perſuadent; quales ex umbilico erumpentes prælaudatus *Muraltus l. c. Eph. Petr. Borellus cent. 1. obſ. phyſ. med. 40. Joh. Nicol. Binningerus cent. 1. obſ. 9.* & *Zacutus Luſitanus lib. 2. prax med. admir. obſ. 80.* deſcribunt. Nec illud vaſorum lacteorum fulcimentum, meſenterium, immune quandoque eſſe, *Dolæana* obſervatio conjicere ſuadet, ubi præter puris rivulum ipſe etiam chylus copioſe effuſus dicitur. An inteſtina huc allegare liceat, dubitatur; etiamſi enim ab exhibitis medicamentis anthelminticis vermes tales per alvum prodiiſſe hiſtoriæ in *Eph. noſtr. Dec. 2 Ann. 5. app. pag. 59.* & *Dec. 3. Ann. 1. obſ. 51. Dan. Sennerti med. pract. lib. 3. part. 10. cap. 4.* atque *Caſp. Theoph. Bierlingii Theſ. theor. pract. pag. 205.* recenſitæ evincere videantur, non immerito tamen hæret præfatus *Bierlingius*, & præter umbilicalem alios etiam in inteſtinis ſimul adfuiſſe vermes, à medicamentis expulſos, vel abſtruſas atque in vivo homine tantum apertas vias dari ſuſpicatur: Aſt ſi, quod tot relationes medicæ teſtantur, ex inteſtinis lumbrici per inguina exulcerata prorepere poſſunt, conſolidatâ tamen poſtea denuo inteſtinorum læſione, cur idem per umbilicum itidem fieri nequeat, nulla cauſa ſubeſt. Et certè, ubi vermis per umbilicum non egreditur, vivo tamen & ſano poſt impoſitos & arroſos piſciculos, adhibitaque congrua medicamenta, remanente verminoſo infante, (quale quid in puella bimeſtri, jam verò octavum ætatis annum ſupergreſſa, & pancratice valente ipſe notavi,) eundem vel in inteſtinis adhuc deliteſcere, vel per alvum fuiſſe exturbatum, non dubito; ſiquidem in vaſis umbilicalibus, muſculis abdominis, aut meſenterio ſi vivus hæreret, variâ moleſtiâ

præſentiam ſuam prodere, vel ubi mortuus, putreſcere ac conſequenter diverſa ſymptomata producere deberet: neque inteſtini, quæ neceſſariò ſubeſt, læſio hic ſcrupulum moveat, cum apertura ejus exigua, quæ videlicet tenui vermis corpuſculo ſubeunda quadret, non adeo difficulter conſolidari iterum poſſe videatur.

(*Dn. D. Luc, Schrök.*)

OBSERVATIO. CLI.
DN. D. MATTHÆI BLAW.
De Cranio multoties perforato, cum variis fracturis oſſium abſque manifeſta exterua cauſâ, ſeu de rara ventoſitate ſpinæ.

ANNO 1699. die 28. Novembris obiit vir quidam ruſticus nomine Joannes Windenhalder, ætatis ſuæ prope quinquagenarius in pago Lehen ditionis Friburgenſis in Briſgoia, cujus affectum extraordinarium cùm urbis hujus Chirurgus aliàs ſatis artificioſus & expertus nomine Joannes Hergott, qui ægrum aliquo tempore tractabat, cognoſcere non poſſet, rogavit me & alios duos Chirurgos nomine D. Bangeron & D. Biſſon, ut ægrum defunctum viſitando inſpiceremus, & quo morbo propriè laborarit, aut occubuerit, ſectione exploraremus. Refert interim, ſe ante 14. dies ad hunc ruſticum ægrotantem vocatum eſſe, quem cùm prima vice viſitaſſet, intellexiſſe ab ægro, quod nuper, cùm difficilius è lecto ſurgeret, os brachii ſubitò perfregerit; viſitat Chirurgus locum & invenit, brachium ex hac levi cauſa reverâ totaliter & ita diffractum eſſe, ut os humeri in medio inſtar cubiti incurvari potuiſſet. Et dum patientem hunc ulterius tractat & viſitat, invenit tandem ſucceſſivè ſimilem fracturam in brachio ſiniſtro, uti etiam in femore ſiniſtro ſupra genu. Refert proinde, quod in hoc ruſtico obſervaverit duo ſatis magna tubercula dura in oſſis frontis dextra ac ſuperiore parte, quæ verò paulatim liquefacta diſparuere, quo loco profunda cavitas & fovea paulatim ita ſucceſſit, ut extremitas pollicis immitti poſſet & cranium ibi perforatum & magna parte abſumptum eſſe videretur: Cæterum, aiebat ægrum maxima ex parte corpore & viribus conſumptum fuiſſe &c.

Itaque nuntiatâ morte acceſſimus locum, quo defunctus jacebat, viſitabamus diligenter omnia & invenimus externè, ſicut Chirurgus retulit,

tulit, immo plura; nam non ſolùm in oſſibus frontis ſed etiam in ſyncipite, aliiſque cranii partibus plures ejusmodi foveæ ſatis latæ & profundæ erant hinc inde conſpicuæ, quas cutis contegebat naturali prorſus colore prædita, excepto uno loco Bregmatis, ubi foveola apparebat ſublivida, ac ſi Ecchymoſis fuiſſet.

Ut ergo Cranii & contentarum ſub eo partium conſtitutionem certius & per ocularem inſpectionem inveſtigare poſſemus, cultro anatomico uti volebamus; quod verò ejus vidua nullo modo admittebat, uſque dum à nobis & loci parocho perſuaſa tandem conceſſit, ut omnibus amicis abſentibus citâ ſectione propoſitum noſtrum aſſequi potuerimus.

Itaque ſeparatâ cute à Cranio plurimæ eæque ſatis magnæ foveæ, queis totum cranium perforatum fuerat, erant conſpicuæ, in quibus materia corrupta livida ſubnigricans continebatur; hinc & cranium ſecundùm rotunditatem detraximus & obſervavimus, utramque Meningem una cum Cerebro nullatenus læſam, ſed omnes has partes quoad omnia bene conſtitutas, ipſum Cranium verò (ut ſupra dictum) hinc inde multis foveis & cavitatibus in concava ejus parte ſeu interiori lamina latioribus totaliter perforatum fuiſſe. Hinc conſutâ cute accepimus Cranium, quod domi per cocturam præparatum ſequentē N. XVI. repræſentavit figuram, plus quam viginti foraminibus majoribus & minoribus perviis excavatum.

Secuimus etiam loca, ubi erant fracturæ oſſium, nimirum in utroque humero & femore ſiniſtro, in quibus fœda caries conſpiciebatur & ex leviſſima preſſione fragmenta diſſiliebant; intus loco medullæ corrupta ſublivida materia continebatur: ſimilis fractura obſervata eſt in clavicula ſiniſtra, nec dubium, ſi reliqua corporis oſſa inſpiciendi tempus pro anatomia nobis conceſſum fuiſſet, quin plures alias ejusmodi oſſium fracturas & caries inveniſſemus, ita ut exinde rari exempli defectuoſum ſceletum conſtrui potuiſſet, quod vero nobis non licuit.

SCHOLIUM.

Ex præſenti obſervatione prudenter judicare licet, morbum hunc fuiſſe talem malignum affectum ſeu cariem oſſium quaſi univerſalem, quæ (quod mirabile eſt) intactis partibus mollioribus carnoſis & membranoſis, ſolùm duriores ſeu oſſeas aggreſſa eſt. Oſſa ſæpe ſæpius ex

 cauſa

cauſa aliqua externa, v. gr. ab ulcere fœdo, aut fiſtulis, aut materia purulenta acri tumoribus impactâ carioſa fieri, lippis & tonſoribus notum eſt; ſic certi dantur affectus maligni oſſibus ſingulariter hoſtiles, uti de lue venerea & ſcorbuto conſtat: aſt nihil tale in noſtro caſu tum ex relatis tum ex aliis ſignis concomitantibus reperiri potuit; hinc dubium non eſt, affectum hunc ſingularem ex ſola cauſa interna peculiari & malignæ humorum ac præcipuè medulloſi ſucci ad nutritionem & conſeruationem oſſium neceſſarii corruptioni adſcribendâ exortum eſſe; quamvis enim ſupra ſcripta oſſis humeri fractura ex difficiliori corporis ægri in lecto erectione orta eſſe videretur, huic tamen cauſæ externæ nullatenus adſcribi potuit, fuit enim cauſa tantùm facilitans, ex qua oſſa aliàs internè marcida & carie infecta tantò facilius diffracta ſunt: quod ipſum in Cranio factum abſque ullo cauſæ alicujus externæ concurſu, & quidem ab intrinſeco, eò quòd foramina illa cranii in inferiori ſeu concava ejus parte magis extenſa & latiora fuerint quàm exterius.

Quemadmodum itaque in Gangræna & ſphacelo partes corporis molliores, carnoſæ, glanduloſæ & membranoſæ potiſſimum corrumpuntur ac mortificantur, ſic è contra in præſenti noſtro caſu oſſeæ tantum partes carie quadam univerſali, ſeu, ut ita loquar, cancro aut Gangræna oſſium (quæ alias *ſpina ventoſa*, vel à quibuſdam *ſpinæ ventoſitas*, vulgò Beinfreſſer, in pueris proprio nomine *pædarthrocace* nominatur) infectæ fuerant. Scribit *Scultetus* in ſuis obſervationibus part: 2. obſerv. „ 90. provenire ſpinam ventoſam ab humore, qui occultâ & infenſa „ qualitate primùm oſſa, citra omnem perioſtii læſionem atque doloris „ ſenſum corrodit, deinde Oedema efficit minimè dolens & poſt aliquot „ menſes partem exulcerat &c. Circa quam deſcriptionem notandum, quod quia oſſa ceu partes duræ frigidæ in ſua ſubſtantia nervos non recipiunt, neque ſpiritibus animalibus affluxum concedunt, ſenſu immediatè deſtituta ſint, & conſequenter propriè in ſe non ſentiant aut dolorem percipere poſſint niſi mediante perioſtio iis ſupertenſo; hinc in communi oſſium carie a cauſa externa v. gr. fiſtulis, abſceſſibus aut pure exorta, abſque prægreſſo dolore haud corrodi poſſe; econtra verò in tali ſpina ventoſa à cauſa interna exorta (qualem caſus præſens demonſtrat) verificatur expertiſſimi Sculteti aſſertum, quod nimirum citra omnem perioſtii læſionem atque doloris ſenſum oſſa corrodantur. Cauſam internam præfatus Author, adſcribit humori, occultâ & infenſa qualitate oſſa corrodenti; quibus terminis morborum cauſas explicari etſi Recentioribus quibuſdam (qui occultas qualitates ignorantiæ aſylum

vocant,)

vocant.) non placeat, condonari tamen poteſt viris etiam doctis & expertis, quòd in explicatione affectus cujusdam rarioris & haud omnibus noti, ejusmodi (ante hàc conſuetis) utantur terminis: quippe etiamſi corruptionem ſucci oſſium nutriticii peculiariter malignam & corroſivam in cauſa eſſe dicamus; in quo autem talis corruptio propriè conſiſtat, æque ignotum eſt, eò quòd oſſa humana etſi in ſpiritu ſummè corroſivo vel Aq. forti infundantur aut Pulvere infernali inſpergantur, corroſionem tamen vix patiantur, quin econtra membranæ qualeſcunque citò conſumantur, quamvis vitalitate nullâ amplius gaudeant. Hoc equidem indubitatum eſt, ſuccum illum medulloſum in oſſibus contentum eorum tantùm & non aliarum partium nutritioni & conſervationi dicatum eſſe: verum quomodo corruptio illius per ſolos oſſeæ ſubſtantiæ poros penetret, eamque corrodat, & non ſimul ipſi perioſtio dolorem & cranio ſubiacentibus meningibus læſionem afferat, hoc à priori per rationes fundamentaliter explicare eſt difficillimum; dum econtra notiſſimum eſt, quòd in communi oſſium carie ab ulceroſo carnis ſinu aut collecto ſanguinis pure exortâ membranoſis partibus non parcatur, ſed hæ ſimul cum oſſeis lædantur & abſumantur. Leguntur quidem varia in practicorum obſervationibus exempla, quod unum tantùm vel alterum membrum ſpinâ ventoſâ affectum fuerit, quod ſtatim incurabile pronuntiavit *Spigelius*, & partis læſæ amputationem fieri debere voluit; aſt in noſtro caſu erat univerſalis quaſi oſſium caries ab ipſa ſummitate capitis ad brachia & femora uſque ſe extendens & craſſiſſima oſſa perterebrans: quare malum hoc ex univerſali etiam cauſa originem ſumpſiſſe non eſt dubium, ità ut antecedentem ejus cauſam meritò in peculiari ſuccorum (ex quibus oſſium medulla generatur,) acrimonia & maligna vel diu latitante ſcorbutica corruptione quærere liceat, quandoquidem æger ſimul atrophia univerſali laborarit. Sed licet de Hectica ordinaria aliàs conſtet, quòd eâ laborantes ſummam membrorum laſſitudinem conquerantur, ita ut præſertim in maraſmo non tantùm ſucci liquidi nutrientes unà cum pinguedine ſed conſequenter tandem ipſæ carnoſæ partes tanquam nutrimento ſuo deſtitutæ ſucceſſivè conſumantur; verùm de ipſa oſſium ſubſtantia nihil deperditur, quale quid etiam in ſcorbuto ordinario præter corroſionem dentium non obſervatur. Unde ſi non occultum dicere velimus, obſcurum ſaltem & difficile eſſe profiteri debemus, veram rationem aſſignare, in quo affectus hujus cauſa eſſentialiter & diſtinctivè conſiſtat cujus ulteriorem trutinationem acutioribus relinquo; interim verò, quamvis de hoc affectu mirabili in aliis Authoribus & obſer-

vationibus annotatis mentio fiat, quia tamen hôc forſan modô non evenit & inter rariores caſus notatu dignos recenſeri meretur, idcirco obſervationem hanc rariorum notandorum calculo inſeri indignam haud cenſui.

(*Miſſa Fribargo-Briſg. Auguſtam Vind. d. 23. Septembr. A. 1700.*)

FIG. XVI.

Explicatio figuræ Cranii perforati:
A. A. A. Sutura coronalis.
B. B. B. Sutura lambdoidea.
C. C. Sutura ſagittalis.
D. D. Os frontis
E. E. Oſſa ſyncipitis
F. F. Oſſa occipitis.
G. &c. Loca in quibus majores cranii perforationes.
g. &c. ſunt minores cranii perforationes, quæ etſi in ſuprema ac globoſa cranii parte parvæ appareant, in interiore tamen concava ejus parte multò latiores ac majores erant.

OBSERVATIO CLII.

DN. D. JOHANNIS TACKII,

De Utero ſteatomatico.

POſtridie Calend. Januar. Anno 1653. Secui fœminam demortuam, cujus uterus inſtar ſteatomatis in unam maſſam coaluerat, nullâ cavitate intus apparente. Maſſa erat planè pinguis & carnea, ponderis, librarum trium cum dimidia.

Hanc & ſequentes Excellentiſſimorum medicorum ac Profeſſorum in illuſtri Giſſenſi univerſitate quondam Medicinæ Profeſſorum Trigæ obſervationes poſthumas, atque ex Facultatis Medicæ Actis excerptas, bono publico dicare Collegæ noſtro honoratiſſimo D D. Juſto Friderico Dillenio libuit.

OB-


fig. XVI. p. 274
G
In Rene ſiniſtro pondere ℥iß
fig XVII. p. 291
In Uretere dextri Renis pondere ℥iß
fig XIX.
fig XVIII
In pelvi dextri Renis pondere ℥iß.

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.

OBSERVATIO CLIII.
DN. D. JOHANNIS TACKII.
Ex Hydropici paracenteſi & Anatome.

JOh. Philippus Michaël Anno 1653. è vicino pago Wiſſeck hydropicus, nihil proficientibus medicamentis, paracenteſin expetiit, quam adminiſtravit Chirurgus hujus loci urbicus, cognomentò *Medicus* me, ob umbilici diaphaneitatem & protuberantiam, aſſentiente. Aqua ſenſim & per vices evacuari cœpit. Senſit primò levamen, at aliquot poſt dies obiit. Sectus, oſtendit inteſtina gangrænâ corrupta. Abdomen totum pure repletum fuit, hepar quaſi granulatum prout triticum Turcicum, penitusque croceum. Cyſtis fellea unciarum duarum pondere, locô ſinceræ bilis tenacem praſinumque continuit humorem, quem tantæ purulentiæ cauſam judicavi; quòd bilis, tanquam ſanguinis balſamus, defeciſſet. Pulmones, exterius nigricantibus maculis intumuere, interius exſucci & flaccidi exiſtentes. Renes boni fuere; Neq; Cor ullam oſtendit labem. Hepatis corrupti locô lien meliorem oſtendit faciem interius, niſi quòd exterius colore cœruleo paulum ad nigredinem declinante apparuerit, & libras duas ponderarit. Inteſtina appenſis ſcrophulis, præſertim inferiora, plena fuere.

OBSERVATIO CLIV.
DN. D. JOHANNIS TACKII.
Ex Anatome mulieris in partu mortuæ.

SEcui itidem fœminam in ipſo partu mortuam, uxorem molitoris N. N. quam ante annum, ſed annoſam duxerat virginem. Obſtetrices verò duæ diſſenſerant in munere obſtetricio obeundo, neque parturientem debitè officii ſui admonuerant: Unde doloribus evaneſcentibus, partum aliàs ſolicitantibus, ipſa quoque interiit. Uterus apertus oſtendit infantem optimè quidem locatum, at capite penitus contuſo & fracto cranio: Quæ fractura & contuſio cranii an ab obſtetricibus facta fuerit, ipſam ſæpe contrectantibus parturientem, dubitari cœpit. Quòd verò nihil certi definiri poſſet, obſtetrices à *Dn. D. Haberkornio*, me monente, vocatæ, & ob hunc caſum, ipſarum negligentiâ, prout apparebat, factum, rigoroſis verbis increpatæ ſunt. Quòd verò os pubis nimis arctè clauſum inveniretur utrinq;, factum eſt, ut, præ-

miſſâ ſedulâ adhortatione, ad majorem impoſterum diligentiam præſtandam, dimiſſæ fuerint.

OBSERVATIO CLV.

DN. D. JOHANNIS TACKII.

Ex Phthiſici anatome.

EOdem annô Darmſtadii (quò propter abſentiam *D. D. Horſtii* cum Sereniſſimo Principe Regente Ratisponam profecti, ad Aulam principalem, ut Ei à conſiliis medicis eſſem, tantisper vocatus fueram) *Joannem Burs*, Collectorem redituum Eccleſiaſticorum ibidem vitâ functum ex febre continua, & 4. integras ſeptimanas graviter quotidiè ex febre paracmaſtica afflictum ſecui, qui dextro latere pulmonibus deſtitutus fuit, iis ſcil. in illa parte planè corruptis ex longa annorum ſerie, &, ut apparebat, phthiſi: Nam & ſiniſtri lobi erant ſemi corrupti. Lien quoque penitus corruptus erat. Unde factum ut hic calorem putredinalem continuò adſpirârit, pulmones verè eventilare non potuerit, neque cordis afflictionibus ſuccurrere. Epar fuit optimum; Cordis dexter ventriculus quaſi aliqua putredine læſus. In orificio ventriculi flava quædam conſpecta eſt materia.

OBSERVATIO CLVI.

D. D. GEORGII BALTHASARIS MEZGERI,

Ex Anatome Puelli Principis annui, hydrope extincti.

ANte iter Schvvalbacenſe, juſſu *Sereniſſimi Principis noſtri, Dn Dn. Georgii II. Haſſiæ Landgravii Regentis &c. &c.* Examen viſcerum Principis puſionis, *Sereniſſ. Principis Ludovici VI.* H. L. Filioli Anno 1654 d. 19. Julio nati & Anno 1655. d. 21. Junii iterum denati, per ſectionem à me inſtitutum fuit, in quo, adſtantibus *Excellentiſſimo Dn. D. Horſtio*, & *Dn. Valentino Sandio, Chirurgo Aulico peritiſſimo*, ſequentia notavi: Primò quidem *cutis* circa regionem ventriculi, umbilici & inguinum maculis atro-purpureis, ecchymomatum inſtar, picta erat. Ex *abdomine*, per ſectionem umbilici leviter factam humores feroſobilioſi, luteſcentes & fœtidi, inſtar aquæ per canaliculum ductæ, ad tres menſuras proſiliebant: Quibus ſubductis & aperto abdomine *omentum*

penitus

penitus putrefactum occurrebat. *Inteſtina* cum *ventriculo* aliquo modo inflata, *pancreatis* autem nullum ferè veſtigium apparebat. *Venæ meſaraicæ* glutinosâ materiâ refertæ. *Lien* monſtrosè tribus appendicibus inſtructus, nigri coloris, induratus ſiniſtroque reni arctiſſimè adnatus, ut ſine cultri ope digitis avelli non poſſet. *Renes* ipſi ſatis grandes. *Hepar* ſanguineo colore exuto cineritium ferè, &, qualis in cocto alias obſervari ſolet, induerat, inciſumque copioſum etiam ſerum, & liene quidem copioſius ſtillabat. Cæterùm in utroque viſcere foveæ aquâ plenæ (hydatides fortaſſe) quamplurimæ, conſpiciebantur: *Bilis* in veſicula ſua copioſa & quaſi aurô tincta coruſcabat. *Pericardium* aqua ejusdem cum ſuperiori coloris & fœtoris diſtendebat, cui cor innatabat; ipſum autẽ *cor* planè exſuccum ne guttulam quidem ſanguinis intra ſe continebat, quod in aliis etiam viſceribus notatu dignum erat; nullibi enim ſanguis elici poterat, etiam in venæ cavæ & arteriæ magnæ vulneratione, ſed tantùm aqua loturæ carnis non abſimilis. *Pulmones* flaccidi & ex altera parte purulenti erant.

OBSERVATIO CLVII.

DN. D. MICHAELIS HEILANDI

De Viſus impotentia ob vitium nervi optici.

ANno 1665. d. 28. Julii capite ob infanticidium Wezflariæ truncatam, ex ſpeciali indultu Senatus civitatis hujus imperialis conceſſam Theatro Anatomico deſtinaveram. Cæterum cum neſcio quæ difficultates moverentur, ob jus conducendi & per diverſa territoria transeundi, maluimus cadaver ibidem (Wezflariæ) ſecare, adeoque me eô recepi, ſtipatus univerſâ Philiatrorum turbâ, atque intra triduum ſectionem hanc abſolvi, Templum deſolatum loco Theatri & alia neceſſaria ultrò ſuppeditante prælaudato Senatu. Nihil notatu dignum in hoc ſubjecto occurrit, niſi quod alter oculorum videndi potentiâ orbatus, nervo optico & flaccidiore & juſtô minore exiſtente, obſervatâ hâc differentiâ etiam ultra combinationem in Sella Turcica ſolennem.

OBSERVATIO. CLVIII.

DN. D. MICHAELIS HEILANDI

De Notabilibus nonnullis in Cadavere fœminino obſervatis.

DIe 21. Novemb. 1665. ſingulariter indulgentibus Nobiliſſimis Ganerbiis Buſſeccanæ vallis, adminiſtrationi Anatomicæ ſubjectum eſt cadaver fœmininum, cujus ſectio per integrum decendium continuata fuit, numeroſo ſtudioſorum aliorumque ſpectatorum cœtu præſente. Rariora obſervata hæc fuerunt: *(1)* Vertebræ lumborum ſex, quarum (2) quarta conformationis quoque vitio laborabat; Proceſſus enim ejusdem ſpinoſus non ſymphyſi erat unitus reliquo vertebræ corpori, ſed jungebatur arthrodiâ, extremitatibus cartilagine obductis. (3.) Thymus præterea quaſi bifurcatus ſecundum longitudinem ſterni protendebatur inſolitâ magnitudine.

OBSERVATIO CLIX.

DN. D. MICHAELIS HEILANDI

De Rarioribus in Virili cadavere obſervatis.

ANno 1677. Die 19. Januarii Anatomico exercitio oblatum eſt cadaver, viri juvenis capite truncati atque ex ictu quodam occipiti olim inflicto epilepticis inſultibus obnoxii, ubi ſequentia rariora obſervata occurrerunt:

1. Muſculorum Pyramidalium ne quidem veſtigium aliquod comparuit.

2. Ventriculi ſubſtantia in ſiniſtro latere protuberans, non longè ab orificio ſiniſtro adeò attenuata & emollita deprehenſa, ut ad levem contactum fuerit diſrupta, effuſis, quæ in cavitate erant, contentis. Duplici porrò obſcurè rubente maculâ dextrorſum versùs, in parte anteriore deturpata obſervabatur membrana ſ. tunica interior; Quarum macularum altera longitudine ac latitudine pollicem, altera v. quæ exteriora ſaltem pingebat, longitudine articulum digiti, latitudine transverſum dimidiatum exæquabat. Suſpicio erat, corroſionem illam ortam ex aſſumto veneno, quod patri offerendum prægreſſo tempore paraverat uxor.

3. In Capitis partibus tam continentibus quàm contentis nihil præternaturale obſervatum fuit.

Pul-

4. Pulmones, intervenientibus fibris nervoſis & membranoſis coſtis, ſterno & diaphragmati firmiter adnati & livido colore undiquaque tincti erant.

5. Obſervare præterea quoque licuit in juvene hoc epileptico triquetrum illud circa concurſum ſagittalis & lambdoideæ ſuturarum, à Paracelſo in Epilepſia maximè decantatum oſſiculum, ſuturis ſuis à ſyncipitis & occipitis oſſibus manifeſtò diſtinctum.

OBSERVATIO. CLX.

DN. D. MICHAELIS HEILANDI.

De cohærentia craſſæ meningis cum cranio &c. nulla.

ANno 1682. ipſis Kalendis Septembribus ex ſingulari indultu & gratia Sereniſſimæ Principis viduæ Regentis atque Tutricis, in Theatrum Anatomicum illatum eſt cadaver infanticidæ decollatæ, in quo nihil penè ſingulare obſervandum occurrit, niſi quòd nulla fuerit obſervata cohærentia duræ meningis cum cranio ejusque ſuturis: unde & cranio diſſecto promta ejus fuit ablatio, quam aliàs dicta cohærentia ſatis difficilem reddere ſolet. Et habita fuit hæc juvencula ſtupidioris ingenii dum eſſet in vivis &c.

OBSERVATIO CLXI.

DN. D. JUSTI FRIDERICI DILLENII.

De Strychni manici Veterum vel Solani Somniferi Recentiorum baccis, earundemque eſu noxio.

CUm Annô 1659. Gymnaſium patrium Darmſtatinum, adoleſcens XV. annorum etiamnum frequentarem, accidiſſe memini, ut civis cujusdam plauſtrarii, nomine Joh. Seel uxor, baccas ebuli ruri collectura, ad pulpam ſ. rob. exinde pro familia conficiendum, per errorem *baccas Solani Somniferi ſeu furioſi*, herbæ *bella donna* Italis dictæ, carptas domum ferret, ex iisque rob conficeret, confectum recens deguſtaret, liberisque ſuis utriuſque ſexus, (quorum ſex numero erant) itidem comedendum præberet. Qui extemplò partim ſomno profundo correpti, partim in tantum furorem acti fuere, ut veſtimentis abjectis & induſio ſolo velati, clarâ etiam die domuncula exirent & in plateas pro-

currerent, geſticulando, tripudiando, cachinnando & incongrua atque delira multa tum proferendo tum peragendo. Hi tamen omnes, excepto filiolo natu minimo, cui medicamenta in debita doſi exhiberi non poterant, ſtudiô atque operâ *Excellentiſſimi D. D. Strauſſii p. m. tum temporis Auliatri Darmſtatini*, ſanitati priſtinæ reſtituti fuere. Conf. de noxio harum baccarum eſu *Cardan.l.6.d.Rer.var. C.20. Hier.Mercur.l.1. de Venen.C.13.Sen.l.6.Pract.Med.P. 7.c.9.Joh.Rud. Cam. Sylleg. Memorab. C.III.P.54. Andr.Libav.ap.Greg.Horſt.To.II.Oper. l.X. Obſ.4.Epiſt.penult. ad Sigismund.* Schnizzer. *Archiatrum* Bambergens. *Joh. Schenck. l. 7. Obſ. Med. IX.* atq; ibi hanc ipſam Hiſtoriam à D. D. *Strauſſio* paucis ann. xam. It: *Sim. Paulli Quadrip. Botan. Claſſ. III. Lobel. in Adverſar. p.103. Schorer. in Medicin. Peregrinant. p. 140.* citante *Tho. Pancov. in Herbar. Portatil. ex Recognit. Zornian. edit.* Ex profeſſo autem de his commentantem Virum *longe doctiſſimum Dn. Jo. Matth. Fabrum, Med. Doct. & Proto-Phyſicum Heilbronnenſem in Strychnomania* Anno 1677. Auguſtæ Vindelicor. edita. Quin & ſimilis tragœdia ab eſu improvido harum baccar. locô myrtillorum heic Giſſæ contigit anno 1691. menſe Auguſto, qua de vid. *Diſputatio Inauguralis Dn. Jo. Jac. Mardorffii, Med. Licent.* Auctore *Theſſalo noſtro, Dn. D. Valentini*, quo ſtudiorum duce t. t. utebatur *Dn. Mardorff*, eopſe anno *de Maniacis nuperis Giſſenſ. à Solano furioſo* conſcripta & hic habita: quorum plerique meâ & quorundam aliorum Medicorum noſtratium operâ, ſecundum Deum convaluere, unus duntaxat aut alter ægrorum, malô arte docta plus valente, mortem oppetiere.

OBSERVATIO CLXII.

DN. D. JUSTI FRIDERICI DILLENII,

De Lienis exſectione.

ANnō 1670. tempore brumali Giſſæ ſub auſpiciis & manuductione B. *Dn.D. Heilandi*, curioſitatis & exercitii gratiâ, cani domeſtico lienem exſecuimus Philiatri, juxta methodum à *Dn. D. Majore in Chirurgia infuſoria* traditam, ſicque inſperſo in vaſa ſanguinolenta *pulvere ſympathetico Digbæano*, conſutisque debito modo communibus integumentis, canem vinculis ſolutum dimiſimus. Cæterùm bonus iſte φύλαξ ſeq. anni menſe Auguſto in ædibus hoſpitis ſuæ, dubium an ſeniô, (X. enim annorum ferebatur eſſe:) an fame confectus; an potius, refri-

cato

cato ex ictu aliquo, vulnere, contriſtatus & ſurdaſter factus interiit; cùm ſine ſplene vixiſſet ſic ſatis commodè ultra IX. menſes.

OBSERVATIO CLXIII.

D. DN. JUSTI. FRIDERICI DILLENII.

De Cane μονόρχει.

EOdem tempore ibidem in Collegio Anatomico privato, Eodem *D. D.* *Heilando* Directore, canem ſecuimus ἐνόρχεα, teſticulo ſcil. altero ſatis magno extrinſecùs pendente, altero verò minore intus latente.

OBSERVATIO CLXIV.

Dn. D. JUSTI FRIDERICI DILLENII.

De Sex lumborum vertebris in Sceleto virili.

ANnô 1672. Idem *D. D. Heilandus* b. m. in Collegio Chirurgico privato mihi meisque Collegis φιλιάτροις in Sceleto proceri alicujus hominis Sex lumborum vertebras oſtendit, præter naturam iſtud eſſe aſſerens, eò quòd nihilominùs XII. dorſi ac VII. colli vertebræ, præſtò adeſſent, atque ita XXV. in univerſum illi homini à natura datæ fuiſſent.

OBSERVATIO CLXV.

Dn. D. JUSTI FRIDERICI DILLENII.

De Memorabilibus nonnullis in cadavere muliebri obſervatis.

ANnô 1674. ſub initium menſis Junii in cadavere mulieris infanticidæ capite plexæ admodùm macro & ſtrigoſo, Eodem *D. D. Heilando* Prosectore, Nos Philiatri ſpectatores ſeqq. notavimus: (1.) *Hepar* gilvum ac ſubpallidum. (2.) *Lienem* alterô ferè tantô, quàm ſolet ordinariè, majorem. (3.) *Pulmones* luridos, tuberculiſque atro & grumoſo ſanguine refertis hinc indè obſitos.

(4.) Aquam ſ. lympham *pericardii* ℥j. excedentem, Serumque copioſum (in quod omnis ferè pinguedo abire cœperat) ex utroque pede ſponte aperto continuè emanans; Ut à Cachexia perfecta vel hydrope ipſo mulieri, ſi ſupervivere licuiſſet illi, metuendum fuerit, ipſo *D. D. Heilando p. m.* judice.

OBSERVATIO CLXVI.

Dn. D. JUSTI FRIDERICI DILLENII.

Vulnere arteriæ magnæ per medium abdomen illæſis inteſtinis omnibus inflicto, lethali.

ANnô 1675. poſtridiè Calendas Januarii ſub veſperam Civis ac piſtoris cujusdam filius, adoleſcens petulans atque protervus à Studioſo quodam N. N. *Buſchio*, quem contumeliis atque conviciis infinitis (quin & lapidibus, ut ferebatur) inſectatus fuerat, in platea urbis hujus Giſſenſis gladio acutiſſimo punctim feritur paulò ſupra umbilicum, telo per media inteſtina, illæſis tamen omnibus, in arteriam aortam penetrante, eamque ad ipſam diviſionem ſ. bifurcationem in duos ramos iliacos utrinque perforante. Ex quo vulnere, poſt lipothymias continuas & aſſumtorum vomitum, ab horæ quadrante elapſo interiit.

OBSERVATIO CLXVII.

Dn. D. JUSTI FRIDERICI DILLENII.

De ulceroſa phlegmone auris ſiniſtræ topico paregorico εὐπορίςῳ percurata.

EOdem, nî fallor, annô *Henricus Baleman*, Lubecenſis, Artis Pharmaceuticæ miniſtrum in Pharmacopolio Academico Giesvveiniano hic Giſſæ agens *otalgiâ graviſſimâ cum phlegmone auris ſiniſtræ* corripitur, hinc à duobus Medicis Veteranis univerſalium medicamentorum, *purgationum* ſcil. *diaphoreticorum, V. S. Enematum*, quin & *alterantium*, atque *Confortantium* internorum & externorum, *diſcutientium* item ac *reſolventium* methodicâ quidem, ſed nimis diu protracta ordinatione nimium quantum fatigatus, ac dolorum atrocitate ad inſaniam ferè adactus, ita quidem, ut libentiſſimè ſeſe illi condonaturum, adfirmaret, qui violentas ſibi manus inferret, & globo plumbeo aut ferro frigido vitæ ſimul atque dolorum ſuorum finem faceret, meam tandem, utpote Medicinæ Candidati, iisdem in ædibus Giesvveinianis adhuc degentis ægroque t. t. adſtantis opem ejulans & clamitans implorare cœpit; perindè ac ſi cum Magno illo Macedonum Mundique Monarcha Alexandro apud Curtium dicere vellet: *Lenta remedia & ſegnes Medicos non expetunt tempora mea; vel mori ſtrenuè, quam tardè convaleſcere mihi melius eſt.* Hinc precib. hominis haud indocti & morum quoque elegantiâ conſpicui, artisque

ſuæ,

ſuæ ſatis periti permotus, cùm ad ſuppurationem tendere phlegmonem ex dolore pulſatili & febre continua facilè colligerem, ad maturandum apoſtema doloremque ſimul mitigandum *Cataplaſma* εὐπόριϛον *ex medulla panis albi, rad. althea, lil. alb. caricis, flor. chamæmel. melilot. ſambuc. ſemin. lini & fœnugræc. in lacte dulci coctis*, & admixto ſub finem coctionis *Croci* opiique momento in pharmacopolio confici curavi, ægroque, ut illud veſicæ bubulæ inditum auri dolenti calidè ſupponeret, auctor fui. Qui, dictum factum, illicò levamen ſentiens adſtanti mihi ait: Ey das thut ſachte; O hätte ich das ehender gehabt! Hinc poſt medium admodùm horæ quadrantem, aliquid ex aure affecta effluere ſentiens, remotò paulisper epithemate, materiam purulentam cruori remixtam ex abſceſſu rupto emanare vidit, mihiq; revocato lætabundus mali ſui fomitem oſtendit: Cumque uſum Cataplaſmatis, identidem recalfacti, ſuaſu meo eousque continuaſſet, dum nihil ampliùs effluere, liber etiam à doloribus cerneret, *leviori* porrò *abſterſivo* adhibito pleniſſimè convaluit, cum Barclajano illo Poliarcho (*Argenid. l. 1. initio ferè*) ſecurior notis inemptisque remediis, quàm in Medicorum (nonnullorum) fide, „ iniquiſſimam mercedem ex ſupervacua curationis mora interdum „ captantium.

OBSERVATIO CLXVIII.

Dn. D. JUSTI FRIDERICI DILLENII.

De vulnere arteriæ tracheæ, ſclopetô chartâ maſticatâ, ceu referebatur, ſaltem infartô inflicto lethali.

CUm eopſe Annô 1675. Grünbergæ vices Cl. & Experientiſſimi Viri, Dn D. Giesvveinii, Materteræ meæ Mariti & Hoſpitis usque mei venerandi obirem, ac Medicum ibi Vicarium agerem, accidit, ut in luſtratione Civium publica, Juvenis quidam, civis Grünbergenſis filius è ſclopeto Gallico (Flinten⸗Rohr) ſocii ſui ſibi latus claudentis globulo chartaceo, ceu referebant, ſaltim onerato (utrum ex improviſo an ſtudiô, dubium,) exploſo, in jugulo ad latus dextrum arteriæ tracheæ vulneraretur. Accerſitus Chirurgus ſ. Barbitonſor vulnus pro more obligat, perq; bidui ſpatium diligenter ac pro poſſe curat. Cùm verò tam arctè vulnus claudere non poſſet, quin & aër, cum ſibilo, & ipſe quoque potus ac juſcula aſſumta continuò è vulnere rurſus egrederentur, ægerque in horas tantùm non ſuffocaretur,

retur, ac præterea ex hæmorrhagia largiori prægreſſa indies magis magisque debilitaretur, Ego quoque ſub noctem tertiæ diei advocor, ægrumque maximè debilem, ſubmiſsè tantùm loquentem & in momenta ſuffocandum offendo. Præſcribo primùm enemata & medicamina ſanguinem concretum diſſolventia, quòd alvum adſtrictam æger haberet & abdomen inflatum; hinc arteriaca-pneumonica, traumatica & confortantia varia, imperoque Chirurgo, Emplaſtra glutinantia & conſolidantia quævis optima ſedulò adhibeat nec nimis crebro vulnus retegat. Sed incaſsùm omnia, ægro ad omnium quà medicamentorum, tametſi liquidiſſimorum aſſumtionem continuò tuſſiente, ac cum periculo ſuffocationis creberrimè ac difficilimè reſpirante, ipſoque aëre non minùs quàm medicamentis ac ſeroſiore ſanguinis parte aſſiduè per vulnus erumpentibus, donec is decimâ morbi die, poſt crebriora animi deliquia ægerrimè ſpiritum trahens exſanguis & exſuccus interiret. In cujus arteria trachea, ſub cartilagine ſcutiformi vulnus ſive rima per utramque arteriæ membranam & inſequentem cartilaginem annularem penetrans, ſimulque vaſa jugularia externa prorſus exſanguia in ſectione poſt mortem reperta fuere.

SCHOLION.

Utrum juvenis hic ex læſione vaſorum jugularium externorum, an verò ipſius arteriæ tracheæ tantùm obierit, incertum adparet; quum utriusque partis, & tracheæ & jugularium externorum vulnera per ſe lethalia non cenſeantur. Iſtud a. veriſimile videtur, & nervulum aliquem ex recurrentibus, & epiglottidem laryngis (fortè & pharyngem) vel à ſolo pulvere tormentario cominùs per vulnus tracheæ in fauces violenter exploſo unà læſa fuiſſe: Illud quidem, quòd vulneratus toto decubitus tempore ne verbulum quidem clarè eloqui potuerit, ſed ſubmiſſim & raucâ veluti voce tantùm muſsârit; Et, quòd omnia tum alimenta, liquidiſſima etiam atque dulciſſima, licèt in minima quantitate exhibita, non tuſſim tantùm graviſſimam, ceu dictum, ipſi ſemper excitaverint; verùm & è vulnere ſæpe majorem partem rurſus eruperint: Hoc a. quòd ſolidiorum ciborum nihil omninò, fluida verò tum alimenta tum medicamenta in exigua etiam quantitate vix ac ne vix quidem æger deglutire potuerit; Quodque non minima pars ſanguinis tenuioris ac ſinceri per alvum ſubindè excreta fuerit, ipſumque vulnus non recto tramite, ſed ſurſum non-

nihil

nihil in fauces ipſas penetrâſſe viſum fuerit. Quæ quidem omnia, mediante ulteriori ſectione certiùs explorari fortè potuiſſent, ſi totum caput & collum ſectioni ſubjicere per parentes & conſanguineos vulnerati nobis licuiſſet.

OBSERVATIO CLXIX.

Dn. D. JUSTI FRIDERICI DILLENII.

De Febre lenta ἑκτικώδει *graviſſimâ IV. hebdomadum ſpatiô feliciter curatâ.*

EOdem anno vertente ab Illuſtriſſimo Comite ac Domino, DN. *HIERONYMO JOSEPHO*, *Comite de Latron &c.* inter Cæſareas copias Legionis Croaticæ Equitum Magiſtro, Freyenſenæ t. t. hibernante Grünbergâ evocabar. Quem XX. admodùm annorum juvenem teneriori corporis texturâ & conſtitutione cholerica præditum febre continua triduô jam laborantem invenio. Hanc quia in itinere, ex Auſtria æſtate prægreſſa huc usque peracta, ex variis diætæ erroribus contraxerat, prætereaq; inappetentiâ omnimodâ & cephalalgiâ ſatis acri laborabat; nec minùs crebris eructationibus, nauſeâ & inani ad vomendum propenſione tentabatur; hinc ab Emetico leniori Curationem auſpicandam eſſe duxi, exhibito in hunc finem *Magiſterio Antimonii aurato à Strobelio*, t. t. Pharmacopoeo Grünbergenſi b. m. ritè parato & cum *elæoſacchavo Citri* remixto, quod etiam pro voto ſatis bene, bis nempe vel ter ἄνω totiesque κάτω ſuam perfecit operationem. Poſthæc ad *paregorica* urgentioribus ſymptomatis mitigandis dicata, interna pariter atque externa, indeque ad blandiora *diaphoretica*, nec non *alterantia* & *ſpecifica antifebrilia*, *confortantibus* ſubindè remixta ſucceſſivè progreſſum, iisdemq; bene diu inhæſum fuit, Ægro Illuſtriſſimo nil quicquam indè meliùs habente, ſed potius, ſuperveniente diarrhoeâ penè colliquativa, & tuſſiculâ ſiccâ, & imbecillitate totius, cum ſumma corporis extenuatione ac emaciatione, ita, ut vix cutis oſſibus hæreret, ægerque Illuſtriſſimus (licèt ægrotare ſe, certè febricitare vix ſentiret) de lecto ſeſe vix attollere, nedum aliquo usque progredi poſſet, indies in pejus ruente.

Et jam oculi excavari, nares anguſtari & in acumen attolli, „ aures contrahi, tempora collabi, cutis frontis rigidari & areſce- „ re, tota facies decolorari, &, qualis ab Hippocrate (*Prognoſt. II.* „

„ *& Coac. Prænot. 212. verſ. 108.*) graphicè depicta, cadaveroſa reddi, membra ſqualore ac marcore flacceſcere, oſſiumque prominentiæ conſpicuæ adparere ac extrema omnia Illuſtriſſimo minitari: Ut jam *febris lentæ* hecticam æmulantis præſentiſſima ſigna medenti methodum hactenus inſtitutam nonnihil immutare, ac *deobſtruentibus martialibus & antiſcorbuticis temperatioribus cum Confortantibus analepticis & antihecticis* curatè mixtis hydram hanc oppugnare juberent. Quibus etiam bene diu magnâque curâ adhibitis, nec minùs exactâ diætâ ab Illuſtriſſimo obſervatâ, eadem tandem feliciter expugnata, victas dedit manus, Ægerque Illuſtriſſimus in limine mortis jam fermè conſtitutus, divinâ præſtite gratiâ, poſt IV. hebdomadum decurſum, priſtino vigori atque ſanitati reſtitutus, Deo ſoſpitatori gratias, Medicoque ſoſtrum non contemnendum gratus perſolvit. Cæterum ipſæ remediorum formulæ unà cum Curatione methodica in *Diſſertatione ſingulari* pridem affecta, ſed in ſcriniis adhuc deliteſcente ultimamque manum ſ. Colophonem expectante aliquando, Deo bene adſpirante, otiumque cum vita & valetudine largiente, indicabuntur.

OBSERVATIO CLXX.

Dn. D. JUSTI FRIDERICI DILLENII.

De Febre continua cum dolore occipitis & vertebrarum colli acutiſſimo, &c. ex Cerebri commotione per caſum ab alto factum, oriunda, brevi curata.

EOdem loco ac tempore, vel paulò ante Dn. N. N. *Mangold*, p. m. Sereniſſimi noſtri Principis ac Domini, nec non illuſtris Academiæ Ludovicianæ redituum in diſtrictu Grünbergenſi Rationarius 64. annorum, conſtitutione corporis macilenta, cholericâ vulgò dictâ, cum ante menſes aliquot ſub veſperam ex improviſo de ſcalis lapideis arcis Grünbergenſis præceps in pavimentum decidiſſet, occiputque graviter illiſiſſet, ita, ut aliquamdiu ſine voce, ſineque motu ad inſtar mortui proſtratus jacuerit, brevi tamen (cute capitis leviuſculè ſaltim vulneratâ, ipsâque contuſione partis emplaſtro vulgari perſanatâ) meliùs habere ſibi viſus omnem medicamentorum uſum neglexiſſet, non multò pòſt occipitis dolorem gravativum cum perturbatione ſenſuum ac memoriæ debilitate per vices experitur. Quæ ſymptomata

menſibus

menſibus aliquot elapſis ingraveſcere, dolor acutus in vertebris colli cum ventriculi nauſea,& bilis humoribus ſeroſis permixtæ,vomitu ſpontaneo accedere, cumq; febricula continua & membrorum motui voluntario deſtinatorum tremore ac impotentia urgere; urinâ ruffâ, tenui & crudâ, pulſuque celeri & m nùs æquali exiſtente. Accerſitus Ego,in cauſas antecedentes ſive procatarcticas inquiro, quibus cognitis, memor illicò graviſſimorum ſymptomatum, Capitis ejusmodi Concuſſiones ac Cerebri commotiones temerè neglectas inſequi ſolitorum, atq; à Præſtantiſſimo Chirurgo *Guil. Fabricio Cent. 1. Obſ. Med. Chirurg. ij. & 12. nec non Cent. 3. Obſ. 9. C. 4. Obſ. 5. & C 5. Obſ. 8. & ſeqq.* curiosè delineatorum, ad Curam illicò me accingo; Cumque nulla vel cranii depreſſio vel fractura ſub raro tenuiq; capillo appareret, ita ut eorum deraſione opus non eſſet; nec vertebrarum colli contorſio vel dislocatio ulla adverti poſſet: *Sacculos Cephalicos reſolventes ac diſcutientes*, ad imitationem *Fabricii* prælaudati primùm occipiti & nuchæ calidè apponi curo, præſcriptâ ſimul ſub veſperam primæ diei *Emulſione alterante paregorica*; poſtridiè verò *Sudoriferum antifebrile*, tum *Cucurbitulas* ſcapulis affigendas impero: Hinc *Enemate emolliente ac leniente* alvum ſubduci ac die tertio *ſanguinem* è vena Cephalica ſ. humerali dextra modicè mitti jubeo; adjuncto ſtatim *pulviſculo antifebrili præcipitante* atque *Cephalico è Vehiculo adpropriato* ter de die capiendo & aliquamdiu continuando, non omiſſis intereà *Enematis ac Emulſionibus alterantibus & paregoricis.* Tum quoque *linimentis atque ſpiritibus nervinis* atque *Cephalicis*, caput & ſpinam dorſi totam, colliqüe vertebras ſæpiuſculè calidè inungi atque fricari, quin & *Cataplaſmata Cephalica reſolventia & paregorica* occipiti nuchæque imponi, &, ſedatâ jam intemperie febrili, *Tragema & Eclegma cephalicum nervinum & confortativum* confici curo, tandemq; *Ceratô de betonica & Cucuphâ temperatiori, hauſtuloq; eccoprotico* præſcriptis Curationem ante XIVtum feliciter abſolvo.

(*Giſsâ Auguſtam Vind. d. 27. Septemb. Anno 1700. miſſæ.*)

OBSERVATIO CLXXI.
Dn. D. THEOPHILI BUDÆI.
De Epilepſia ex Philtro per Salivationem Mercurialem curata.

JUvenis generoſus XXIV. annorum temperamenti phlegmatici, militiæ deditus & in Germaniâ, Hungariâ, Moreâ &c. caſtra ſequutus, variisque in diætâ erroribus non rarò commiſſis, Annô MDCXCIV. philtrum inſcius accepit, unde paulò poſt maximis & corporis & animi anxietatibus variisq; ſymptomatibus, ut dolore capitis reſpiratione difficili lipothymiis, aliisq; primùm afficitur, quibus brevi malum Epilepticum, omnes corporis partes graviſſimè affligens, & demùm cachexia ac atrophia totius corporis ſuccedunt, ut æger vivam mortis imaginem præ ſe ferret.

Vocatis mox in conſilium medicis, varia adhibita ſunt remedia, ſed malum nullo modo remittit, quin potiùs indies accreſcit & pluribus paroxyſmis exaſperatur, adeò ut æger omni ferè memoriâ ac judiciô deſtitueretur, & vix ac ne vix quidem, quid ſecum actum, aut jam agatur, intelligeret. Tandem redux militiæque valedicens, meæ ſe concredidit curæ, ubi ponderatâ inſigni cacochymiâ aliisq; circumſtantiis obſervatis, conſultum duxi, morbum hunc graviſſimum ſalivatione Mercuriali, præmiſſis præmittendis debellare. Quamobrem Generoſo ægro primùm exhibui medicamenta aperitiva & alterantia, Martialia & Tartarea, v. g. Tincturam Martis Zvvölf. Arcan. Tartari c. Tinctura ejusd. Spir. Carminat. d. tribus, it. pulv. cachect. Cinnabarin. Wedelii &c. Dehinc, per vices Laxativa ex Rhabarb. Al. c. Tartar. Vitriol. & reſin. Gialap. it. Vomitorium ex Tartar. Emet. addito Auro fulminant. & Cinn. Antimon purgatoq; ſic optimè ἄνω καὶ κάτω corpore ſalivationem ipſam anno MDCXCV. menſe Novembr. pilulis Mercurialibus ex Mercur. Subl. dulci ritè ppt. & Extr. Scorzoner. paratis, & tribus doſibus propinatis, ut & externè partibus extremis illinito unguento Mercuriali, ex Mercur. vivi optimè purificati ℥j. Adip. porcin. ℥ij. & Ol. L. Rhod. ʒj. M. facili negotio excitavi, dato ſubinde Decocto ex antiſcorbuticis & appropriatis Cephalicis nervinis, v. gr.

℞. Rad. Sarſæparill. ℥iij.
Caryophyllat. Chin. pond.
Pœon. aa. ℥j. Liquirit. ℥ß.

Raſ.

Raſ. L. Saſſafr. Fraxin. aa. ℥j.
Agallochi alb. ʒij.
Hb. Beton. Mij.
Chamædr. roriſmar.
Summitat. Serpill. ana. mj.
Fl. Anth. lilior. convall.
ſtoech. Ar. ana. pij.
Sem. Coriandr. Aniſ.
Cinam. Cubeb. ana. ʒij.

Inciſ. & cont. in Aq. ſimpl. coctum in copiâ quotidiè propinando, Diætamque decentem imperando. Curâ iſthâc per aliquot dies ſedulò continuatâ, tantùm quidem abeſt, ut malum cederet, ut potiùs 10. 20. & pluribus paroxyſmis quotidiè recurreret, ac generoſum juvenem, miſerrimo ſpectaculo, adeò afficeret, ut de reconvaleſcentiâ omnis ferè ſpes evaneſceret, nihilo ſeciùs ſalivationem, repetitis inunctionibus, ad XXX. dies continuandam judicavi; ac demùm, ſero ſcorbutico acido & viſcido tartareo, nigricantis ferè coloris, malique odoris in magnâ copiâ non ſolùm per os, ſed etiam veſicam, nec raro per alvum educto, ægrum per XIV. dies bis vel ter in Balneo Laconico ſudandum curavi, continuato uſu ſuprà dicti Decocti, & interpoſitis pro circumſtantiarum ratione remediis ſpecificis Cephalicis, Cordialibus, Nervinis, v.g. Liqu. CC. Succin. Liqu. Cephal. Wedel. Sal. vol. Oleoſ. Cephal. noſtr. it. Pulv. Epilept. M. & nigro Cephal. cinnabarin. noſtr. c. Caſtor. Sal. vol. Succini aliiſque, nec neglectis externis, v.g. Linimentis, Balſamis, Cucuphis, Emplaſtris ex Cephalicis & nervinis Balſamicis Spirituoſis. Quibus omnibus accuratè adminiſtratis & adhibitis, tandem ſingulari Dei O. M. clementiâ poſt XXXV. dies malum hoc graviſſimum ac deteſtandum primùm remittere cœpit, durante ſolùm adhuc per aliquot dies, in diverſis corporis partibus, Spaſmo flatulento, â quô tamen ut & reliquis ſymptomatibus Generoſus æger poſtmodùm perfectiſſimè liberatus, priſtinæ ſanitati reſtitutus fuit, eâque conjugio ante 2. annos inito, etiamnum divinâ gratiâ incorruptâ fruitur.

OBSERVATIO CLXXII.
Dn. D. THEOPHILI BUDÆI.
De Atrophia â Calculo & ulcere Renum.

VIr LVIII. annorum, temperamenti cholerico-ſanguinei, â plurimis annis calculo Renum laborans, multosque non rarò calculos variæ magnitudinis excernens, ante annum paroxyſmo nephritico graviori affligitur, ut loco Urinæ magnam copiam ſanguinis floridi excerneret, ſed medicamentis adſtringentibus & traumaticis per aliquod tempus adhibitis, per dimidium & quod excurrit annum, nullis ampliùs doloribus nephriticis tentatur; contrà verò ex eò tempore urinam copioſam quidem, ſed pellucidam, inſtar aquæ, ſine nubaculâ & ſedimentô, nonnunquam tamen cum pituitâ aliquâ viſcidâ, oleaginosâ & ſebaceâ, emittit, tandem per aliquot hebdomadas de appetitûs defectu conqueritur, & ſi quid cibi quaſi coactus aſſumit, illum poſtmodùm absque ullâ nauſeà vomitu rejicere cogitur; inſuper doloribus capitis & defluxionibus catarrhalibus vexatur, nonnunquam etiam circa regionem renum, ut & umbilici dolorem quendam gravativum ſentit; alvus modò eſt aperta modò adſtricta, in ore ſaliva viſcida & mali ſaporis, ſitisque matutina incompeſcibilis, prætereaque vires indies ad ſenſum debilitantur, corpus cachecticum ſenſim exareſcit, pedes verò circa veſperam intumeſcunt. His adeò tormentis exagitatus æger variorum medicorum celebriorum conſilia ſibi expetit, qui tamen de morbi naturâ & cauſâ in diverſas ſententias abeunt; Quidam cachexiam & atoniam viſcerum, aliqui defectum Spirituum vitalium, alii calculum Renum, adeoque irritationem nervorum per conſenſum affectorum, incuſantes. Ut tamen omnibus circumſtantiis ſatisfieret, diverſa medicamenta diverſis vicibus ex arte ordinata ſunt, v. g. Vomitoria, Laxativa, aperientia, reſolventia, lithontriptica, ſtomachica, carminativa & confortantia, ſed omnia in caſſum, vomitione imprimis quotidiè continuante, & Cachexiâ, indeque ortâ febri hecticâ indies increſcente, viresque corporis depaſcente, usque dum convulſiones demùm Epilepticæ ſupervenientes ægrum è medio ſuſtulêre.

Cadavere poſt mortem aperto viſcera principaliora, ut hepar, lien & ventriculus cum inteſtinis ſana & incorrupta viſa, & fortè propter uſum medicamentorum confortantium & ſuaviter olentium, gratum

tum odorem ſpirantia, Renes verò utrique calculo affecti fuêre, & quidem totus Ren ſiniſter non ſolùm Calculo pondere unciam unam ſemis æquante, uti in figurâ N. XVII. conſpicitur, (*) infarctus, ſed & materiâ purulentâ repletus, & tantùm non exeſus viſus. In pelvi verò dextri renis, ut & in uretere ejusdem calculô reperti, in figurâ N. XVIII. & XIX. præſentantur.

FIG. XVII. XVIII. XIX.

OBSERVATIO CLXXIII.

Dn. D. THEOPHILI BUDÆI.

De Hydrope Tympanite Mictu cruento ſoluto.

VIr XLV. annorum, temperamenti atrabiliarii & conſtitutionis debilioris, immaturam mortem fratris ſui, ejusdemque liberorum relictorum tenuem ſortem nimis dolens, â ſpectrô quôdam, uti ſibi perſuaſit, perterritus, magnâ triſtitiâ afficitur, & paulò poſt in graviſſimum morbum incidit, conquerendo primùm de inſigni totius corporis laſſitudine, appetitûs naturalis defectu, difficili & anhelosâ reſpiratione, quæ ipſa brevi adeò exaſperatur, ut neque ambulare, neque ſedere, multò minùs decumbere citra ſuffocationis periculum queat; accedunt inſuper anxietates præcordiales ſummæ, certis vicibus repetentes, vigiliæ, dolor & obnubilatio capitis, item tumor hypochondriorum durus ac tenſivus, digitorum tactui non cedens, mox etiam pedum œdematoſus, cum maculis ſcorbuticis purpureis & ferè nigricantibus.

Multis ergò remediis domeſticis internis & externis propriô auſu, ſed absque ullo affectu uſus, demùm neceſſitate coactus â me expetit auxilium. Ego ponderatis omnibus circumſtantiis eidem exhibui varii generis remedia aperitiva, Martialia, Tartarea, antiſcorbutica, purgantia & ſudorifera, carminativa interna & externa. v. g. Tincturam Martis Cydon. c. Spir. Tartar. cochlear. per ferment. Carminat. de tribus, it. Sylvii Eſſ. Carminat. Sal. vol. Oleoſum Stomachic. Elix. viſcerale, Elix. propr. rhabarbar. alcal. it. Sal. viſceral. noſtr. Antimon. diaphor. et Martial. c. Ebor. ſ. Igne lap. 69. ppt. arcan. dupl & Salibus plantarum; interpoſitis Laxativis Rhabarbarinis, ex quorum uſu per aliquod tempus continuato, divinâ gratiâ meliùs ſe habere cœpit; Sed

curam

(*) War gantz durchwachſen/ und ſahe wie eine groſſe Ingwer-Zehe.)

curam ulteriori medicamentorum uſu non proſequutus, nec malum penitùs eradicari potuit, quô recrudeſcente, deſtillatorem quendam accedit, & ab eô remedium, pluribus eodem malo laborantibus expertum, nimirùm, aquam Reginæ Hungariæ l'Eau d'ongrie dictam emit, ejusque ſuaſu tria vel quatuor Cochlearia ſingulis diebus internè ſumit, eaq; externè totam abdominis peripheriam aliquoties inungit, prætereaque Balneo è lixivio Coriariorum, ein Lohe-Bad/ utitur; quibus per novem circiter dies continuatis, magnam in corpore ſentit alterationem, oriuntur in abdomine tormina & cruciatûs, ſuccedit ſtranguria & primùm urinam, paulò poſt verò ipſum ſanguinem floridum, mox grumeſcentem continuò excernere cogitur; Id quod per integras octo hebdomadas quotidiè, & tantùm non ſingulis momentis, tantâ vehementiâ, duravit, ut intra illud ſpatium plus quam 50. libras ſanguinis excreti collegerit, ubi tamen notandum, quod poſt ſingulas excretiones inſigne graviſſimorum dolorum ſenſerit levamen. Prætereà etiam circa umbilicum ſe aperturam quandam habuiſſe, & auram quaſi ex abdomine exire accuratè ſenſiſſe aſſeverat, tumore abdominis, pedumq; ſic ſenſim ſenſimq; remittente. Interim æger hic ſucceſſivè reconvaluit, & divinâ gratiâ etiamnum in vivis eſt, ſuosq; labores mechanicos ſatis expeditè exercere valet.

(*Budiſsâ Auguſtam Vindel. d. 27. Septemb. Anno 1700. miſſæ.*)

OBSERVATIO CLXXIV.
Dn. D. JOHANNIS CASPARI GRIMMII.
De Dyſenterico, à Muſcis Cobaltô (Mücken- oder Fliegen-Pulver) *enectis & inopinatò epotis.*

CUm Civis & Aurifaber Lipſienſis in Oppido quopiam, tria Milliaria Lipſiâ diſtante, intereſſet Convivio nuptiali Affinis cujusdam, & poſtquam altero nuptiarum die à prandio unà cum aliis Convivis per hortum & plateam intenſo ſolis æſtu obambularet, domum circa veſperam rediens, apprehendendo, Crapulâ largiore onuſtus, ſcyphum vitreum, cereviſiâ ex aliis poculis congeſtâ ſ. commixtâ, & Muſcis Cobaltô (quod pro his abigendis in hypocauſto expoſitum erat) enectis, refertâ, plenum uno hauſtu epotavit. Quô factô poſt

duarum

duarum horarum ſpatium ſenſit circa umbilicum tormina, quæ ſic increbuêre, ut cœnæ adeſſe minus valuerit, circa noctem aliquot dejectiones cum inſigni cruciatu & vomitu perpetiebatur, pro his leniendis & compeſcendis omnem navarunt operam oppidani amici, ſed prorſus incaſsùm laboravêre, hinc Lipſiam maturavit iter curru vectus, ad quem vocatus ipſum deprehendi miſerrimum, ſiquidem divexabatur ſingulis ferè momentis dejectionibus cruentis cum vomitu & cruciatu inſigni, quæ ſymptomata comitabantur Agrypnia, Cephalalgia, omnimoda virium proſtratio, faſtidium ciborum ac exæſtuatio ſanguinis enormior, quæ cuncta erant ſigna Dyſenteriæ perfectiſſimæ. Sub primo acceſſu ſymptomata maximè urgentia, quantum fieri potuit, diſpellere operam dedi, quæ etiam tantillùm intermiſerunt, aſt altero die recruduêre priſtina Accidentia, & medicamina, licet generoſiſſima, obtinuerunt ſingula effectum prorſus fruſtraneum. Quarto die conqueſtus eſt æger de aſperitate & infarctu quodam in medio Oeſophagi, hinc Gargariſma Siphone à Chirurgo injiciendum curavi, quô factô proſiluerunt aliquot muſcæ ſemi-putridæ, quibus remotis ſenſim ſenſimq; ceſſavêre dolores & dejectiones cruentæ, hinc certiſſimè ratus deprehendi Cauſam hujus dyſenteriæ ſolitariam fuiſſe particulas Cobalti in muſcis latitantes. Utpote quando muſcæ intraverunt Ventriculi cavum, & quamprimùm expertæ ſunt digeſtionem in ſtomacho ac Chylificationem, particulæ aculeatæ ſ. ſpicula Cobalti vellicarunt tunicam interiorem ventriculi glanduloſam ac nerveam, unde vomitus, hinc poſt Chymum ad reliqua inteſtina devolutum aculeis ſuis ita pupugêre membranam inteſtinorum glanduloſam pariter ac nervoſam, ſimulq; vaſa ſanguifera, ut largum ſanguinis proventum in inteſtinorum cavum fuderint, hincq; dejectiones cruentæ crebriores cum torminibus exquiſitiſſimis. Applicatis medicaminibus huic malo appropriatis, die duodecimo reconvaluit. In removendo hoc morbo præſentiſſimam & utiliſſimam medelam obſervavi in Enematibus ex lacte vaccino & oleô lini, bis de die applicatis, & licèt hæc ultra inteſtinum Colon, ob hujus Valvulam, aſcendere nequeant, interim probabile eſt, modum operandi fieri, inteſtinorum reliquorum tunicam nervoſam fomentando & refocillando, in inteſtino Colo verò operantur, obliniendo & demulcendo partes corroſas. Internè propinavi Balſamica leniora cum Abſorbentibus mixta, ſimulque oleoſa, inter quæ excelluerunt oleum Amygdalarum dulcium & oleum papaveris albi, in parca doſi; Item ſummè proficuus

 fuit

fuit deprehenſus Potus Coffè cum lacte Caprillo mixtus, ſicque benè ſe habuit, jam quoque optimè valet hic Dyſentericus.

(Lipſiâ Auguſtam Vindel. d. 16. Octobr. An. 1700. miſſa.)

OBSERVATIO CLXXV.
Dn. D. JOHANNIS GEORGII HOYERI.
De Ebore foſſili, ſeu de Sceleto Elephantis in colle ſabuloſo reperto.

FAuſtum ſub auſpicium anni nonageſimi ſexti, Jani Menſe in pago tria propemodum milliaria abhinc diſtante, Burgdonna nuncupato & in Dominatu Donnenſi (à Comite Waldeccio Illuſtriſſimo Saxonum Gothano Duci vendito) intra Erffordiam & Longo-Saliſſiam (ubi tum temporis commorabar) ſito, ruricolæ ſabulum pro repurgandis ædium pavimentis effodientes, forte fortuna reperiunt oſſa incredibilis ferme magnitudinis. Ut hinc rumor increbeſceret reperiri gigantea oſſa. Primùm quippe oſſa tibiæ & femoris proferebantur, quorum peripheria ulnam pene æquabat & cavitas medullæ tanta ut manus adulti poſſet immitti. Brevi poſt inarticulatio femoris cum iſchio, ampla ſatis veniebat in conſpectum. Mox ſpina dorſi ſiſtebatur in ſcenam ex oſſibus miræ magnitudinis conſtans, cum coſtis amplo ſpacio diſtentis carpi virilis craſſitiem adæquantibus: Vertebris maximis ordine ferme contiguo ad caput usque protentis, in os illud apicis vicem tenens, atlas anatomicis dictum, terminatis. Tandem vero caput ingentis magnitudinis fiebat conſpicuum, ad cujus baſin effodiebantur dentes molares, quorum quilibet duodecim libras ponderabat. Anterius duobus dentibus ad inſtar cornuum prominentibus, (vulgus cornua dicebat) quorum longitudo quatuor ulnas, peripheria baſeos unam ferme ulnam excedebat. Superficies glabra inſtar eboris arte politi; eborique ad digiti unius craſſitiem conformis admodum erat, media vero pars poroſa receptaculi medullæ formam præ ſe ferens. Rarum hoc ſpectaculum plurimorum curioſorum animos rapiebat in admirationem & diſceptationem: Aliis id pro Minerali nativo habentibus: Aliis idem Sceleton animalis, elephantis nimirum, putantibus. Non deficiebant rationes eos, qui pro Minerali pugna-

pugnabant. Scilicet, materiam videri Mineralem, ex quâ oſſa ſic dicta conſtabant. Neque enim incognitum eſſe Doctis, Mineralia ſæpius imitari figuras animalium, exemplo anguium Melitenſium, aliorumque à Scriptoribus notatorum & hinc inde in Cameris Regiis & Electoralibus Curioſis aſſervatorum: Qualia quidem in Camera Regia, quam potentiſſimus Danorum Monarcha conſervari curat, vidi plurima. Ut jam non laudem, quæ ex ſpeluncis Schertzfeldenſi & Baumannianâ prope Hercyniam Sylvam ſitis à curioſis exportantur. Enim verò cum omnia & ſingula oſſa eburneis ut ovum ovo conformia, quin & pori nec non foramina circa inarticulationes, per quæ certis quibusdam ligamentis ac nervis annecti ſibi invicem ſolent artus, adeò conſpicua, malui profectò, (teſtis oculatus qui ſum, nec per tranſenniam ſed per dioptram, quod dici ſolet perluſtravi plurima) iis album addere calculum, qui illud verum Elephantis ſceleton eſſe exiſtumabunt. Mirum quidem videri poſſet, unde Elephas in umbilico Germaniæ? Sed quid obſtaret, ſi velimus aſſerere per inundationem hujus univerſi varia omnis generis animalia à fluctibus incomparabilibus in hanc vel illam orbis terrarum partem tranſlata & huc vel illuc fuiſſe quaſi ſepulta. Eôdemque pacto & hoc noſtrum Sceleton ſub ſabuloſam talis modi terram, utpote minus udam & putredini minus obnoxiam reconditum & in hunc usque diem aſſervatum. Quin imo & ipſum unicornu foſſile quodvis materiæ medicæ accenſitum & in officinis pharmaceuticis toto die diſpenſatum, in collibus ac ſpeluncis arenoſis repertum à Cataclyſmo reſiduum eſſe pluribus rationibus evinci poſſet. Vires oſſium dictorum eburneorum diaphoreticas & febrifugas miris laudibus efferebat vulgus, quales tamen propria experientiâ nondum habui exploratas.

OBSERVATIO CLXXVI.

Dn. D. JOHANNIS GEORGII HOYERI.

De Deliriô cum ferociâ à Baccis Solani.

VEtula colligendarum herbarum cauſa ſylvam peragrans offendit forte baccas nigricantes viſui gratas & guſtui, utpote ſubdulces. Harum nonnullas eſuriens devorat, infauſta ſatis dape: Dum brevi poſt delirio cum ferocia & vigiliis aliquot dierum ſpacio durantibus mire defatigata, tandem vero ſomno ſubſecuto ſine medicaminis

 uſu,

uſu, ſola Naturæ robuſtioris bonitate reconvaleſcit, viribus inde ſummopere depauperatis. Haſce baccas Solani fuiſſe tam ex relatione quam pluribus aliis circumſtantiis patebat. Mirum vero poſſet videri, cum Solana in ſoporiferorum claſſe locum teneant, cur hæc furore & vigiliis inde fuerit correpta? Fuit autem procul omni dubio Solani ſpecies, cujus D. Jacobus Theod. Tabernæmontanus part. 2. herbarii p. 287. meminit, aſſerendo: Solanum bacca nigrâ Ceraſi ſimili, ab aliis Mandragora Theophraſti nuncupatum, progerminare baccas menſe Auguſto maturas nigricantes ſucco fuſco ſeu ſubaquilo ſcatentes, ſapore dulces & fere inſipidas, easque devoratas vel furioſos reddere vel ſoporiferas quinimo lethiferas nonnullis eſſe. Quæ cum nuperrime Sondershuſæ, quæ Principis Svvartzburgici ſedes eſt, Experientiſſimo Domino Gottvvaldt Medicinæ Candidato & Practico celeberrimo, amico meo integerrimo ita referrem, meam ſententiam actutùm confirmabat, dicendo: fuiſſe baccas Solani illius quod Itali Bella donna nuncupant, cujus & herba & flores, floribus & herbæ Nicotianæ admodum conformes eſſent. Addebat porrò, eſſe hanc Solani ſpeciem, quâ cum aliis herbis mixtâ & quaſi palliatâ Empiricus quidam prope Vinariam degens, quosvis Maniacos feliciter curare noſſet. Quod ſi vero conſentaneum, novum paradoxon exinde flueret, nimirum: Unâm eandemque plantam ex ſtultis & Inſanis, ſanos & ſapientes: Ex ſanis vero & Sapientibus reddere ſtultos & Inſanos.

OBSERVATIO CLXXVIII.

Dn. D. JOHANNIS GEORGII HOYERI.

De Aquæ ſtygiæ hauſtu exitioſo remediis domeſticis curato.

GEneroſus Dominus ab H. mediæ ætatis & robuſtæ conſtitutionis in pharmacopolio quodam oppidano per famulum ſuum pro groſſo aquam fortem, ſimul ac oleum juniperi pro groſſo ſibi coemi curat. Hoc pro dyſuria mitiganda ut aſſumeret: Illam alii, neſcio cui reſervaturus uſui. Enim vero ſucceſſu prorſus infauſto permutat oleum & Aquam ſtygiam, deceptus incuriâ pharmacopæi qui ſignaturas neglexerat. Scilicet cum modico cereviſiæ tepidæ vehiculo unico hauſtu abſorbet tantam aquæ fortis copiam. Hinc dictum

factum

factum reſpiratione difficiliori, tenſione convulſiva & ſuffocativa quaſi Gulæ ſeu œſophagi potiùs, mox Cardialgia, torminibus ventris variorumque phænomenorum ſyndrome correptus. Abſente medico quævis obvia ſibi eligit remedia: jamjam menſuram aquæ fontanæ, dein olei olivarum quantitatem, mox lactis tepidi copiam ingurgitans: Qualibus ſymptomata dicta levat non tollit. Denique Aquæ frigidæ magnam copiam ad nauſeam abſorbet; Inde Vomitionibus frequentioribus ſuſcitatis & ingeſtis quibusvis ἄνω exturbatis, à moleſtiis citatis prorſus liberatur. Nunc priſtina optata gaudens valetudine.

OBSERVATIO CLXXVIII.

Dn. D. JOHANNIS GEORGII HOYERI.

De Colocynthidis Infuſo lethalem hypercatharſin ſuſcitante.

COlocynthis quamvis adeo infame medicamen & Medicis rationalibus exoſum, ut in violentorum ſive δραστικῶν catalogo primum ferme teneat locum; nihilominus à medicaſtris & empiricis ſæpius in abuſum vocatur. Novi virum robuſtum, à Colocynthidis infuſo purgatum, cui poſtmodùm toto vitæ decurſu à nullo ne fortiſſimo quidem purgante alvus ſtimulari poterat. Duobus abhinc annis puer 12. annos natus laborabat aliquali lateris dolore, cæterùm bene ſe habens, & integro appetitu gaudens, ſcholam frequentabat, cum paribus ludebat & deambulabat. Huic Empirica Colocynthidi infuſum propinabat, a quô primis aliquot ſedibus, qualia juxta Coi 1. Aphor. 2. purgari convenit excluſis ſatis bene ſe habebat: Aſt brevi poſt cum cruentas aliquot dejectiones experiretur, viribus ſumme proſtratis, præcordiorum anxietatibus & lethali ſyncope correptus. Curritur ad me ſummopere contendendo, ut venenoſo & lethifero pharmaco remedium conveniens opponerem. Enim vero ſemianimis prius extinguebatur quam propinare poteram quicquam. Certo certius maxima ſucci vitalis pars, eroſis inteſtinorum vaſis ſanguiferis, per inferiora fuit excreta. Id quod evidentius patuiſſet, niſi ſuperſtitio parentum Cadaver ſecare prohibuiſſet.

OBSERVATIO CLXXIX.

Dn. D. JOHANNIS GEORGII HOYERI.

De Epilepſia Chronica unà cum Febre Epidemica Malignâ curata.

FEbris quædam Epidemica non paucis funeſta variis iisque periculoſiſſimis ſymptomatibus ſtipata annis præteritis nonageſimo octavô & nono, tum finitimorum locorum quorundam incolas, tum præprimis concives meos afflixit, de quâ prolixiùs forſan alio tempore, ſi Deo placuerit, diſſerendi dabitur occaſio. Eadem febre corripiebatur puer decem annos natus & per tres annos Epilepſia contumaciſſima, paroxyſmo interdiu pluribus vicibus recurrente, remedia generoſa quævis eludente, vexatus. Contingentibus itaque variis ſymptomatibus, efferato totius calore, Siti, Vigiliis, obtuſo capitis dolore, delirio &c. &c. afflictio quaſi addebatur afflicto. Rebus ſic ſtantibus â parente conſultus, ſpem faciebam non dubiam, fore ut ſimul cum febre moleſtiſſimus Epilepſiæ fugaretur affectus; Memor veriloquii Hippocratici Sect. II. aphor. 26. & Sect. IV. aphor. 57. Itaque dato ſub initium morbi Spiritu quodam bezoardico volatili urinoſo vicibus iteratis largiores prolici curabam ſudores : Quibus exantlatis & febrilis calor miteſcebat & paroxyſmi epileptici ſua ſponte penitus ceſſabant: Attenuatis nempe & diſſipatis humoribus viſcidis & ſic obſtructionibus, epilepſiam cauſantibus, tam per calorem febrilem quam per medicamentum volatile, reſeratis. In declinatione morbi pro conciliando ſomno & diaphoreſi continuanda pulveres quosdam ex C. C. philoſoph. oc. 69. coralliis rubr. terra ſigillat &c. conflatus, addito doſi refracta laudano opiato, propinare jubebam, atque perexiguo hoc apparatu Morbi Complicati ſatis periculoſi curam ex voto ſigillabam. Singularem vero ſummi Archiatri Clementiam, qua ſicut huic afflictiſſimo ægrotanti, ita pluribus aliis optatam perexiguis remediis fert opem, grata admiratione deprædico.

OBSER-

OBSERVATIO CLXXX.

Dn. D. JOHANNIS GEORGII HOYERI,

Ex Cholerâ defuncti Anatome.

JUvenis 24. annorum, Cholericus, Muſicæ Inſtrumentalis ſtrenuus ac perfectus Cultor, anno præterito 1699. tempore æſtivo in nuptiis ad ſeram usq; noctem commorans & fortaſſe potulenta largiùs abſorbens, circa mediam noctem horâ primâ nondum auditâ, tormina ventris ſumme dolorifica perſenſit. Relictis eam ob rem nuptiis atque ſodalibus domum reverſus illico cubitum ivit. Brevi poſt correptus inani vomendi conatu: mox evacuatione ſpontanea prorſus enormi ſubſequuta, qua viſcoſa ſaburra copioſiſſima tam per ſuperiora quam per inferiora magno cum impetu exturbata. Doloribus autem & torminibus nihil remittentibus, vires ſumme proſtratæ cum Cardialgiâ intolerabili & Convulſionibus ac vellicationibus membrorum tenſivis fuere notatæ. Cæterum nec calor efferatus neque ſitis adeo urgens, neque alia ſymptomata febrilia adfuerunt. Conſultus valde mane Medicus quidam, affectum hunc veluti febrem epidemicam tunc temporis hic graſſantem Bezoardicis fixis, apprimè mineralibus, Veſicatoriis inſuper applicatis, curare fruſtra laboravit. Neglectis enim ſpecificis atque Anodynis, & dolorum ineffabilium facibus cum excretione per triduum continuata, indeſinenter ardentibus, mente ad ultimum vitæ halitum conſtante ſubitaneâ morte extinctus eſt. Inopinata mors à poſteriori denique Medico ſuſpicionem movit veneni in potulentis fortaſſe propinati: Quare rem Magiſtratui denunciari curavit; Sectioni vero poſtulatæ, quaſi peregre foret abeundum ſimulando ſemetipſum ſubduxit. Inſtituta nihilominus ex ſuperiorum mandato viſitatione, quoad externa, nulla exanthemata vel alia febris malignæ neque veneni propinati viſebantur indicia. Aperto abdomine nulla putrilago neque fœtor ingratus (qui alias his caſibus æſtivò tempore frequens eſt) percipiebatur.

Ventriculus flaccidus diſſectus materiæ bilioſæ feculentæ exiguam quantitatem continebat. Cæterùm neque in ipſo ventriculo neque in inteſtinis ulla eroſio aut exulceratio deprehendi poterat: præterquam quod in orificio ventriculi ſuperiori ſeu œſophago levis inflammatio conſpicua.

Inteſtina

Inteſtina materia bilioſa referta & hinc flavo colore quaſi ſuffuſa. Hepatis, Lienis & reliquorum infimi ventris viſcerum facies & ſubſtantia ſanorum ſimilis. Viſcera thoracis ſatis etiam ſana, exceptis pulmonibus qui punctis nigricantibus paſſim notati, quamvis ipſe tam à ſpirandi difficultate quam aliâ pectoris moleſtia prorſus immunis vixiſſet.

Ex quibus manifeſtum fieri cenſeo, defunctum neque febre maligna neque ab aſſumto veneno periiſſe ſed cholera eâque primariâ non ſymptomaticâ; Quippe quæ eod. menſe plures invadebat, convenientibus autem remediis facile curata. Phænomenis enim ſupra citatis omnibus & ſingulis enucleandis ſola materiæ bilioſæ feculentæ tam in ventriculo quam inteſtinis præſentia ſufficiebat, utpote quæ dubio procul acrimonia ſua volatiliori non ſolùm levem orificii ſuperioris ventriculi inflammationem & Vomitus cauſare, ſed immanes etiam dolores, Convulſiones & lethales evacuationes ſuſcitare potuit.

Veſicatoria cholera vexatis nocua magis eſſe quam proficua, facile judicabit, quisquis fungum pro cerebro non habet. Neque video, quo conſilio ſtatim in principio febris cujusvis (ſiquidem Maligna ſaltim præſumatur) Veſicatoria, ut quidam volunt, applicari poſſint.

OBSERVATIO CLXXXI.

Dn. D. JOHANNIS GEORGII HOYERI.

De Hæmorrhagia largiori è cavitate dentis maxillaris.

SCorbuticos ſanguine ex gingivis ex ſudante conſpurcari ſæpius inſuetum non eſt: Enim vero modica vel minima cruoris quantitas curari vix ſolet. Major vero vel tanta copia, quanta in hæmorrhagiis narium effunditur, rarius equidem obſervata. Juvenis 24. annos natus, gracilis & cholericæ conſtitutionis, in convivio quodam lautius vivens, apprime generoſum vinum largius abſorbens brevi poſt ſentiebat os ſanguinis floridi magna quantitate refertum, adeo ut vix tantum exſpuere poſſet, quantum continuò è cavitate dentis cujusdam maxillaris promanabat. Effuſa magna quantitate, plures uncias ponderante, ea de cauſa conſultus, primum aquam frigidam, dein acetum in oris affecta parte detinere jubebam. Utrumque ſine ſucceſſu ſperato: Sanguine floridiſſimo conſtanter effluente. Denique linimentum ex Tincturæ terræ catechu, eſſentiæ traumaticæ

ana

ana ℥j. eſſentiæ anodinæ ℈j. cum bombace applicare ſuadebam. Quo ſæpius iterato tandem ceſſabat inconſueta talis hæmorrhagia.

OBSERVATIO CLXXXII.
Dn. D. JOHANNIS GEORGII HOYERI.
De Lochiorum ſive ſanguinis, immodici profluvii remedio domeſtico, probatiſſimo.

FOemina primaria annum trigeſimum ſextum peragens, ſanguinolenta, poſt abortum vexabatur immodico Lochiorum profluvio per 4. hebdomades durante, evenientibus interea temporis lipothymiis crebrioribus, cordis anxietatibus & pluribus phænomenis periculoſiſſimis; Conſultis eo nomine Medicis nonnullis experientiſſimis variisq; medicamentis ſtypticis & cordialibus ex Tinctura Terræ catech. antiphthiſica Gramanni, Corallior. eſſent. traumat. anodyna, pulveribus, è ſtypticis & bezoardicis conflatis: Potiunculis plurimis ex ſtypticis cordialibus & bezoardicis variis compoſitis, non neglectis externis; Singulis & omnibus abſque ſucceſſu ſperato adhibitis, prognoſtico fermè relinquitur, viribus vitalibus pene exhauſtis. Forte fortuna non nemo ex cognatis cui deploratus Matronæ ſtatus curæ cordiq; erat, ſuffumigium ſimpliciſſimo conſtans apparatu crebrioribus verò experimentis pro compeſcendo talis modi fluxu probatiſſimum ſuggerit:

℞. ſegetis ſecalinæ recentis, ſummit. arboris betulæ ana m. iij. pulveriſentur groſſo modo pro ſuffimigio ter iterando. Admiratione profecto dignum eſt tale remedium dictum factum profuiſſe conſtanti cum eventu.

OBSERVATIO CLXXXIII.
Dn. D. JOHANNIS GEORGII HOYERI.
De Tumore Axillæ Cancroſo prægrandi, ejus anatome & infelici curatione.

FOemina 54. annos nata phlegmaticæ conſtitutionis & vitæ ſedentariæ dedita, quin etiam collo ſtrumoſo multis abhinc annis deformata, præviis ſubitaneis terroribus, curis & afflictionibus variis, ante annum & quod excurrit, tumorem circa ſcap lae ſiniſtræ regionem verſus axillam protenſum obſervat, ſine doloris & ſine moleſtiæ ſenſu. Fallente

igitur *ἀπαθείᾳ* nihil periculi ſubeſſe putans, negligit illum, imò ulteriùs de eo ne quidem cogitat. Hebdomadis aliquot elapſis manum forte admovens ad ovi gallinacei formam & molem excreviſſe tangendo notat: Brevi poſt ad pugni duplicis magnitudinem auctum, ſingulisve diebus incrementa capientem, non ſine mentis perturbatione animadvertit. Ideoque jam & nunc eò ardentius proficua remedia quærit, quo magis magisque motum brachii ſiniſtri depravari, dolorumque faces ſimul accendi ſentit. Adhibita ſunt emplaſtra & cataplaſmata, queis Chirurgi ſolent uti, varia ſine ſucceſſu, tumore nihilo ſecius indies creſcente: Ex meo denique conſilio à purgantibus phlegmagogis, mercurialibus & ſudoriferis, antimoniatis, cinnabarinis fortioribus, emplaſtris reſolventibus, item de ranis Vigonis cum mercurio aliquamdiu continuatis, non quidem increviſſe, parum verò decreviſſe notatus. Non deſiit alia plura ab aliis celebrioribus Chirurgis hinc inde conquiſita in uſum vocare: Sed incaſſum fiebant omnia, indies adaucta mole plures libras jam ponderante. Parum aberat, quin deſperarem de rebelliſſimi tumoris curatione memor obſervationis 1. anni II. Dec. III. Ephemeridum N. C. ab Experientiſſimo D. Pyrrho Maria Gabriele communicatæ. Quare ut prorſus intactum relinqueret tumorem talem ac patienter ferret, quod mutari vix poſſet, ſuaſor eram. Enim verò empiricus quidam affliƈtiſſimæ, quæ ultra annuum ſpacium tanto tumore veluti ſarcinâ quadam preſſa, ſpondet auxilium. Huic credulas præbens aures ſummo cum deſiderio juvamen expectabat. Proleſcit enim ſicuti pluribus aliis in locis, ita & ſic prava conſuetudo, ut cuivis agyrtæ vel circumforaneo thraſonico fides habeatur major quam noſtratibus Medicis Experientiſſimis, præſertim ſi forte fortuna curatio quædam ſucceſſerit. Curam itaque ſuperſtitioſo quodam magnetico remedio ſine ſucceſſu tentans, cauſtica attrahentia & corrodentia vocabat in uſum: Quibus mediantibus eroſa & abraſa ſenſim cute, tumorem oblongum ſubligatum & hinc magis magisque pendulum factum, audax agyrta ſine ope cultelli ſolis manibus ſeparabat ſeptem libras civiles ponderantem. Sanguinis verò & lymphæ copia tum durante eroſione tum poſt ſeparationem effuſa quinque librarum civilium pondus exſuperabat. Tumor ita ſeparatur tetrum ſpirans odorem, diſſectus anatomico cultello ex glomeraminibus glandulоſis fermè innumeris magnitudine variantibus (quorum ſubſtantia axungiæ humanæ ſive potius adipoſæ materiæ conformis admodum) compoſitus erat. In glomeraminum illorum interſtitiis, pluribus fibris & ductibus quaſi refertis, ſerum quoque

ad

ad inſtar albuminis ovi conſpiciendum. Admiratione dignum aberrantem naturam, à ſarcinâ dicta quidem liberatam, nihilominus alimento vitiato parti ſauciæ tam curioſe proſpexiſſe, & ſic nova quaſi glandularum glomeramina majuſcula & minora ſub vicina cute quotidie in tanta copia progenerâſſe, ut vicibus iteratis eadem ſeparare neceſſum haberet empiricus, qui de ſeparatione dicta fruſtraneos egerat triumphos. Neque enim ullis remediis defendere poterat ulcus cancroſum ab affluxu & effluxu materiæ vitioſæ & glomeraminum illorum glanduloſorum generatione, Appetitum toto curationis tempore ſentiebat auctum & hinc quævis oblata eſculenta & potulenta avidè abſorbebat. Inde vero reliquis corporis partibus parum vel nihil nutrimenti accedere, quin potius macie ſenſim conſumi, omnem verò ſuccum nutritium ad partem ſauciam & cancroſam ferri notabat & quaſi ſentiebat. Ulcus interea temporis longè latèque vicinas arrodebat partes, adeò ut ab axillis infra os ſcapulæ ad coſtarum regionem protenſum notaretur. Quin imò cum ne minima ſpes ſalutis affulgeret, miſeræ per ſex menſes crudeliter ſæpè diſcruciatæ novæ & lethales afflictiones ſuperaddebantur. Nam præter foetorem intolerabilem quem putrilago cutis & ſubjacentis muſculoſæ carnis ſpirabat, novi tortores accedebant dolores, inquietudines & vigilias cauſantes. Hinc lipothymiis, nauſea, vomitu, ſingultu, viribusque ſummè proſtratis ſubſequentibus animam Redemptori ſuo tandem committebat.

OBSERVATIO CLXXXIV.

DN. D. JOHANNIS GEORGII HOYERI.

De prægrandibus & monſtroſis Naſi tumoribus, ſubligatô pilô camelinô feliciter curatis.

VIr annos ſexaginta natus, dum quadrageſimum ætatis annum egit variis tumoribus in naſo ſe exſerentibus cœpit affligi: primo lentis, dein piſi, mox fabæ magnitudinem adæquantibus: indies novum incrementum capientibus, tandem verò in molem prorſus monſtroſam excreſcentibus. Quibus curandis nullum per tantam annorum ſeriem à tutum remediũ quoquã ſuppeditatum. Interea temporis Naſus tantis tumoribus monſtroſus ſumas moleſtias cauſare notatur. Nuper admodum empiricus quidam, (cujus obſervatio præcedens meminit) conſilium & auxilium certiſſimum ſpondet, dum plures talismodi Naſos monſtroſos

feliciter à ſe curatos probat. Itaque neglectis internis medicamentis, neque diætæ ratione habita, ſine emplaſtris & ſine cultello vel alio inſtrumento chirurgico, tumoribus ſeparandis, pilo camelino ſubligatis, unguentum martiatum ſale ammoniaco, nitro atque vitriolo roboratum illinendo, intra octodecim ſeptimanarum ſpacium curam feliciter abſolvebat. Tumores, qui utriusque naris laterali parte excreverant libræ quadrans cum ſemiſſe, conjunctim libram ſemis cum quadrante ſeu uncias duodecim ponderabant. Tumor verò anterius prominens libram unam cum quadrante ſeu uncias viginti. Adeóque ſeparatarum partium pondus libras duas civiles excedebat: Sanguinis ſeroſi durante curatione effluentis quantitas unam libram civilem æquabat. Tumorum illorum ſeparatorum interna ſubſtantia è glomeraminibus glanduloſis conſtare viſa, in quorum interſtitiis ſeroſa materia variaque filamenta conſpicua. Venæ è naſo ad tumores vergentes inſtar calami ſcriptorii amplæ ſatis: Notabile, Virum laudatum toto illo temporis intervallo, quo tumoribus hisce vexabatur, ab omni Coryzæ & qualicunque muci vel pituitæ fluxu prorſus immunem vixiſſe. Separatis autem tumoribus naſum denique emunctorii naturalis hactenus amiſſas vices recuperâſſe, ipſumque Virum priſtina ferè gaudentem forma in hunc uſque diem bellè & pancraticè valere.

OBSERVATIO CLXXXV.

Dn. D. CHRISTIANI LAHME.

De Ophthalmiâ deſperata Collyrio tandem curata.

DEgit hic Hafniæ Vir ſeptuagenarius, qui fermè quotannis Ophthalmia laborat, quam Venæ ſectione, Purgantibus, Veſicatoriis, Sudoriferis & inſtillatione Spiritus Vini camphorati feliciter hactenus curatam notavi. Enimverò fruſtraneo cum ſucceſſu citata remedia omnia & ſingula nuperrimè in uſum vocata. Adeò ut pejor magis quam melior contumaciſſimæ Opththalmiæ ſtatus eſſet. Alterutro præprimis oculo peſſimè ſe habente, ut omnimoda facultatis videndi privatio, quoad hunc oculum metuenda foret. Aſt ecce, Doctor quidam Chirurgiæ, natione Suecus, qui ſe profitetur Oculiſtam, urbem noſtram forte fortuna peragrans, conſultus, ſequens remedium ſuggerit:

℞. Aq. fœnic. ℥ij.
chelidon. maj.
fragor.
roſar. alb. ana ℥j.
Spir. valerian.
Sal. Ammoniac. ana ʒß. M. ad Vitr.
Waſſer/ womit das Auge zu waſchen.

Hanc mixturam non oculis inſtillare, inſtar aliorum Collyriorum, ſed ſaltim palpebris ſeu valvulis oculorum illinere easque quaſi lavare eâdem jubet. Nimirum Ophthalmicus clauſis oculis ſera nocte valvulas collyrio dicto probe levare ſolet: Die ſubſequente moleſtiſſimis ſymptomatibus ophthalmicis pene ſublatis ex voto, luminibus oculorum utitur clariſſimis denuò & pellucidis.

(*Miſſa Molkuſa Norimbergam d. 8. Octobr. Anno 1700.*)

OBSERVATIO CLXXXVI.
Dn. D. MARCI GERBEZII.
De Hepate in hydropica injuſtè inculpato.

IN hydropicis præ aliis viſceribus affici hepar communis fuit Antiquorum opinio; eò, quòd hydropem à vitiata ſanguificatione oriri crediderint, hanc autem primariò dependere à malè conſtituto hepate: rem verò tamen frequentiſſimè ſe aliter habere, præterquam quòd jam pridem deprehenderint plurimi ex Modernis in Mortuorum Corporum diſſectionibus accuratiores, docuit me nuperrimè Barbitonſoris, & Chirurgi noſtratis Hermani Ettike pia uxor ex Aſcite & abdominis & pectoris defuncta poſt mortem à me vel rectè propterea cultro anatomico ſubjecta, quòd diu ante obitum ferè de nullo accidente magis lamentata fuerit, quàm de dolore hepatis, in qua tamen hepar ferè naturaliſſimè conſtitutum, deprehenſum fuit, unà cum ei annexa veſicula fellea: neque in abdominis viſceribus obſervatus alius memorabilis defectus, præterquam, quòd ventriculus relaxatus nimiùm fuerit, & ſolitis ſuis rugoſitatibus deſtitutus, pancreas & omentum præter modum extenuata, & meſenterium mox ſub hepate (unde do-

de dolor ille injuſtè hepati imputatus) fermè palmæ latitudine exeſum. In utero quidem etiam notabile fuit, quòd is majoris pyri molem, & figuram referens adeò compactus fuerit, ut quis vix ſetam porcinam ejus cavitati immittere potuiſſet, adeoq; injuſtè toties à Vulgaribus Medicis pro omnis generis vitioſiſſimorum humorum ſentina habitus: quòd is verò ad memorati Aſcitis progenerationem nil fecerit, non eſt, quòd ejus conſiderationi ulteriùs immoremur, in eo ſaltem Benevolo Lectore commonefacto, quòd iſta fœmina plurium quidem prolium antehàc mater fuerit, à XV. annis verò nunquam conceperit. Utrum verò in omnibus pridem à prolium geſtatione deſiſtentibus uterum ſimiliter coarctari accidat, obſervare mihi nondum licuit: Contrarium tamen videntur perſuadere Mulieres per X. annos nunquam gravidæ factæ demum verò tamen rurſus impraegnatæ. Viſitato taliter abdomine ad pectoris cavitatem tranſieramus: quàm non ſolùm non minùs aquis pleniſſimam deprehenderamus; verùm etiam univerſos pulmones ſyderatos, & veluti necroſi quâdam affectos, cor flaccidum, & pericardium iiſdem aquis nimiùm quantùm diſtentum. Procul dubio maxima mali cauſa fuit vitiata ob ventriculum pravè conſtitutum aſſumptorum digeſtio; hinc Meſenterii illa exulceratio, & per illam facta vaſorum lymphaticorum exeſio, ac demum pulmones ipſi corrupti. Imò à pulmonibus malum ſuam primam originem ſumpſiſſe vel ex eo probabile videtur, quòd ægra omnium primò, & inſolentiùs de pectoris gravitate, & reſpirationis interceptione lamentata fuerit citra omnem, vel eam ſaltem inanem tuſſim: ſucceſſivè reſpirationem nacta faciliorem, abdomine intereà in tumorem elato, verſus obitum verò demum rurſus difficiliorem. Probabiliter ob aquas in principio mali ſaltem pectoris cavitatem inundantes, ſucceſſivè ad abdomen, per quaſcunque demum vias delatas, & ultimatim (repleto ſcilicet jam abdomine) rurſus ad pectus regurgitantes?

OBSERVATIO CLXXXVII.

Dn. D. MARCI GERBEZII.

De Epilepſia duorum annorum virgis curata.

QUantorum malorum inter animi pathemata frequentiſſima cauſa ſoleat eſſe terror, adeò notum eſt, ut fruſtrà fuerit id novis caſibus demonſtrare. Non injucundum tamen fuerit ſaltem ſequentem

tem caſum ad propoſitum percipere. Erat hîc Labaci ante nî fallor, triennium, ſartor à ſuo ſocio ebrio in proprio cubiculo gladio interfectus, qui plures poſt ſe uxori alendas proles reliquerat, quàm media, quibus ea illas ſuſtentaret: quarum propterea miſerti habitiores Vicini hinc inde eas educandas dirripuerant, & inter cæteros quidem unam filiolam unius & medii anni Georgius Sbetius Mercator propriis prolibus deſtitutus: aſt quæ (quod quidem ægrè ferebat) frequentiſſimè Epilepſiâ corripiebatur. Sed accidit elapsâ quadrageſimâ, quòd eo ipſo tempore, quo puellula more ſuo paroxyſmo Epileptico prehendebatur non nemo exterus in cubili fuerit, qui visâ illâ miſeriâ ſuaſit, ut in futurum malum iſthoc virgis curare attentarent, fortè fore, ut tale remedium plùs profit, quàm quodcunque aliud ex pharmacopolio. Dictum factum, poſtridie idem malum recurrit: Arripiuntur à Matrefamilias verbera, ægra acriter concutitur, & ab ulteriori mali recurſu usque in hodiernum diem liberatur. Miranda res, quòd malum, quod toties non ſolùm aliorum, veluti Raygeri in Scholio ad Obſerv. XCVI. Spindleri, verùm & noſtrâ experientiâ fuit à terrore inductum, in enarrato caſu fuerit ab eodem terrore ex virgatione concepto radicitùs ſublatum? Quamvis ad peſſimæ illius qualitatis, quæ antehàc paroxyſmorum epilepticorum ſolebat eſſe cauſa, diſcuſſionem fortè non minùs fecerit verberatio ipſa ſanguinem, & ſpiritus in velociorem motum concitando, quàm terror ipſe.

(*Miſſæ Labaco Auguſtam Vind. d. 27. Octobr. Anno 1700.*)

OBSERVATIO CLXXXVIII.

Dn. D. PYRRHI MARIÆ GABBRIELLII,

De Orthopnœa ex Vermibus.

MUlier quadragenaria, ſana, & bene valens, ex improviſo cœpit Orthopnæa taliter laborare, ut putarem brevi perituram. Ipſa ne verbum quidem proferebat, ſed propriis Manibus ſe tangendo circa fauces, ac ſi haberet Materiam ſtrangulantem, maxima cum anxietate mihi clamitabat, unde ſollicitus de Ipſius ſalute, dubitando de Vermibus in œſophago exiſtentibus, qui propter anguſtiam comprimerent trachæam, & per conſequens læderetur reſpiratio, ordinavi Medicamenta

menta Vermes enecantia, præcipueque Mercurium dulcem in ſumma doſi cum diagrydio, ex quibus poſt duas circiter horas Patiens ſummum levamen obtinuit, indeque vero per Alvum cum fecibus ejecit triginta Vermes, teretes, & oblongos, partim Vivos, partim ſemivivos, & mortuos, & tunc bene convaluit.

Virum quoque ſanum, & robuſtum Orthopnœa ex improviſo laborantem vidi, qui remediis cum ſaccharo paratis ad lambendum ſproprio Marte utebatur, ſed fruſtra, paucis enim diebus mortuus eſt. Aperto ipſius Cadavere, Vermes quamplurimi, in œſophago, & trachæa fuere inventi, œſophagus vero, & ipſa trachæa cum multis foraminibus à Vermibus factis fuit obſervata ex quibus mors dubio proprocul originem duxit.

OBSERVATIO CLXXXIX.

Dn. D. PYRRHI MARIÆ GABBRIELLII.

De Vermibus è naribus, & ex Dorſo erumpentibus.

IN Muliere 65. Annorum nata, dolore Capitis acutiſſimo, præſertim in temporibus laborante, vermiculum è nare dextera vivum exeuntem obſervavi, hic erat teres, colore albicans, in longitudine digiti latitudinem æquans, poſt ipſius exitum ceſſabat dolor, at iterum poſt Menſem ſæviente dolore, alterum vermem primo conſimilem vidi, atque hinc præfata Mulier ſpatio trium annorum poſt capitis dolores menſibus interpolatis plures vermes conſimiles, è naribus emiſit. Indeque prorſus Capitis dolore remiſſo, ex Ipſius mulieris dorſo erumpentes cum pruritu plures Vermiculi colore nigri figura modò expoſitis ſimiles, ſed aliquantulum minores à memetipſo fuere obſervati, ex quorum eruptione cruſtæ quædam nigricantes in cute ortum duxerunt.

OBSERVATIO CXC.

Dn. D. PYRRHI MARIÆ GABBRIELLII.

De Doloribus Nephriticis periodicis.

NObiliſſima Mulier 50. Annum agens temperamento calido, & ſicco, habitu Corporis gracili, cum eſſet doloribus ex arenulis, & calculis in renibus obnoxia, per tres annos circiter ab iiſdem maximo cruciatu fuit vexata, & quod erat mirum, ſingulis menſibus periodicè

riodicè ne dum eadem die, verum etiam ipſa eadem hora prædictis doloribus nephriticis taliter cruciabatur, ut dum ab iis viveret immunis cum adſtantium ſtupore, diem & horam ſibi propter dolores ex calculis infauſtam prædiceret, qui quidem priusquam lapilli cum urina excernerentur adeo erant vehementes, ut totius corporis Motus Convulſivi maxima cum moleſtia noſtram patientem invaderent.

OBSERVATIO CXCI.

Dn. D. PYRRHI MARIÆ GABBRIELLII.

De Lapide Lapidi Bezoardico ſimili, in Ventriculo Capreoli adinuento, nucleum plumbeum Continente.

ANni elapſi menſe Januario Capreolus locis Senarum maritimis à Venatoribus fuit enecatus & in ipſius exonerati Ventriculo Lapis bezoartico Lapidi ſimilis repertus, quoad colorem erat fulvus, in magnitudine craſſitiem ovi columbini æquabat, ſed amygdalinam figuram referebat. Fracto Lapide ipſius ſtructuram obſervavi, eamque adeo ſimilem lapidi Bezoar, ut ex Laminis Cæparum adinſtar ſed cum ſtriatis, & aureis moleculis interſperſis, mediocri duritie eſſet compactus; in cujus Centro nucleus Plumbeus Ceraſi minoris magnitudine fuit repertus.

Præter conſiderationes quæ circa hunc Lapidem haberi queunt, nimirum quomodo, & ex qua materia creverit in Capreoli Ventriculo? quare prædictum haberet Colorem, & duritiem, cur nucleus Plumbeus prius quam cruſtam acquireret lapideam non deſcenderit in Inteſtina &c. Mira quidem res eſt & ſpeculatu digna, quomodo nimirum Pila plumbea deciderit in Ventriculum, & primo, an à Capreolo deglutita inter paſcendum, ſecundo, an in vulnerato ſuperficialiter per ſcopletum Pila plumbea in vulnere remanſerit, eamque capreolus deglutierit dum vulnus lingua detergere curabat, quod quidem evenire poterat multis menſibus, antequam fuerit enecatus; Tertio an habuerit ingreſſum per aliquod vulnus ipſi per Scopletum factum, vel in ventre cum ſola læſione ventriculi, & partium ſuperjacentium, vel in Collo in parte œſophagi correſpondente, unde Pila plumbea œſophagi tunicam perforaverit, & in Ventriculum deſcen-

derit, in quo ſumpſiſſet incrementum ad inſtar lapidum in Animalium Corporibus augeſcentium.

Ego quidem cenſerem admodum eſſe veriſimile, quod capreolus inter paſcendum ipſum globulum plumbeum deglutierit, ſæpe ſæpius enim, ut dicunt venatores Quercuum glandes minores in Ventriculis Capreolorum reperiuntur, ob id nil mirum ſi quod glandes integras aliquando deglutiunt, prædictum globulum plumbeum noſter Capreolus deglutierit.

Præterea curioſitate ductus quibusdam maligna febre laborantibus prædicti Lapidis pulverem ad ſcrupulum unum præbui, ex quo ſudor, & urina in magna copia; atque hinc paucis diebus ægrotantes convaluerunt.

(Senis Hetrur. Auguſtam Vind. d. 8. Novembr. Anno 1700. miſſæ.)

OBSERVATIO CXCII.

Dn. D. EBERHARDI GOCKELII.

De Ulcere inguinis ſiniſtri fiſtuloſo, ex quo Vermes prodierunt.

ANno 1700. die 18. Septembris, Johannis Felicis Mülleri, hortulani Conjux annorum 50. me vocavit, mihique retulit, quod ante biennium, & quod excurrit, menſes ipſi defecerint, & quod ultra anni ſpatium in ſiniſtro femore verſus inguen, acutiſſimos, rodentes, ac mordicantes dolores ſenſerit, ita ut claudicante pede ambulare, ſuaque negotia domeſtica, actionesque naturales ſine ſingulari impedimento haud obire potuerit, donec ante aliquot dies poſt perpeſſos inſignes cruciatus colicos & uterinos, tumor inſignis in ſiniſtro inguine obortus ſit, qui per emollientia ad maturitatem perductus, & tandem ruptus, multam fœtidam ac purulentam materiam profuderit, ac cum illa Vermem teretem ulnam dimidiam longum ac vivum, capiteque acuminatum, circa collum protuberantia circulari, inſtar collaris, munitum, ac brevi poſt extinctum, excreverit, & poſt hunc, die 22. Septembris, alium Vermem teretem & oblongum, ſed mortuum, cum materia purulenta egeſſit. Pari ferè ratione ante aliquot annos Langenavii, in Ulmenſium agro, apud adoleſcentem octodecim

cim annorum ex rupto inguinis abſceſſu muſcæ alatæ prodierunt, quæ â concepto circumſtante aëre mox interierunt.

Ego, ſtatum hujus morbi examinans, judicavi, quod cauſa ejus â retentis & ſuppreſſis menſibus, ac ab humore vitioſo, circa inguen & verſus regionem abdominis tam in tubulis, quam in interſtitio cutis & ſubjectarum partium ſtabulante, ibidemque circulationem ſanguinis impediente, provenerit, & calor ſpirituoſus in materiam congeſtam & propter longiorem moram putrefactam, agens, mediante fermentatione ſeminium verminoſum in dicta hac materia putrida contentum animaverit, dictumque vermem in fiſtuloſo hoc canali enatum ac educatum, qui mordendo ac rodendo commemoratos dolores excitavit, produxerit. Aperto itaque ulcere, & excretis his vermibus, dolores in femore remiſerunt.

Curationem Ulceris hujus fiſtuloſi quod attinet, ego internè ad Corpus cacochymicum per vices expurgandum primò ſequentem potiunculam, ac diebus aliquot poſt hanc purgationem elapſis, pilulas mercuriales præſcripſi. ℞. Elect. lenit. Florenz. diacathol. aa. ℥iij. Crem. Tartari ℈j. Diagryd. Corr. gr. v. M. f. Cum Aq. Ceraſ. nigr. ℥ij. potio una vice ſumenda. Et, ℞. Extr. panchymag. Croll. Mercurii dulc. aa. ℈ß. Mag. Gialapp. gr. v. M. f. Cum Tinctur. Tartari pill. numero 25. una vice deglutiendæ. Ad hæc bona & conveniens Diæta fuit obſervata, ac Potus ordinarius fuit ſequens. ℞. Scob. ligni ſaſſafras, Guajac. aa. ℥ß. rad. chin. ſarſaparill. aa. ℥ij. Cinnam. opt. ʒij. CC. uſt. ʒvj. paſſul. min. ℥iß. ſem. anis. & fœnic. aa. ʒß. M. & conciſ. f. decoct. in olla benè tecta cum Aq. font. ℔viij. ad tertias. Externè, ulceris cavitas usque ad perfectam mundificationem per turundam unguento digeſtivo illitam manſit aperta, ac talis aqua mundificans, putredinem arcens, & conſolidationem promovens, per ſiphonem fuit injecta. ℞. Herb. Centaur. min. ſcord. ſambuc. aa. Mß. flor. roſ. rubr. Mß. flor. balauſt. ʒj. Pulv. maſtic. myrrh. oliban. aloes aa. ʒß. Rad. ireos Florent. ariſtol. rotund. tormentill. aa. ʒj. M. & Conciſ. Coq. cum ℥xx. Aq. fontanæ, & vini rubri ℥x. in olla benè tecta, in Colatura diſſolve Mell. roſ. colat. ℥j. Miſce. His remediis, benedicente Deo, dicta patiens brevi temporis ſpatio feliciter fuit reſtituta.

OBSERVATIO CXCIII.

Dn. D. EBERHARDI GOCKELII,

De Febre maligna petechiali, ab olfactis floribus, quibus cadaver pueruli, febre acuta defuncti ornatum erat, proveniente.

ANno 1700. die Veneris, qui erat 13. Auguſti Civis, cujusdam Ulmenſis & tinctoris nepos, puerulus ſex annorum, qui febre acuta & maligna occubuit, ejusque cadaver in loculo depoſitum floribus ac buxo ornatum erat, ſepultus eſt, cujus funus duo pueruli vicini ac ſodales, ætate pares, quorum unus Ludimagiſtri Baccheri, alter Chriſtophori Cellarii, Crumenarii filius erat, ad cœmeterium usque comitabantur. Cum igitur feretrum propè ſepulchrum aperiebatur, Conductor funeralium, (Germ. der Zuſprecher) hiſce duobus puerulis, in memoriam defuncti ſodalis atque vicini, & quidem priori minorem fruticem buxi, alteri roſam cum aliquot aliis floribus, ex loculo defuncti deſumptis, donavit, qui hæc Libitinæ dona cum gaudio acceperunt, & buxum & flores naribus admoverunt, & ſæpius odorati ſunt. A quo concepto odore Ludimagiſtri filius ſtatim tumore capitis & faciei correptus, per biduum periculosè decubuit & evaſit; Crumenarii verò puer â ſepulturæ tempore usque ad inſequentem diem lunæ erectus manſit; die Martis verò, qui erat 17. Auguſti, prævio rigore, & mox concomitante totius Corporis exæſtuatione, nec non Cephalalgia, & febre maligna, in lectum dejectus fuit, ubi cum convulſionibus & animi deliquiis maculæ petechiales in facie & corpore eruperunt, cui in Conſilium & auxilium vocatus, ſudorifera, cordialia, antiepileptica, & alexipharmaca, utpote pulverem rubrum Pannonicum, epilepticum Marchionis, lapidem bezoardicum, cum aquis cordialibus confortantibus & antiepilepticis, nec non clyſteribus, & ſpeciebus pro potu ordinario, præſcripſi.

Cauſa hujus morbi â cadaveroſis effluviis, & particulis volatilibus putrilaginoſis & malignis, dicto buxo & floribus impactis ac inſinuatis, per olfactum conceptis, Spiritusque vitales & animales impugnantibus, inflammantibus, inquietantibus & perturbantibus, ſimul ac vehementem fermentationem in ſanguine & humoribus excitantibus, dependebat, quâ mediante fermentatione Archæus hanc

materiam

materiam heterogeneam ac malignam deſpumare, ſeparare & expellere, ſicque Spiritum vitalem ab interitu vindicare ac liberare conatus eſt, qui etiam, morbo devicto, victoriam deportavit. Et, quod talia Cadaverum effluvia quæ particulas malignas volatiles ſubtiliſſimas ac ſummè penetrantes conjunctas habent, tales funeſtas in corpore humano tragœdias excitare poſſint, per ſequens Exemplum mihi notiſſimum probatur, dum ante aliquot annos, cum Paulus Baur, Veſpillo Ulmenſis, cum ſuo comilitone in ſepeliendo defuncto cive occupatus erat, & in ſepulchro inter fodiendum per incuriam tabulam ſeu aſſerem de feretro febre maligna non ita pridem demortui, & ad latus ſepulti filii, Tobiæ Zolleri, Curatoris ægrorum quondam Loimodochii, ligone aperiebat, ab exinde concepto horrendo, maligno, ac cadaveroſo fœtore, hi ambo illa ipſa die morbo exitiali affecti & correpti ſunt, ubi veſpillonis Commilito altera ſtatim die, Veſpillo verò paucis abhinc diebus, præcedentibus lipothymiis, Cordis tremore, ſudore frigido, mentis alienatione, & maculis latis atro-lividis, inſignem totius maſſæ ſanguineæ gangrænoſam putredinem indicantibus, totumq; Corpus ſparſim occupantibus, vitam cum morte mutavit.

Præter hæc dicta, apud Crumenarii dicti filiolum, ſex annos natum, ſequens Hiſtoria notatu digna eſt; Hic, cum adhuc infans viginti ſeptimanas vixiſſet, per incuriam cum ancilla, quæ illum geſtabat, per ſcalas decidit, & cum occiput trabi ædium vehementer allideretur, cranium in ſiniſtro latere propè ſuturam lambdoideam dimidii digiti longitudine, & monetæ quindecim Crucigeros habentis latitudine fregit, & per aliquot dies ſenſu carens & aphonus decubuit, quæ fracta cranii particula ſubtus cranium introceſſit, & in hunc usque diem in fracturæ loco nullus callus, (ut aliâs â provida matre natura generari & parari ſolet) enatus eſt, ita, ut læſionis locus ſub cute carnoſa, nullo callo vel cranio clauſus vel munitus, ſed omni munimento orbatus ſit, ac pulſatio cerebri & meningum impoſitis digitis percipi poſſit; Hoc non obſtante præfatus puer hactenus, (præter nuperrimum affectum) ſalvus & incolumis vixit, nullum impedimentum ſalvæ rationis & memoriæ ſenſit, ac per loquelam cuncta verbis ſine ulla hæſitatione exprimere potuit.

(*Miſſa Ulmâ Norimbergam d. 19. Novembr. Anno 1700.*)

OBSERVATIO CXCIV.
Dn. D. UDALRICI STAUDIGELII.
De curioſis poſt apum ictus ſymptomatibus.

NOn equum ſolumodo ſaginat, ut vetus perhibet verbum; verum etiam univerſam egregie promovet œconomiam Domini oculus. Etenim ſi rerum ſuarum idem frequentem ſeſe præbeat ſpectatorem, quam rotundius, tam fidelius quoque ſuis fungitur officiis omne famulitium: rotundius, ſingula nimirum exequendo ſuo tempore, ſuisque debitis intervallis, ſolertia, ſtudio, ſollicitudine, æmulatione; fidelius ſua præſtando ſeu hominibus, ſeu animalibus, & quidem conſtitutis à Domino, pondere, numero, & menſura. Ex quorum omnium coordinato complexu, & œconomiæ dependet proſperitas, & ipſius patrisfamilias felicitas. Hoc principium ſecutus Dominus N. uti ſæpius aliâs, ita 29. Martii anni 1699. in propinquam utcunque villam conceſſit, comperturus, quid factum, quidve porro faciendum pro illa naſcentis veris ſtatione, redeunte ruſticorum laborum tempore. Luſtranti ſolertiùs ſingula, tandem occurrerunt etiam apes, in alvearibus ſuis non ita pridem cœlo libero expoſitæ. Dies erat à ſerenitate quidem ſatis amabilis, à flatu tamen Auſtri rigida nonnihil; dubioque procul cauſa, quod in alvearibus ſuis apes ſeſe continuerint quietas ultra morem, omni prorſus abſque tumultu, ſuſurro, murmure. Miranti tam pacatum ſilentium, Domino tandem ſubnata cupido fuit, propius intuendi, quidnam agerent intus tam aliàs argumentoſa animalcula. Cùmque commodè, citraque periculum ullum fieri poſſe reſponderet interrogatus villicus, ut quoddam alvear attolleret, in mandatis accepit. Jam vero ſeu largioris ſolis admiſſione, ſeu rigidioris venti ſpiramine, ſeu demum moleſtiori quodam effluvio corporeo habituve irritatæ apes, primò tumultuare, dein frendere, ſimulque, qua data porta turmatim erumpere, præſumptuoſum inſpectorem unicè petere, circumvolitare, ſua in eundem ſpicula exacuere. Ac licet in fugam ocyus ſe conjecerit, caput cum pileo, chirothecis ſtrophioloque munierit, impedire tamen non potuit, quo minus tres ictus ab iisdem acciperet, unum ſupra oculum dextrum ad oram ſuperciliorum, alterum in gena, & tertium ad volam manus. Erat in omnibus dolor æqualis, &, ut ſolet, admodum intenſus. Et verò, quòd vehementer afflixerat fodicatum, erat, quod abſens à domo, nullum, quo tumoribus, haud dubiè ſubſecuturis,

obviam

obviam iret, haberet remedium. Dum queritur igitur, dum pro oculo ſollicitus, in omnes partes rapitur, monetur à circumſtantium aliquo, lutum imponat aculeatis locis: experientia ſe doctum ſubinquiens, & dolorem levari paulatim, & tumores aut nullos exoriri, aut brevi rurſus depelli; utut autem fiduciam prope nullam poneret in hoc remedio, videns tamen ſe deprehenſum à neceſſitate, aliud hic & nunc remedium non admittente, manus dedit, ac in terram demiſſus lutum arripuit; oculoque, cui præcipue timebat, impoſuit, detinuitque deſuper, commendatis neceſſitati, quos luto tegere non poterat, reliquis duobus ictibus, ac viam ita domum repetit. Et eccum! vix horæ deceſſerat quadrans, tum animadvertit, abactum penitus dolorem; non ſolum ſupra oculum, ubi conſtanter lutum detinuerat; verum etiam in gena, volâque manus, quas partes luto munire non poterat. Tumores aſſurgere jam incipientes, & ipſi intercepti fuerunt, remanente duntaxat parviſſima macula, nimirum ubi fuerat immiſſus aculeus, vix agnoſcibilis: ita quidem ut, domum ubi pervenerat, remediis ullis amplius non habuerit opus. Sed quid? exactis completè tribus ſeptimanis, vigeſima ſcilicet prima die, à quo Domini fuerat caſtigata temeritas, in veſperum jam inclinante; primò gravedine quadam tentari cœpit manus, tum prurigine in vola, ubi ceptum erat ſpiculum, mox ardore, inflammatione, tumore, dolore denique tali, ut ſcribere non potuerit amplius. Eadem prorſus, & eodem omninò tempore fodicata nuper loca repetierant ſymptomata, genam ſcilicet & frontem, cum hoc ſolo diſcrimine, quod volæ dolor, longe cæteris fuerit acerbior, & vehementiâ ſenſibilitatis moleſtior. Diſcurritur igitur in familia, conſulitur de malo, inquiritur in remedia; at ipſe Dominus memor à ruſtico dati conſilii, memor etiam effectus præſentanei, hortum domui contiguum petiit, terræ fruſtum exſecuit, volæque, ceu præcipuam moleſtiam faceſſenti applicuit aliquamdiu, demum alligari quoque adjusſit; relictis, ut antehac gena vel volâ; ita modo, fronte & gena tantiſper immedicatis, ut remedii vim experiretur. Et quid memorem porro? Rem plane curioſam, &, ut opinor, admiratione non indignam: nimirum unius intra circiter horæ ſpatium, in memoratis jam tribus puncturis, omnem rurſus dolorem penitus evanuiſſe, ſimulque tumores ipſos cum concomitantibus ſymptomatibus, ſervata quaſi regularitate geometrica pariter deceſſiſſe; ita quidem, ut, poſtquam ſero jam veſpere, aliud, abjecto priore, terræ fruſtum volæ fuerat alligatum, hactenus

reſiduæ

reſiduæ punĉturarum maculæ ſequenti mane tali modo diſparuerint ut ne veſtigium quidem earundem potuerit deſignari. Sed enim ne juſtò fortaſſis citius caſtigatæ ſuæ temeritatis obliviſceretur, à dolore quodam fuit ſæpius admonitus, momentaneo quidem, & fulguris inſtar per magnam cerebri partem micante: at frequentius, & quandoque ter, quater & pluries etiam uno die reverſo: idque per menſes aliquot. Unde veneni, quod cum aculeis in vulnere deponunt, malignitatem licebit conjeĉtare.

SCHOLION.

Sanguinem corpore noſtro motu moveri circulari, nimirum à centro ad extremitates, & ab extremitatibus rurſus ad centrum, haud æqualibus, cùm erupit hæc doĉtrina, diverſis acceptum affeĉtibus fuit. Siquidem præoccupati veteris cum Medicinæ, tum Philoſophiæ præjudiciis, hoc dogma ceu commentum prurientis novitatis penitus averſati ſunt. Ubi contra, quibus ſincerioris Philoſophiæ ſtudium cordi eſt, illud ambabus manibus amplexati, velut baſin totius Anthropologiæ ſtatuerunt. Certatum diu, confliĉtumque vehementer ab utriusque partis Patronis: antiquitatis ut plurimum authoritatem illis; iſtis autem argumentorum vim & efficaciam ſtrepitantibus. At verò cum cuivis bene conſtituto quovis amico Platone, magis veritas amica ſit, id effeĉtum denique rationum ponderibus eſt, ut pauciſſimi modò numerentur, qui herbam non porrexerint, & opinioni de motu ſanguinis circulari calculum ſuum non adjecerint.

Et verò ſi juſtis hæc, quam modo retulimus, lancibus trutinetur obſervatio, eandem pro circuitu ſanguinis, motuque circulari fortiter militare deprehendetur. Nam quo paĉto quis aliàs iteratò ſedata conceperit moleſtè ſævientia ſymptomata, & quidem tanta celeritate; niſi vim quandam balſamicam, à luto maſſæ ſanguineæ per cutis poros impreſſam, & hinc ad reliqua punĉturarum vulnera cum ipſo ſanguine captatam repræſentaverit? Sanè cui competenter referatur in acceptis, tam facile non fuerit, aliam cauſam advocare.

Vim verò balſamicam, ne gratis aſſerta fortaſſe cuiquam videatur in terra lutove, ceu ſingularem ab ipſa Natura conceſſam dotem agnoſcit, & mirè deprædicat Franciſcus Baco Verulamii Comes; vir vaſtiſſimæ capacitatis, & intra receſſus ſcientiarum artiumque tam intimè receptus; ut non tantum, quo vigerent, decore; verum etiam, quo languerent, defeĉtu, orbi litterario potuerit exhibere. Quin eandem

hanc

hanc poteſtatem ad artem reducit vitam prolongandi, à plerisque Medicis negligi ſolitam in libro de Vita & Morte: ubi perhibet, illum magnum corpori ſuo virium vigorisque facturum acceſſum, qui vel quotidie, vel ſæpius ſaltem recens è terra ſectum naribus fruſtum adhibeat, odorisque per aliquot tempus attractionem continuet. Verulamio conſentit Theophraſtus, magnam & ipſe rerum naturalium ſcrutinio famam adeptus; at longè majorem apud poſteritatem poſſeſſurus, niſi toties in coordinatione doctrinæ ſuæ nutando ceſpitaſſet. Ait autem libr. 1. Archidox. in prologo, pag. m. 789. balſamum in terra latentem vigore haud cedere illi, quem ex alimentis haurimus. Quapropter hominem diu famem tolerare poſſe contendit, ſi pedes ejus in terram defodiantur. Sic viſum à ſe quendam aſſerit, qui per 6. continuos menſes ab omni prorſus abſtinuerat cibo, vitam ſuſtentans impoſito ſuper ſtomachum terræ fruſto, permutansque toties cum recenti, quoties prius impoſitum exaruiſſet: Atque hujus balſamicæ poteſtatis effectum ipſe quondam expertus quoque ſum, adoleſcens adhuc, prope Lycum flumen obambulans, & per tibialia in ſura pedis à veſpa fodicatus. Puncturam ocyus excepit ardor inflammatorius, hinc tumor, pedis medietatem occupans; ambos dolor admodum moleſtæ ſenſibilitatis. Detractis itaque tibialibus, nudatum pedem, neſcio quo bono genio tum admonente, luto, quod paſſim in foſſis & lacunis deponere ſolet fluminis exundantia, totum involvi, quoddam furentibus ſymptomatibus refrigerium quæſiturus. Et quid? ita me veritas amet! qua velocitate ſuſcitata, eadem diſparuere rurſus omnia; relicto duntaxat tuberculo nonnihil albicante, quod jejuna deinceps ſaliva repetitis vicibus illita ſuſtuli. Eximiumque denique beneficium lapſis, contuſis, durioribus item fuſtigationibus exceptis, balnea præſtare, cum argilla ſeu luto cocta & præparata, notius eſt, quam ut hic mereatur recenſeri. Porrò vis hæc balſamica per poroſos cutis meatus in ſanguinem recepta, cum eidem amica ſit, eundem etiam facile per corporis venas comitatur; ibi ſolummodo vires exertura ſuas, ſicubi vel Archæus in furorem abiiſſet, vel quidvis aliud ſpirituum vitalium œconomiam perturbaſſet. Itaque verò ſimillimum videtur, particulas illas minimas, balſamica facultate dotatas, ab oculo, ubi primo receptæ erant, ad genam & manum, ab hac altera vice nimirum ad genam ac oculum: & ad factas ibidem puncturas cum ſanguine decurriſſe, furentibus ibidem moleculis amica vincula injeciſſe, ſicque ſuſcitatam ab excandeſcente Archæo confuſionem mitigaſſe; atque adeò dolorem

omnem, quem in hac confuſione nonnulli conſtitutum arbitrantur, ſuſtuliſſe. Totum hoc ſedatorum ſymptomatum negotium facile conceperit, qui pulveris ſympathetici, graviſſimos dolores in vulneribus compeſcentis, ipſaque vulnera, citra ſubſidium aliud ullum conſolidantis actionem non penitus ignoraverit. Quod autem ſymptomatum compeſcentia luti tam cito ſubſequatur impoſitionem, citatiori ſanguinis motui dubio procul erit tribuendum: cujus ea pernicitas à quibusdam ſtatuitur, ut tota maſſa ſanguinea per corpus tredecim vicibus in unius horæ ſpatio, in gyrum circumrotetur.

OBSERVATIO CXCV.

Dn. D. UDALRICI STAUDIGELII.

De Ozæna in quatuor Fratribus.

PLacuit hanc obſervationem ſubjungere ſuperiori, propter nonnullam, quam cum eadem habet ſimilitudinem, & commercii ſympathetici ſymbolizationem. Sunt ruſtico cuidam, in der Hüll genannt / quatuor filii; quorum natu minimum elegantior forma, genii vivacitas, indoliſque docilitas à reliquis ſuis fratribus notabiliter diſtinxit, perindeque patri longe cæteris chariorem reddidit. Hinc ſtudiis ipſum deputans, cujusdam ludimagiſtri diſciplinæ ſubdidit, à qualificandis ad receptionem in Gymnaſia pueris non incelebris. Vix dum duos emenſus in hoc ſtadio menſes erat, primò facies ejus pallore, dehinc nares ozæna corripiuntur. Unde fœtor, cantûs, quem diſcere jam inchoaverat, impedimentum, torpor in reliquis functionibus, & alia ludimagiſtro non modicè moleſta. Dum autem, ut familiare apud ruſticam gentem, remedium partim à tempore expectatur, partim ab imperitis chirurgis expetitur, affectus quotidiè vergebat in pejus, cruſta continuò latius ſerpente, & ipſo fœtore domeſticos ſemper vehementius infeſtante: remiſſus enim erat à ludimagiſtro domum puer, poſtquam incrementa ſumpſerant ſymptomata. Coactus itaque neceſſitate pater, de remedio cogitare, filiolum hunc ad me deduxit, atque ut ab effectu tam faſtidioſo liberarem eundem, multis ambagibus ſollicitavit, promptus ad quoslibet ſumptus & expenſas, dummodo priſtinæ ſanitati reſtitueretur filius. Indaganti, prout par erat, in hujus affectûs cauſam, retulit pater, ſe tres adhuc alios habere filios, eodem malo laborantes; quodque

dignum

dignum admiratione mihi videbatur, omnes, quamvis in quatuor, & multis ab invicem milliaribus diſſitis locis eſſent conſtituti, in una eademque ſimul hebdomade correptos. Interrogatus, cur hunc ſolùm adduxiſſet? pro hoc, repoſuit pater, ſe magis eſſe ſollicitum, utpote ad ſcholam & cantum aptiſſimum, atque propter factos intra breve tempus utique progreſſus à ludimagiſtro ample laudatum: rogaturum ſe poſthac etiam pro reliquis tribus remedia, ſiquidem in hoc feliciter ceſſiſſent. Satisfacturus igitur patris precibus, dari potiunculam adcuravi, qua ſanguis ab impuritatum acrimonia vindicaretur, ex decocto ſennæ, elect. diacarth. ſpec. diaturb. c. Rhab. calide ſumendam; pro uſu externo aquam mercurialem, poſt eluitionem, etiam petiis intinctis in nares intrudendam. Rediit poſt octiduum pater, referens filium jam aliqualiter melius habere, cruſtas in naribus decidere quandoque, renaſci verò rurſus, quamvis mitigato notabiliter fœtore. Præcepi, repeteretur potiuncula primitus data, credens ſanguinis acrimoniam nondum ſatis abſorptam; pergereturque porro in aquæ mercurialis uſu. At nihil diverſum retulit poſt ſimile temporis ſpatium reverſus pater. Hinc ſcorbutum huic adfectui complicatum ſuſpicatus, quod idem pater de victus ratione requiſitus, faſſus fuerit, totam familiam ſuam aceto ſummopere delectari, plerisque cibis largè commixto: jusſi, ut per tres ſeptimanas decoctum raphani ſylveſtris, cum ſero lactis caprilli confectum, bis in die, cuilibet doſi ℥iij. conſociando ſpiritus ammon. gut. X. eſſent trifol. fibrin. gut. XV. alternis verò diebus de infuſo ocul. cancr. in vino hauſtum, hora circiter una ante lecti ingreſſum, cum prolectione modici ſudoris ſequenti mane. Aquæ mercuriali ſubſtituta fuit aqua viridis Hartmanni, quorum medicamentorum conſtanti uſu, ſervataque, quam imperaveram, exacta diæta, puer perfectè convaluit. Poſt Benjaminum adducti quoque fuere Ruben & Simeon, primo- & ſecundo-geniti. Sed enim apud hos tantis ambagibus opus non erat. Præmiſſo cathartico, biberat uterque de infuſo oculorum cancri ter in hebdomade, collutis naribus, ille quidem cum aqua viridi, iſte cum mercuriali, & intra quatuor ſeptimanas immunes evaſerunt ab inviſo hoſpite. Jam vero de quarto filio quid? tametſi pater parum cogitaverit, dignumque fortaſſis, ceu reliquis filiis minus morigerum, expenſis aut ſanitate non cenſuerit, curatus tamen & ipſe fuit, nullis prorſus adhibitis remediis. Obſervatum vero fuit, fœtorem & ulceroſas in naribus cruſtas ſtatim di-

minui cœpiſſe, poſtquam convaſore occeperant in fratre natu minimo: penitus autem diſparuiſſe non ita multo poſt, quam reliqui duo poterant convaluiſſe.

SCHOLIUM.

Quemadmodum caſus iſte ſingularior videtur raritate, ita dignus etiam ſeveriori naturæ myſtarum ſcrutinio. Præ omnibus autem inquirenda venit cauſa, quæ in tot, tamque diverſis ſubjectis, eundem ſuſcitare potuit adfectum, & ſimul propemodum, in una nimirum eademque ſeptimana. Nam ſi domi fuiſſent omnes, menſa lectoque communi, communibus item ad edendum & bibendum inſtrumentis vaſis uſi, tum enim vero ad quoddam referri poterat contagium, effluvio ſubſtantiali morboſo ſeminatum. At quoniam ſeparatis, & utcunque disſitis in locis commorati, ſeſe diu ne viderint quidem amplius, tres ſaltem illorum integro propemodum anno, contagium accuſari ritè non poteſt. 2. Indagari meretur, quorſum referenda ſit in quartum filium, videlicet illum, abſque medicamentis relictum, translata ſanitas? Etenim ſua ſponte, vel ſolius naturæ, quæ medicatrix aliàs optima dicitur, niſu vigoreque hunc adfectum fuiſſe depulſum durum videtur, aſſerere velle: quandoquidem, ut præſtantiſſimi fatentur practici, docetque frequenter experientia, indolis illius ut plurimum ſit, ægre manus ut cedat, & egregiis etiam medicamentis non raro diu reſiſtat. Aut ſi tantus contendatur naturæ vigor, ut citra remedia ulla vincere potuerit hunc hoſtem, & in fugam conjicere; cur hac victoria, priusquam fratres reliqui medicarentur, potita non eſt? cur trium fratrum reſtitutionem comitata, vel ſubſecuta potius? Et verò mentem ego meam hac ſuper re ſi cogerer edicere, illuc inclinarem, quod tam ſcabiei natalis propagatio, quam ejusdem, & quidem facilior in duobus natu majoribus, in tertio autem fratre citra remedium ullum eliminatio, virtute animali, ſeu ſpiritu omnibus quatuor fratribus inſito & confermentato fuerit procurata. Neque vererer, ut intelligerer melius, ſpiritum hunc mumialem prædictis fratribus inexiſtentem, mihi repræſentare in quatuor chordis, ad omnimodam toni æqualitatem attemperatis. Harum enim, ſi percutiatur una, ſonant omnes etiam reliquæ, ceu multoties expertos ſe teſtantur P. Kircherus, Schottus, aliique plures. Jam quemadmodum ſonus à chorda percuſſa transfertur ad chordas alias, manu non attactas, mediante

diante aeris undulatione ; ita ſcabiem ab uno fratrum, ceu chordâ percuſsâ, in alios tantum non expertos communicatam arbitrarer, mediante ſpiritu mumiali, toni ſimilitudinem in omnibus hiſce fratribus adæquatè conſecuto. Pervenire vero poſſe ſpiritum iſtum mumialem ad ejusmodi ſimilitudinem, integræ familiæ ſatis evincunt, in certos morbos, hecticam, icterum, caducum, hydropiſin, podagram, lithiaſin, amentiam etiam propenſæ: quæ propenſio non aliunde rectius advocatus, quàm à mumiali fermento, & hoc vel à parentibus vel à nutricibus imbibito. Quod ſi vero nihil impediat, quo minus ſpiritus iſte mumialis pluribus unius familiæ perſonis inexiſtat, vitiatus, & fermentum morboſum in ſinu ſuo continuo fovens; etiam utique nihil impediet, quo minus idem mumialis ſpiritus in pluribus unius familiæ perſonis inſitus ſit, incontaminatus, integritatis characterem ab optimè conſtitutis parentibus ſigillatum referens, & eundem lenonis adinſtar in perſonis illis, velut in actionis ſuæ peripheria conſtitutis concilians, & pro poſſe conſervans. His ita dictis, à verò non multum aberravero, ſi mihi imaginer, totum hujus propagatæ ſcabiei negotium ita ſucceſſiſſe: videlicet, quod è quatuor fratribus unus, quocunque demum errore commiſſo, quandam in ſanguinem acrimoniam induxerit; quam dein ſpiritus mumialis in eodem ſuſcipiens, & commercio ſuo magnetico reliquas ſibi conſonantes chordas percutiens, id eſt, in reliquos fratres transfundens, eâdem acrimoniâ ſanguinem in iiſdem infecit. Et quoniam, ut credi par eſt, hæc originalis acrimonia à particulari narium archeo erat ſigillata, & ad certum locum determinata; hinc evenit, ut in reliquorum fratrum ſanguinem inſinuata, demum ope circulationis, ad eosdem in ſingulis privatos narium archæos devoluta, ibidem cœperit confermenteſcere, in putredinem deſciſcere, ſicque parem in ſingulis fratribus ozænam elaborare. Multam huic ſpeculationi lucem affundent, hiſtoriolæ duæ, quas recenſet Helmontius in tr. de magn. vuln. cur. p. m. 707. & ſeq. Prima de muliere nobili, toties à doloribus podagricis inclementer infeſtata, quoties in fratris, dum viveret, podagra laborantis, ſella conſediſſet. Mumia ſiquidem fratris, licet fatis jam defuncti, in ſella, qua vivens continuo ſedere conſveverat, adhuc dum hoſpitans; & ſororis, ſicubi in eadem ſe locaſſet, veſtes penetrans, dormientem magnetiſmum, quem ad uterinam ſororis mumiam habuerat, ſuſcitavit, ſimul & fluxus ac dolores podagricos, aliàs alte quieturos, ſi ſcilicet ſeſſionem in ſella evitaſſet.

Altera eſt de naſo inſititio, poſt plurimos menſes derepente frigefacto, & poſt aliquot dies, contracta putrilagine penitus delapſo. Contigerat enim poſt hujuscemodi temporis ſpatium, illum, è cujus brachio naſus erat exciſus, mortem obire. Unde particula illa exciſa, licet vita media illius, cui erat inſita, ſenſu quoque & vegetativa facultate gauderet, tamen per mumiæ magnetiſmum à toto, â quo erat exciſa etiamnum dependens, & ipſa putredine infecta fuit, poſtquam totum putrere inceperat: & quidem aut, quod mumiali totius vitalitate ſuſtentata non amplius fuerit; aut quod putrilaginoſum fermentum è cadavere, commercio ſuo mumiali, per longiſſimum terrarum intervallum transmiſſum in ſe ſuſceperit.

Simile quid cogitari etiam poſſet de faciliori in natu majoribus, & ſpontanea medicatione in tertio fratre, nimirum, quod partim ejectis per catharticum è natu minimo, partim etiam per applicita media præcipitatis ac ſuppreſſis acribus in Sanguine particulis, Spiritus mumialis jam liberior, & ipſis reſiduis omnino ſuperior redditus, aut easdem novo affluxu penitus deſtituerit, aut illas ipſas particulas, quibus acrimonia fuit in natu minimi ſanguine præcipitata & quaſi mortificata, in reliquorum fratrum ſanguineam maſſam intulerit; quo factum, ut in cujuslibet maſſa particulari acrimoniæ præcipitatio fuerit facilitata, fermentatio in naribus everſa, ſicque corruptio ſublata, & ſimul priſtina incolumitas revocata: ad illum ferme modum, quo perſicaria, Serpentina, Sophia &c. in frigidam demerſæ, & ſuper vulnus aut ulcus impoſitæ, donec intepeſcant, & mox defoſſæ, & putridæ factæ, ulterius fermentum præcipitant, quæ noxia ſunt, ex iisdem eliminant, ſicque læſis membris antiquam ſanitatem reſtituunt.

OBSERVATIO CXCVI.

Dn. D. UDALRICI STAUDIGELII.

De Apoplexia bis curata, tertiò redeunte lethali.

NOlim, dum hæc à me communicatur obſervatio, cogitari à quoquam, ea mente communicari, ut, quaſi ſingulare quid in bina cura fuiſſet præſtitum, inſinuem; vel, ut ad ipſam curam aut adhibita remedia reſpiciatur, contendam. Remedia in uſum tracta, fuerunt pauca, in practicis obvia, pretio mediocria, quædam propemodum vilia. At vero, cui locum in ſuis Ephemeridibus non ingravatè concedent

Excellentiſſimi Naturæ Curioſi, Symptoma eſt, quod in tribus paroxyſmis exeruit ſe, nec auditum, nec lectum à me, fortaſſis nec ab ullo alio.

Degebat in noſtra vicinia vir quidam egregius, annos ætatis quadraginta quatuor numerans, genio Jovialis, at obeſus, & vaſta corporis mole vix non ſibimet ipſi gravis. Hic dum An. 1697. menſe Aprili poſt aliquos officii ſui labores ad cubitum ſe parat, viribus derepente deſtitutus in lectum toto pondere prolabitur. Audito ingenti ſtrepitu lectiſſima conjunx accurrit, maritumque ſine voce, ſine ſenſu, ſine motu, ſi reſpirationem excipias, reperit, trunci adinſtar in lecto extenſum: Quid ageret hoc triſtiſſimo caſu deprehenſa? Nox erat, & jam medietati proxima: nemo verò, qui conſuleret, nemo, qui auxilium præberet. Sumpſit demum in arena conſilium, & recordata multæ cum conſuetudinis, tum familiaritatis, quæ mihi cum D. Marito interceſſerant, ut amicum inviſerem, impenſiſſimè per ſubmiſſum nuntium exorat. Veni, vidi, & viſis obſtupui. Quoniam autem adfectûs atrocitas moram recuſabat, curavi, per pharmacopolam, quem comitem ſumpſeram, ocyus clyſterem injici, ex aqua ſalita Mynſichti; tum tardante operatione, venam ſecari, demum interpolatim tria cochlearia aquæ apoplecticæ ori inſtillari. Nondum media deceſſerat hora, rurſus rediêre motus, ſenſus, adſtantium agnitis, vox, vires, ut urgentem clyſterem ipſe ſurgens dimitteret: & ſequentibus diebus etiam ipſa Sanitas. Reliquum erat, ut futuro proſpiceretur. Hunc in finem præſcriptæ ſunt eidem pilulæ cephalicæ, quas ſingulis menſibus bis aſſumeret; Species pro cucupha, quam conſtanter geſtaret; & balſamum, quo quandoque nares inungeret, nec non & tempora: prohibitis rigidiſſimè caſeo, lardo, carne ſuilla, raphanis, alliis, quibus mire delectabatur, & ſæpius indulgebat immodice. Sed enim, quemadmodum pericula, quamdiu præſentia, terrent; ſuperata, facile memoriam evadunt: ita Patiens noſter, quamdiu funeſti caſûs imago memoriæ obſervabatur, ſinceriſſimis monitis meis exactum utcunque præſtabat obſequium: elabente illa, cum tractu temporis, etiam hoc omittebatur. Vivebat, quamdiu obtemperans, admodum commodè; deterius, à quo præſcriptæ cœperat obliviſci diætæ: donec tandem 4. Decembris ejuſdem anni poſt decimam noctis ſubito cadens, recidivam paſſus ſit, cum iisdem ſymptomatibus, ſuperius enarratis. Reſtitutus denuò, licet nonnihil lentius, eâdem ferme methodo, qua nuper; & paululum duntaxat immutatis medicamentis, admoneri cœpit à Patrono ſuo, Comite N. apud quem erat in ſervitiis, alium reſpiceret Medi-

cum

cum, qui rem curatius perpendat, adfectum ad incudem ſeverius revocet, debitisque medicamentis debellet. Commendatus ipſi fuit ab eodem talis, qui mira facundia adfectum extenuans, conſtantiam ſanitatis ſtipulatè promittebat: Ajebat, adfectum, à quo bis jam eſſet proſtratus, aliud nihil eſſe, quam convulſiones cerebri, Es ſeye nichts als nur ein Hiren-Fraiß: Cedere tamen facile medicamentis, dummodo ex arte præſcribantur: Conſideret ſolumodo, talia ſe præſcripturum, quibus radicitus evellatur morbus, per totum vitæ decurſum non rediturꝰ amplius. Pompoſa verba, ſed quæ luctuoſam poſt ſe, lethalemque trahebant effectum. Relictus enim appetitui ſuo priſtino, cauteque cum emolumento aliquamdiu vitatis exceſſibus, die 15. Junii 1698. male ſe habere cœpit. Mittitur ocyus ad Doctorem cum equo nuntius, ſignificatur indiſpoſitio, ſollicitantur remedia; quæ dum per integram anxiè ſuſpirat diem, & de hora in horam ardenter exſpectat, paulo ante ſeptimam veſpertinam, præcedente quadam vertigine, à viribus in momento derelictus, in terram proſtratus, ac extinctus fuit: modo, quo jam tres ante menſes, ſortem lectiſſimæ Conjugis miſeratus, prædixeram. Hæc enim ex ampliſſimis promiſſis, contempta, irritaque, quam ego rigoroſiſſimè contendebam diætâ, nihil boni præſagiens, præcedente menſe Martio me convenit, quidque cum Marito nunc agatur, prolixè narravit: Veniam ſimul commixtis & verbis & gemitibus deprecata, quod me derelicto nunc alteriꝰ utantur Doctoris conſilio & opera: factum id à ſe admodum gravatè, & nonniſi metu, perdendæ apud patronum gratiæ. Repoſui jam tum vehementer afflictæ, precibus ullis opus non eſſe, quibus venia rogetur ad alium Medicum tranſitus; Sanitatem Domini Mariti tam mihi cordi, quam propriam: lætaturum me ſummopere, ſi promiſſis eventus reſpondeat: vereri tamen vehementer, ne grande malum fuerit ſtipulatum: Contemptum tam atrocis affectûs, irriſionemque præſcriptæ diætæ, indicia mihi videri, in diagnoſi trabaliter decipi promiſſorem: & hinc parum conformia præſcripturum remedia: quapropter ominari, quin etiam prædicere pronum eſſe, tam præcipiti fato rumpendum iri vitæ filum, ut nec Lucis ipſi queant, nec Crucis adferri ſolatia. Audiit triſtis, & profundo cum gemitu excepit hæc verba: at effuſiſſimis lacrimis & ejulatibus eventum, quibus etiamnum quandoque cogitur indulgere.

Jam vero quod admirationem mereatur, putem eſſe, quod quemlibet paroxyſmum ſecuta ſit ſanguinea corporis ſuffuſio: primum quidem, pectus & tergum occupans, intra cordis ſcrobiculum, humerorum junctu-

ctura

ćturas & cervicem tam exactè coërcita, ut filo circumducto nec adcuratius potuiſſet, nec præciſius definiri. Secundæ ſuffuſionis jam amplior erat ambitus, corporis truncum ad umbilicum, inſuper utrumque brachium ad cubitum usque rubore incingens. Tertia, cum repentina morte conjuncta, totam corporis molem à cervice ad coxas usq; in dorſo; â jugulo autem totum pectus cum infimo ventre continuate involvebat, inſuper etiam utrumque brachium, ſolis manibus exceptis: rubedine in juncturis, ubi brachiis manus innectuntur, deſinente.

OBSERVATIO CXCVII.

Dn. D. UDALRICI STAUDIGELII,

De Muſca, compluribus vermiculis fœta.

CUm nuper menſe Julio ad abacum ſederem, neſcio quid ſcriptitans; muſca per parvam feneſtræ rimulam illapſa in cubiculum, multas mihi moleſtias faceſſere cœpit. Erat grandiorum illarum una, quæ carnibus inhiant, easdem verminoſo Seminio conſpergunt, ſicque putredinem ejusdem, & fœtorem accelerant. Hæc dum variis ambagibus, hac illac circumfertur, modo pennam ſcribentis, caput modo circumvolitat, diutius totum cubile ſonoris fremitibus inquietat, tandem poſt cortinam ſolis radios arcentem evadens, à me compreſſa fuit. Abjecturo poſthac jam pacatum hoſpitem, rem videre licuit apprimè curioſam. Ruptus etenim colliſione venter vermiculos effuderat complurimos, partim cortinæ, partim feneſtræ articulo adhæreſcentes. Omnium erant corpuſcula belle candida capite ſubruffo prædita, longitudine duodecimam unius unciæ partem vix adæquantia. Et quoniam motûs, quo reptabant, cum vivacitas, tum pernicitas omni mihi videbatur imaginatione velocior, captus ſpectaculi raritate, diligenter omnes cultello colligere, partiumque conformationem indagare nonnihil ſtudioſius ſategi: Quapropter applicato microſcopio deprehendi retro oculos, duo eminere cornicula paululum fuſca, in nodulos deſinentia, motaque ſubinde, pro reptationis diverſificatione. Caput nigris erat inſperſum punctulis, ſed raris; diverſis tamen ab oculorum prominentia, quæ notari poterat. Caput, ubi trunco inſerebatur, annulus excipiebat, manifeſte ſanguineus; reliquum corpuſculum glabrum erat penitùs, meris annulis continuatum: quorundam duntaxat in hamulum quendam deſinens: quæ nota fortaſſis erat diverſitatis in Sexu. Pedes ſinguli

(ita prominentias appello, quibus gradum promovebant) quatuordecim habebant, eleganti ſerie diſpoſitos, duobus tamen parvis intervallulis diſtinctos, ita ut imum ventrem ſex, medium quatuor, quatuor rurſus ipſum pectus propellerent. Quod meam diu ſuſpenderat admirationem, illud erat, tot animalculorum vivacitatem in unius muſcæ alvo potuiſſe contineri. Siquidem præter eliſos compreſſione confuſosque, tres adhuc licuit numerare ſupra quinquaginta, vivos omnes, & ſua pernicitate mirè ludentes. Sollicitus eram admodum, ut diverſis herbis impoſitis vitam ſervarem, ſicque plura obſervandi occaſionem. Sed ſeu noctis frigidioris, quæ tum ſequebatur, rigore; ſeu famis inedia, altero manè jam extinctos omnes reperi.

(*Exhibitæ Auguſtæ Vind. d. 1. Decembr. Anno 1700.*)

OBSERVATIO CXCVIII.

Dn. D. CHRISTIANI HELWICHII,

De Convulſione Rariori.

Puella temperamenti ſanguinei, coloris floridi, cui menſes hactenùs ritè fluxerant, annô ætatis 17timô die 28. Martii Anno 1699. derepente concidit ſermonis & ſenſuum uſu deſtituta. Excitatur, redit ad ſe poſt celebratam Venæſectionem, ignara omnium, quæ ſecum acta fuerant. Ab ultimô memorati menſis die usq; ad 28. Aprilis quotidiè ſexies & ultra cum deperditione omnium ſenſuum eô malô corripitur. Sed iteratæ iſtæ acceſſiones novô ſymptomate ſtipabantur, rigidâ nimirùm artuum, præprimis brachii modò alterutrius, modô utriusque diſtenſione. Hunc affectum paſſura, quaſi pandiculatio immineret, brachium movebat, cùm verò manus prope pectori admota eſſet, aliquando ad dimidiam horam obrigeſcebat, nec vi adhibitâ ullô modô flecti poterat. Cutis, ut hic Cornacis illa ex lib. 2. cap. 27. applicare liceat, *duritiem quaſi corticis cujusdam acquirebat, & intensô frigoris ſenſu tangentis digitos & manum afficiebat.* Indicium remiſſuri affectus rediens membri tenſi præbebat mollities, quam illicò motus conſequebatur. Et licet epilepſia aliquando etiam ſit conjuncta cum diſtenſione membrorum, teſte Celſo lib. 3. de Medic. cap. 23. p. 172. in noſtrâ tamen Virgine nec concuſſio totius corporis præſtò erat, nec oculi invertebantur, nec ſpuma ex ore movebatur,

batur, aberat difficilis reſpiratio, ſtertor, exertio linguæ extra os, quæ omnia in epilepticis aliàs cernuntur. Et hæc cauſa eſt, cur hunc affectum Convulſionem rectiùs nominari credamus, præprimis, quia etiam Convulſionis definitio ei exactè ſatis convenit. Nam ut rectè doctiſſimus Thiermairius lib. 2. p. 160. Conſilior. & Scholior. Medicor. *Spasmus ſeu Convulſio eſt muſculi verſus ſuum Principium Contractio, rigido exin membrô remanente, hôc enim differt ſpasmus à motu Convulſivô, quòd in Convulſione ſeu ſpasmo membrum ex contractione rigidum maneat, in Convulſivo verò* & ſpasmodicô *motu membrum agitetur, vibretur & variè concutiatur.* Quâ in re etiam ſibi conſentientem habet inſignem Hippocratis Interpretem Proſperum Martianum Commentar. in lib. 7. Epid. p. 290. dùm agnoſcit, quòd, *quando magna eſt & vehemens Convulſio, contractio aliqua ſemper aſſocietur, propter quam membra ad naturalem* ſtatum nequeant *retrahi.* Ut prorsùs non videam, cur Salius inter diſtenſionem, Convulſionem & Concuſſionem ac vibrationem diſtinguendum putet de Affectib. particular. c. 20. Conf. Galen. 1. Prorr. comm. 3. Hippocrat. lib. de intern. affectib. v. 354. ut & Cæſalpin. lib. 2. quæſt. medic. quæſt. 16. Sed revertamur ad ægram noſtram. In illâ contractionem à nobis deſcriptam dolor acerbiſſimus conſequebatur, ut non immeritò nomine ſpaſmi vulgò exquiſitiſſimus dolor intelligatur. Certè ſpectator ego non ſemel divulſionem quandam tendinum & capitum muſculi, quam Jachinum obſervâſſe memineram, metui. Parùm medicamentis ſudoriferis & cephalicis ac purgantibus profecerat ordinarius, nec cùm ego deinde ei adjungerer, nervinis, antiſpaſmodicis anti-hyſtericis internis & externis aliisque ſpecificis ab initio magnum operæ fecimus pretium. Cùm tandem verò à truculentô hoc reſpirâſſet affectu, ope ſi rectè judico, balneorum ex herbis nervinis paratorum & ordinario provinciam ſolam reliquiſſem, quaſi hydrophobiâ laborare cœpit, nam liquida & potulenta omnia ſtrenuè averſata eſt, & cùm ſiti adacta bibere tentaret, potus vel per nares vel per os reſiliit. Hic miſeræ ſtatus per majorem Maji partem fuit nullô præſenti indiciô inflammationis fibrarum muſculoſarum & nervearum in faucibus, quam in hydrophobiâ ſuſpicatur. Cl. Wedelius in Exercit. Semeiotico-Patholog. cap. 8. p. 21. Sublevata tamen inde etiàm uſu olei Cinnamomi externo, ſatis commodè vixit usque ad Calendas Auguſti. Tùm verò iterùm de imbecillitate ventriculi conqueri cœpit. Paulò poſt dolor capitis ſubinde recurrens, continua in ſomnum propenſio, viſûs

obſcuritas, vertigio, καρδιωγμὸς, urinæ tenues & crudæ antiquum malum recrudeſcere non obſcurè indicabant. Ego jam ordinarius re omni ex parte perpensâ moderatam in pedibus ſuadeo venæſectionem. Variâ enim experientiâ didici, non vanum eſſe monitum, quod in Valeſci de Taranta Philon. Pharmaceutic. & Chirurg. lib. 1. c. 27. p. 120. in appendice legitur; *In curatione Convulſionis cavendum, ne fiat magna phlebotomia.* Et tanto magis neceſſaria videbatur venæſectio, quia menſes ſtatô tempore hâc vice non fluebant. Sanguine ad ℥v. circiter educta infida malacia. Nam triduò poſt graviſſimis Convulſionibus correpta eſt. Digiti in ſuis internodiis, Carpus etiam in utrâque manu ut & cubitus incurvati ultra modum rigebant ſæpe per quadrantem horæ cum ſummis doloribus, ac deinde cum fragore quôdam in ſitum naturalem reſtituebantur. Eandem ſortem digiti in pedibus cum tarsô utrôque experiebantur. Frigebant in paroxyſmô partes tenſæ & pallidæ ac exſuccæ erant, ipſa nihilominùs durante illo ſibi præſens erat ac ululatu flebili afflictiones ſuas recenſebat. Intra 24. horas denas aut duodenas violentas extenſiones patiebatur. Sub finem Convulſionum ſtertor aliquis ſuperveniebat, aſt poſt ſuperatum inſultum non raro in largum effundebatur riſum. Sub primis ſpasmorum laboribus evolutâ jam pridem periodō menſtrua menſes excernebantur nullôque cum ſublevamine ægræ fluxus ille per novem dies durabat; quinimò malum tantò crebriùs redibat & intenſius affligebat. Ex uſu ſelectiſſimorum antiſpaſmodicorum ſummâ cum curâ tempore intermiſſionis in quâcunque formâ adhibitorum, non neglectis externis linimentis, unguentis, fotibus, ſacculis, ac injectis ſubinde enematibus nullum memoratu dignum vidimus effectum. Nec pediluviis ac balneis affectus hâc vice ullô modô cicurari potuit. Ad nomen Veſicatorii noſtra trepidabat, quod tamen 8. Septembr. in nuchâ applicuimus. Die verò XI. ejusdem menſis graviſſimâ procellâ jactabatur. Nam ab horâ 8tava matutina usque ad ſecundam pomeridianam linguæ uſus ipſi interceptus, aboliti ſenſus, atque ratio deliquium paſſa eſt. Adhibitis efficaciſſimus medicamentis Spiritu anti-epileptico in Collectan. Leidenſib. deſcripto, liquore CC. ſuccin. Spir. apoplecticō apud nos uſitato, objectis penetrantiſſimis odoriferis, poſt frictiones, tactus primo, deinde auditus & poſt tres horæ quadrantes viſus officiô ſuô defungi incipiebant, ultimò omnium lingua ad munus ſuum revertebatur. Cauſa ſontici hujus affectus conjiciebatur in balſamum, quô ægræ nares à muliere

die

die ante fuerant delibutæ; die 13. Sept. à meridianâ 2. uſque ad quintam idem affectus eam invaſit, ſed convulſiones externæ ab eo tempore deſiere uſque ad 12. Novembris, quo huic obſervationi finem impono, licet nauſea, vomitus, faſtidium potûs poſt ſublatos paroxysmos per aliquod tempus ſupereſſent, & de inſigni debilitate virium adhuc hodie conqueratur, quam tamen ſenſim ſublatum iri ſperamus.

OBSERVATIO CXCIX.

Dn. D. CHRISTIANI HELWICHII.

De Tabe dorſali.

CUm tabes dorſalis non adeò obvius ſit affectus, ita ut, ſi Solenandro credendum, vix nomine vulgo Medicorum cognitus ſit, quæ phænomena in illa obſervare licuerit, brevibus commemorare è re fuerit. Laborabat iſtô affectu non quidem ſponſus, ſed maritus à multis annis quinquagenariô quippe major, ſed qui in juventute Veneri ſtrenuè litaverat, & quondam etiam gonorrhæâ loboraverat. Erat is conſtitutionis cholericæ ac gracilis ac vitam omnem in ſervitiô Magnatum tranſegerat. Satis diu hoc malum toleraverat, nec præ ruſticô pudore illud Medico manifeſtare hactenus voluerat, donec omnia doleret, & crura veluti ab aquâ inter cutem intumeſcerent, quod in hôc morbô, quando inveteravit, aliquando fieri rectè notavit Lommius. Antequam affectum ſuum mihi detegeret, ſæpè audivi querentem de punctoriô dorſi dolore etiam tùm, cùm cibum quemvis obvium avidiſſimè ingurgitaret. Licet verò nulla faſtidiret fercula, indies tamen magis magisque habitus corporis extenuabatur. Senſim etiam increvit debilitas, præprimis circa finem Martii illa tanta fuit, ut quamvis extremum adhiberet conatum, nec per quadrantem horæ lectum deferere poſſet Et cum copia nobis iſtô tempore daretur inſpiciendi urinam, vidimus vera eſſe, quæ Hippocrates lib. 2. de morb. p. m. 76. *Ubi mingit aut ventrem exonerat, prodit ipſi genitale ſemen multum ac liquidum.* Satis enim larga quantitas materiæ denſioris & albidæ in fundo matulæ ſtatim poſt redditam urinam cernebatur, quam ſeminalem eſſe judicabam. Nam licet ex obſervatione Joëlis in oper. p. 104. ſemper ſemen ſupernatet, & in hac re conſentientem habeat Joel, Heinr. ab Heer in obſerv. p. m. 175. illud tamen, ut ex limitatione hujus conſtat, minimè ad corruptum

ſemen extendendum eſt; atque hinc Solenander rectè ex præſenti ejusmodi materia, quam modò memoravimus, ut.. ille fundum peteret, præſentem tabem eſſe concluſit. Cæteroquin an genitura in uterô manſerit, ignoro, etiamſi fortè explicatio Foeſii hic locum inveniret, qui vult Hippocratem ſignificâſſe hâc loquendi formulâ, *ſemen non eſſe aptum ad generandum.* Sæpè confeſſus, quod toties cum ingenti moleſtiâ pollueretur. Præterea antequam lecto lethali affigeretur, in aſcenſu ſcalarum de reſpiratione difficili conquerebatur, & levioribus de cauſis exſolvebatur, ac præterea doloribus capitis cum aurium tinnitu frequenter corripiebatur. Interrogatus de æmulanti formicas per dorſum repentes ſenſu, reſpondit ſe nullô ejusmodi ſenſu affici, ſed dolore punctoriô torqueri. Præterea quod in gonorrhœa ordinariò fieri obſervavit Jonſtonus in idea Medic. p. 643. *ut adſit pallor cum cavitate oculorum*, id etiam hîc ſpectari poterat, Urina difficulter mejebatur, alvus autem non erat pigra atque impedita, ut Lommius obſervavit, ſed aliquoties ſingulis diebus excrementa nigricantia reddebat. Maxima tormina & ſpasmodicæ contractiones ſedium prodromi erant. Quando de torminibus hisce & doloribus querebatur, palpitationes & tremores epigaſtricæ regionis cernere licebat pleriſque partibus corporis algentibus. Non autem dubium mihi præbuit illa ægri conditio argumentum internæ inflammationis ac congeſtionis ſanguinis ad paraſtatas, ſi ullus ſuſpicioni locus. Hæ enim glandulæ vaſa ſangvifera inſignia accipiunt & ab illis, ichor ille in gonorrhæâ exſtillat. A ſpaſmodicè itaque contractis vaſis, quæ ab iliacis internis oriuntur, & cum lumbis & hypogaſtriô communicantur, ſatis exquiſitus dolor in partibus antea memoratis videtur ortus; ſpasmodicè verò vaſa illa eisque vicinæ partes contrahebantur ad ſanguinem ſtagnantem ac paraſtatas inflammantem in motum denuò concitandum. Hæc ægri noſtri conditio erat. Cùm verò non ab initiô eum ſuſciperemus curandum, ſed morbô jam inveteratô & homine viribus omnibus exutô, curam ad mentem Hippocratis conformare minimè licuit; nec medicamentum vel ſurſum vel deorſum purgans ob ſummam imbecillitatem dare auſus ſum, locus etiam nullus ſeri aut lactis potui. Ob easdem cauſas nec Cl. Welſchii veſtigiis Decur. 8. curat. 9. inſiſtere potui. Monitis Solenandri, quantum ægri ſtatus patiebatur, me conformavi. Aſt vana omnia cum ſub finem & medicamenta, quæ aliàs avidiſſimè ſumpſerat (nam & ſi qua ex iis in Illuſtrisſima familia, quod ſæpè factum, remanſiſſent, ingeſſerat)

geſſerat) vomitu rejiceret & tandem circa 24. Aprilis vitam hanc cum meliori, ut ſperamus, commutaret.

OBSERVATIO CC.
Dn. D. CHRISTIANI HELWICHII,
De Parotide.

Sub initium labentis anni immani otalgia per aliquot ſeptimanas durante, Presbyter propemodùm ſexagenarius correptus, circa quadrageſimæ medium in graviſſimam incidit febrim, quæ temperatis, bezoardicis & nitroſis ac cinnabarinis, ut etiam humectantibus & diluentibus tractata, ſenſim cœpit miteſcere, largè fluentibus ſudoribus & urina cum hypoſtaſi multâ. Nihilominus circa nonum diem ad inferiorem maxillam dextram tumor ortus ſtatim mihi memori eorum, quæ legeram in Ballonii Epidem. & Ephemerid. lib. 1. in conſtitut. verna A. 1571. metum parotidis ingeſſit. Aderat muſculorum tenſio & dolor, ac cum ſummâ difficultate os æger aperiebat. Is, qui a meô ſuaſu ſumpſerat potiunculam ex Aq. bezoardicis, Miſturâ ſimplic. eſſent. ſcordii & ſyr. acetoſit. citri, cauſam tumoris & doloris in illam ſibi ingratam conjiciebat ſuffragante Collegii ordinariô quidem, ita tamen ut cinnabarim nativam, (quâ pulveribus bezoard. in doſi exiguâ aliquando remixtâ, itidem ex conſilio meo circa noctem antea fuerat uſus) potiorem & præcipuam ejus mali ſcaturiginem eſſe jactaret. Cinnab. enim tanquam mortiferum venenum paſſim accuſabat. Nænias illas hominis ridebam, licet Medico ſeni cenſoriam authoritatem ſibi in omnes paſſim arroganti etiam ſine rationibus crederetur. Tumor ille ſenſim poſt aurem dextram ad aliquam magnitudinem creſcebat, ut nullus ne obſtinato quidem ſeni, qui minimè ſibi conſtans eryſipelaceum tumorem eſſe judicaverat, ac ſabinâ ad exemplum Theophraſti diſcutere intenderat, ſupereſſet locus dubitandi de parotide, quam acutiſſimus ille aurium dolor diu ante prænunciâſſe videri non immeritò poterat. Cùm de agendis conſultaretur, ſudorifera Veteranus Medicus pro diſcutienda parotide ſvadebat, ego in contrarium nitebar. Neque enim conſultum erat materiam peccantem à principio movente corporis in unum locum detruſam ope ejusmodi medicamentorum in ſanguineum laticem revehere, & febri, quæ vix extincta erat, novum ſuppeditare fomitem

Oſtendi

Oſtendi itaque eruditis circumſtantibus, quam ſuſpectæ expertis Medicis ſint parotides & eos ad annum 4. & 5. Decur. 1. Ephem. obſerv. 4. Borellum cent. 4. obſerv. 85. p. 341. aliosque remittebam, cumprimis ad Ballonium lib. 1. conſilior. conſil. 89. uti ita ſcribit: *Parotides non videntur criticæ, ſed potiùs judicatoriæ, quocunque modo & die apparuerint, quoniam ſunt abſceſſus morbo impares nec febrem ſolvunt, & quia dolorificæ ſunt & propter vicinitatem cerebri, tum maximè quia omnis translatio à partibus inferis ad ſuperas ſuſpecta eſſe debet.* Contendebam ergò tumorem hunc fovendum & adjuvandum, nec tamen exſpectandum, donec ſponte erumpat, ut prudenter monitum ab Hildano centur. 1. obſerv. 39. p. 33. in operib. ſed quamprimum aperiendum juxta Celſum 3. de re med. 23. Et non abſque cauſa inexpertos vocat Fortis in centur. 1. conſult. & Reſponſ. Medic. 91. p. 113. qui pus *in ſuperficie* exſpectant. Recenſebam deinde topica, quibus celebriores Practici Foreſtus lib. 12. obſerv. 16. & ſeqq. Platerus lib. 3. obſervat. p. m. 6. 89. Severinus de recondita abſceſſuum natura lib. 1. c. 31. Valleſius commentar. in lib. 7. Epidem. 92. Fortis l. c. Dolæus in Encyclopæd. chirurg. p. 338. 345. 350. Phyſici Vratislavienſes in der Infections-Ordnung A. 1680. (ubi in fine, egregium maturativum emplaſtrum deſcribitur) hactenus cum ſucceſſu fuerint uſi. Commendabatur à me magnoperè Wedelii ſeq. ℞. Emplaſtr. magnetic. Angeli Salæ Diachyl. ana ℥ß. Oleo. N. M. q. ſ. camphor. gr. iij. M. ſed ſurdo diu narrabatur fabula, donec tandem ſequentem cataplaſmatis non contemnendi deſcriptionem in marſupio ad ægrum deferret; ℞. fol. alth. Rad. lilior. albor. alth. ana ℥j. cepar. N. 1. coq. ad mollitiem contund. & per ſetaceum trajic. addendo ſar. tritic. ſemin. lini ferment. ana ℥i. croci ℈i. Caricar. contuſar. ℥iß. pingved. gallin. oleum chamæmel. q. ſ. f. Catapl. ſed, quod mireris frigidè non ſine inſigni Chirurgi & balneatoris riſu id applicari voluit, pollicitus fore, ut intra paucas horas ſuppurationem promoveat. Cum verò per biduum diligenter applicatum, ſpem ejus fefelliſſet, nobis tandem copiam fecit utendi noſtris. Nos illicò paucis immutatis Emplaſtrum Wedelianum applicuimus, & non exſpectata maturatione ſcalpello abſceſſum aperiri fecimus tum aliorum tum Molinetti exemplo apud Rhodium p. 46. inducti. Effluxit pus coctum ad ſelibram & ultra, ac fluxus ille per multos dies continuavit. Quia verò probè noveram Coacam illam Hippocratis, *quæ ſuppurant cum ſignis coctionis* (qualia in ægro noſtro omninò aderant) & *pus album habent, ſalutares*; ut & Galeni illud lib. 3.

de

de criſib. c. 7. Parotides non paucos tempore opportuno liberârunt; à moleſta hac cura me honeſtè ſubduxi, quoniam ægrum in vado eſſe cernebam, ac curam abſceſſus ſuppurati chirurgo commiſi. Poſt valedictionem meam parum abfuit, quin iterum in febris diſcrimen æger à Podalirio illo conjiceretur. Nam propinato importunè admodum, ſi rectè judico, purganti medicamento, forte ad exemplum Schröteri in Conſil. Brendel. p. 157. denuò æſtum & ſitim excitavit, cauſa errati pro more ejus ſolenni in Chirurgum conjectâ; ſed & huic periculo æger ereptus ac carne regenerata impleto glutinatoque ſinu curatio intra aliquot ſeptimanas completa eſt. Soſtri locô calumnias & convitia, quæ miſera etiam laudatiſſimorum Medicorum, ipſiusque Hippocratis ſors fuit, reportavi

OBSERVATIO CCI.

Dn. D. CHRISTIANI HELWICHII,

De Febri ſcorbutica.

Die ſeptimâ Maji An. 1700. vocor ad amantiſſimam Domini Conradi Cancell. Canon. Regul. Lateran. S. Aug. ad B.V. & ad publica deputati &c. conjugem, quæ nondum 33. ætatis annum exegerat, & ante decem ſeptimanas ſeptimo puerperio defuncta fuerat. Habitu corporis illa erat laxiori ac ſpongioſo, qualis ſanguineo-phlegmaticorum eſſe ſolet; menſium fluxus illi à primo tempore impeditior, ac quamdiu in pacatiſſimo thoro vixerat, propemodum ſuppreſſus, nullâ artificiali ſanguinis depletione ſubſtituta; Purgamenta uterina, quæ lochiorum nomine veniunt, ſemper poſt partum detenta. Inter cibos hæreditariô quaſi vitiô caſeus, maritô fruſtra renitente, in delitiis quotidianis. Motus corporis in aëre liberô ei ſatis rarus. Alvus ſegnior. Ante aliquot annos per ſemeſtre ſpatium laboraverat arthritide vagâ ſcorbuticâ, quæ quoties ceſſit, locum fecit torminibus ventris acutisſimis non niſi per dolores articulares iterum placandis: Ad hanc cum veniſſem, expoſuit de ſpontanea omnium membrorum lasſitudine, obtusô eôque vagô articulorum dolore. Pulſus erat parvus, debilis, inæqualis, non tamen frequens. Interrogata, num ſenſum frigoris in dorſo animadvertiſſet? An in præſenti anxietate circa præcordia torqueretur? An dolor capitis moleſtus eſſet? An calore ureretur vel ſiti premeretur. Reſpondit nihil

 horum

horum ſe vel perpeſſam eſſe vel adhuc perpeti. Hæc reſponſio licet metum febris epidemicæ, quæ ſub ſchemate catarrhalis febris à Februario uſque ad hoc tempus graſſata fuerat, minueret, non tamen omni ex parte ſuſtulit. Conſideratis omnibus ex ſpecifico cephalico D. M. Antimon. diaphor. martial. ac Nitro depurato pulverem præſcribo, & adverſus epidemicam febrim, ſi ſine velamine in ſcenam prodiret, & adverſus arthritidem vagam ſcorbuticam egregiè militaturum. Sumpſit ſub noctem ʒß hujus pulveris, ejusque uſum placidus ex voto ſomnus ſecutus. Sequentibus diebus prioribus eodem habitu inceſſit morbus, ac prædicto adverſus eum pulvere pugnatum eſt, niſi quod quarto ab acceſſu meo die pulverem hunc immutarim ſubſtituto in ejus locum pulvere bezoard. D. Rumbaum, qui in multo apud noſtros uſu eſt, & cinnabari nativâ, adjunctô iterùm Nitro & Antimonio diaphor. Urina craſſa & turbida erat ſine fœtore. Suſpenſum illa res animum meum tenuit, nam etſi dolores errabundi eſſent, & ab uno articulo facilè tranſirent ad alterum, non tamen cum levi reſolutione erant conjuncti, quod in dolore arthritico vago fieri ipſe fueram expertus, & notavit Drawitzius p. 21. Charleton de ſcorb. p. m. 30. & ante hos viri doctiſſimi Eugalenus de ſcorbut. p. 137. & Salomon Albertus de ſcorbuto theſi 91. in noſtra tamen ægra ideam leviſſimæ reſolutionis nullam obſervare potuimus. In perplexo hoc negotio cautè videbam mihi incedendum, quoniam verò & ſcorbutus & febris epidemica ſub variis larvis medentibus imponere ſolet, ejusmodi medicamenta porrò danda eſſe concludebam, quæ cum ſucceſſu utrique morbo hactenus ab aliis & me oppoſita eſſe recordabar. Pe ebat ægra noſtra guttas, præſcripta ei fuit Mixt. ſimpli. cum eſſ. ſcordii, eas manè horâ circiter ſextâ & circa meridiem ſumpſit, veſperi verò pulverem, cujus mentionem ante fecimus. Non ex voto ægrotantis procedebat cura, & quia animô timidô & à me alieniori videbatur eſſe, inſtiti, ut alium quendam Medicum in cura Collegam mihi jungerent. Ægre id impetrari, conſenſit tandem maritus & Experientisſimum Dn. D. Jæniſchium antehac Peſtilentiarium jam Phyſicum primarium dignisſimum, Colleg. & Adjunct. noſtrum invitavit, qui curam & ſolicitudinem meam multis, utut præter meritum meum, commendavit, & in uſu medicamentorum à me ordinatorum pergendum eſſe cenſuit, id quod die morbi ſexto poſt prandium eſt factum. Sub veſperam omnia indicia febris aderant. Noctesequenti cum ex lecto deſcenderet, ἔκλυσιν ſeu animi deli-

deliquium vel etiam convulſionem paſſa eſt, ita ut jam extrema e[1] imminere cenſerent adſtantes. Subitò ex ſomno excitatus comparui, cùm jam rediiſſet ad ſe, non unum læſæ rationis ſignum dedit. Analepticis efficaciſſimis ei ſuccurri, quæ non porrigo facilè, antequam vigor animi dejiciatur, qui & in incremento febrium malignarum non analeptica ſed alexipharmaca ordinariò præſcribo. Die ſeptimô in manibus & pedibus hinc inde erumpebant maculæ purpureæ magnitudinem floreni Hungarici facilè exæquantes, quæ magnam cum ſcorbuticis prout à laudatis ante auctoribus deſcribuntur, convenientiam habebant, à petechialibus autem, quæ & lenticulares & ſtigmaticæ & pulicares vocantur à ſimilitudine cum lenticulis puncturis & morſibus pulicum, prorſùs differebant. Febris comes circa mediam noctem exacerbabatur. Cùm verò ſcorbuti naturam in lentore humorum cumprimis verò ſanguinis & lymphæ ac variis ſpasmodicis moliminibus conſiſtere ſciremus, cujus generis humoribus noſtra erat plena; & ad attenuationum ſpiſſiorum ſuccorum opus ſit frequenti & celeri transpresſione per poros partium, non abſque ratione inferebamus, febrim, quâ affligebatur noſtra, hac intentione excitatam eſſe, ut ſpiſſeſcentes humores fluxibilitatem recuperarent. Quâ in re pro virili naturæ ſuccurrere conati ſumus, datis iis, quæ & humores ad motum diſponerent, & excretiones per emunctoria promoverent, abeſſe juſſis calidioribus remediis, quæ per expanſionem ſanguinis ſecretionibus obicem ponere videntur. Non bona felicis eventus ſpes, ubi ne 8. & 9. die obſervare licuit lenem ſudorem ſub declinationem paroxyſmi. Futiliter enim agunt, qui in ipſis exacerbationibus ſudores exſpectant; in paroxyſmis nimirùm pori, ut ſanguis ad ſecretionem ritè præparetur, conſtricti ſunt, ac illis declinantibus remittuntur, hoc verò ubi fit & fauſtus eventus exſpectandus, apud hos in quarto, ſeptimô, octavô apud alios 9. die ſolet corpus leni ſudore madere; aliter verò, ut dixi, in ægra noſtra eveniebat. Quin natura eo tempore vergebat ad excretionem per alvum, quæ tamen nullis adſtringentibus ſed ſolis nitroſis datis citò ſubſiſtebat. Die morbi undecimo præludia convulſionum ſeſe offerebant. Urina ſupprimebatur, & alternantes vicisſitudines caloris & frigoris ſpectabantur. Urinæ ſuppresſioni oppoſuimus cataplaſma ex fol. malv. Altheæ, florib. meliloti, verbaſci chamomill. ſem. lini, baccis Juniperi & oleo ſcorpionum, idque debitô locô applicari juſſimus, contra poſterius malum pugnavimus alexipharmacis cum antiſpaſmodicis debitè mixtis & ad veſicatorii opem confugimus ſine

 effectu

effectu. Tametſi enim Urina deinceps flueret, die tamen 12. & 13. epilepſia graviſſimè ægram exercuit impeditâ deglutitione, donec ſub veſperam fatô fungeretur; ut epilepſia in declinatione morborum triſtis fere ſemper ſolet eſſe prognoſeos indicium. Veſicatorium, ut dixi, in caſſum applicatum, quod aliquoties in moribundis vidimus, ſola enim corrugatio Cutis ſecuta eſt in nuchâ.

OBSERVATIO CCII.

Dn. D. CHRISTIANI HELWICHII.

De Curâ vomitus poſt partum.

ALiquoties vomitus poſt exantlatos partus labores in fœminis Catarrhalibus affectibus obnoxiis ac cibis flatulentis ac frigidioribus adfectis curavimus. Nuper etiam medicinam fecimus cuidam enormibus ſtatim à partu vomitibus, correptæ, quæ œdematoſô pedum tumore, ut Harpalidæ ſoror apud Hippocratem lib. 7. Epidem. c. 6. cum aliis ſymptomatibus circa quintum geſtationis menſem tentata fuerat. Cùm verò ejusmodi vomitus & lochiorum negotium turbet ac vires jam ante attritas vehementer dejiciat ac febrim minetur; neque tamen adſtringentia, aut anodyna, quicquid etiam alii dicant, hic locum habeant, paucis attingemus, quomodo nos curam inſtituerimus. Ante omnia imperavimus ſolicitam frigidæ auræ excluſionem & ſummam corporis quietem, quam ut in febribus pro eliciendis ſudoribus, ita hîc in compeſcendis vomitibus miræ efficaciæ eſſe ſæpiùs experti ſumus. Internè nervino-carminativa ſelectiora ordinavimus. Peculiaris quædam vis in radice pimpinellæ emicuit, ſed major in nitroſis, ficuti ita, quibus experiri volupe erit, teſtabuntur. Uſum Caſtorei laudant alii, ego ſæpe poſt ejus ſumptionem memini mulieres conqueſtas fuiſſe de dolore quaſi gravativô & quaſi Cardialgico. Externè adhibita fuit Aqva panis cum vinô malvaticô deſtillata, cui eſſentiam Croci miſcuimus. Deinde ſacculos paregoricos, quorum eximia etiam eſt utilitas in doloribus partum excipientibus etiàm tùm cùm Convulſiones in procinctu ſunt, applicari fecimus ex radicib. Angelic. pimpinell. Zedoar. ariſtoloch. fol. meliſſ. Roriſmar. flor. cheiri, chamomill. Roman. bacc. lauri, ſemine ſileris Montan. nigellæ &c. Sed caput rei eſt providè & circumſpectè promovere lochia, abeſſe juſſis ſabinâ, myrrhâ, Crocô, borrace Veneta

aliis

aliiſque vehementioribus, quæ ſæpè febriles æſtus accendunt ac varias in corpore turbas excitant. Nitroſa certè omne hîc ferent punctum.

OBSERVATIO CCIII.

Dn. D. CHRISTIANI HELWICHII.

De Paralyſi lateris dextri evaneſcentem ſurditatem excipienti.

TExtor aliquis ſeptuagenarius per triginta & plures annos initiô quidem barycoiâ deinde etiàm ſurditate auris ſiniſtræ laboraverat, & medicos varios ſolicitus de recuperandô auditu fatigaverat, at fruſtra fuerat. In aſſignandâ hujus ſurditatis causâ, Medici non convenêre, alii enim cerumen inſpiſſatum accuſare, alii ſuſpicari membranam quandoque præternaturaliter in meatu auditorio ortam, ſonorum allapſum impedire, alii tumorem glandularum, quibus meatus cingitur, nonnulli denique obſtructionem nervi auditorii allegare, atque hinc diverſis modis curam inſtituere ſine ullâ auditus emendatione. Hinc tandem de ſucceſſu deſperans per multos annos à medicamentis omnibus abſtinuit. Cœpit verò præter ſpem, ſenſim annô ætatis ſeptuageſimo, Auditum recipere, nàm cum admiratione omnium initiô ſonum altum ac elevatum clamoremque loquentium percipere ac diſcernere potuit, eôque nomine ſibi multum gratulatus, niſi quod metum ipſi incuteret debilitas, fatigatio, torpor ac ſenſus formicarum repentium in pede dextro à coxendice ad malleolos usque, & ſolicitudo ejus tantò major fuit, quòd, quò magis defectus auditus minueretur, eò magis impotentia ac inſenſibilitas in pede invaleſcerent. Ad extremum cùm diſtinctiſſimè perciperet ſermones domeſticorum; perfectâ paralyſi dicti lateris obruitur. Hinc verò facilè intelligi poteſt obſtructum fuiſſe in hôc virô nervum Auditorium circa *exortum aut progreſſum in Cameram* ut loquitur Felix Platerus Tract. de læſion. function. c. 8. p. m. l. 285. Patet etiàm facilè quomodo materia obſtruens nervum aliò translata potuerit excitare paralyſin cumprimis accuratiori notitiâ nervi auditorii ex Tr. du Verney de organ. audit. p. 11. comparatâ.

OBSERVATIO CCIV.

Dn. D. CHRISTIANI HELWICHII.

De Uſu Omenti.

EXimiæ indolis puer, illuſtri ſtirpe Czierovvskianâ ſatus, Franciſcus Carolus L. B. à Czierovvsky, à primis unguiculis ejulatu, cùm articulatâ voce non poſſet, deinde cum hâc interprete afflictiones ediſſerere valeret, etiam balbutienti linguâ de torminibus ac doloribus ventris acutiſſimis, qui pertinaciter omnibus medicamentis reluctabantur, flebili vultu quæſtus eſt. His urentes circa regionem renis ſiniſtri dolores ſeſe aſſociabant. Sub medium Octobris anni 1700. cùm à tribus circiter menſibus quintum ætatis annum ingreſſus eſſet, atroci articulorum dolore, qui convenientibus remediis ſublatus eſt, vexari cœpit. Die 26. ejusdem menſis, febri ardenti oppreſſus, ex illâ quoque cautiſſimè tractatus, reſpiravit, ita, ut etiam in publicum prodire poſſet. Sub initium Novembris, difficili dentitione afflictus, ac nova iterum ſymptomaticâ febri correptus eſt. Invaleſcebant ſymptomata omnia, & propterea Nobiliſſ. atque Experientiſſ. Dn. D. Graſſius, Collega & Amicus plurimùm obſervandus mihi adjunctus, ut ſociâ operâ, pro eâ, quâ valet, experientiâ & dexteritate occurreret ſymptomatibus. Concordi animorum ſententiâ præſcripſimus ſelectiora remedia, ſed contra torrentem navigavimus. Quarto enim ante obitum ejus die, accedebant ſingultus, vomitus, convulſiones, tumor circa pubem & dolor, rigidæ membri virilis tenſiones, deliria, aphonia &c. ac tandem morte finiebantur. Exta inſpeximus Dn. Doct. Graſſio cultrum anatomicum ſcitiſſimè dirigente, manusque commodante, adſtabat præter alios etiam Nobil. atque Experient. Dn. D. Preus, Collega itidem Noſter honorandus, qui defunctum antea curaverat, ac viſcera mortui Fratris, eodem ferè modo extincti luſtraverat.

Sectio hæc nobis detexit: (1.) abſentiam omenti, (2.) Flacciditatem Ventriculi, quem meritò cum Celeberr. Wedelio papyraceum dixiſſes, maximam, (3.) magnitudinem hepatis, (in proportione ad reliqua viſcera) ferè incredibilem, ejus enim lobus Ventriculum ſede ſuâ quaſi moverat, & verſus diaphragma adegerat. (4.) Meſenterium Scirrhoſis tumoribus hinc inde infarctum, (5.) renis ſiniſtri inflammationem præcipiti curſu in gangrænam vergentem eâ potiſſimùm parte,

te, quâ peritonæo annectitur. (6.) Veſicam omni tonô deſtitutam, (7.) Glandem nudatam, imperforatam, infra illam circa frænum exitus urinæ patebat. Ex iis a. facilè patet, tormina illa, quod nunquam nonejulandi occaſionem Noſtro præbebant, originem debuiſſe omenti abſentiæ, ac tenſioni ligamenti umbilicalis à prægrandi hepate, dolores v. lumborum ab inflammatione renis ortos, tonum ventriculi a. deſtructum, ſingultus, vomitus &c. foviſſe.

USUS.

I. Hinc colligi poteſt quadantenus uſus omenti, nam utut ſententia Ariſtotelica l. 4. de partib. animal. c. 3. ſuâ ſe probabilitate tueatur, quòd nempè natura abutatur omento ad benè coquendum cibum; Nihilominus hæc anatome utique etiam comprobat ſententiam Ruffi, qui vult, factum eſſe omentum, ut ſupernatans inteſtinis ſit mollimentum ad ambientis peritonæi duritiem. Nam quid impedit, quò minùs dolores illos, de quibus noſter querebatur, ortos ex hâc ipsâ premente peritonæi duritie derivemus? Niſi fortè magis placet, originem torminum horum tranſcribere defectui ſufficientis caloris ex abſentiâ omenti prognato. Obvium n. rationi eſt, arterias à cœliacâ propagatas, & venas rami ſplenici propagines latice ſanguineo turgentes calorem effundere in partes omento ſubſtratas, quæ hoc præſidio deſtitutæ, quî non frigidæ & ex refrigeratione doleant? Calorem certè etiam egregiè conſervat pinguedo, quam Anatomici cœnoſam vocant, omenti, cujus anterius folium præſertim eâ parte, quâ Ventriculo connectitur, pinguius poſteriori, obſervante etiam Gliſſon. in tract. de Ventric. & inteſtin. p. m. 115. utiq; ad fovendum blando hoc calore illam Ventriculi portionem. Quisquis n. attentè partes circa Ventriculum ſitas perpendit, facilè colliget, naturam Ventriculo ejusmodi tribuiſſe ſitum, ut undique foveretur, & calor ei communicari poſſet. Superiùs confert hûc aliquid diaphragma & calidiſſimum pectus, à ſiniſtris oppoſitus Lien, circa fundum pancreas, à dextris accumbens hepar, & eum deſuper aliquâ parte tegens &c. An verò magnitudine hepatis omenti defectum natura reſarcire voluit? 2. *Veſicam duram & graviter dolentem omninò malam eſſe, ſed peſſimam, ſi febris continua acceſſerit & alvus nihil admodùm reddiderit, mortemque intra primos circuitus expectandam*, eſt, Hippocratica Coaca notatu digna, in hoc noſtro omninò ex aſſe impleta, licet nondùm ſeptimum

ptimum ætatis annum, quod finis Coacæ vult, attigiſſet. Sed cur nulla tumoris indicia poſt mortem in veſicâ reperta ſunt, an motibus convulſivis, qui frequentiſſimi erant, ante obitum tumor ille diſſipatus? ἐπέχω. Aliàs tenſio membri virilis, quam communiter ab inflammatione deducunt, videri poſſet indicare omnes naturæ vires intentas ad id, quod præternaturale aderat, diſcutiendum ac reſolvendum. Id verò certiſſimum, quòd tenſio membri Virilis, ac genitale ſurſum retractum, ſicuti hìc factum, mortem portendat in morbis acutis.

3. Ex tripode quaſi dictum illud Clariſſ. Liſteri Exercitat. de hydrope, *ſtomachum tenuem & inflammatum, cibum potionemque protinùs vel vomere vel deorſum in inteſtina feſtinanter detrudere, crudum certè & minùs coctum*, i. e. lentum viſcidumque; à lentore ſanè chyli ſcirrhoſos meſenterii tumores deducò. Unde verò flacciditas? ab abſentiâ internarum fibrarum & villorum, hæc verò an à cibis calidioribus & uſu vini in tenerâ ætate? Huic enim aſſvetus puer.

(*Vratislaviâ An. 1700. Menſe Decembri Auguſtam miſſa.*)

OBSERVATIO CCV.

Dn. D. SAMUELIS GRASSII.

De Mercurio, Vermium l. pabulo, l. ſtabulo.

COm̄unis hactenus opinio fuit, Mercurium vermibus eſſe inimicum. Cùm verò aliquot ſpecula in marginibus folio ſuo, ſeu amalgamate Mercurii orbata viderim, flexuoſoque modo idem deraſum perſpexerim, levavi tegmen ligneum, & obſervavi in panno ſpeculis ſuperpoſito, nidulantes blattas & forbicinas, easque & vivas & mortuas deprehendi. Hinc ſuſpicatus ſum, hæc animalcula ſuper amalgamate Mercurii hoſpitantia, illud vel motu ſuo abradere, vel etiam ore rodere, cùm flexuoſo itinere magis magisq; in profunda ſpeculorum penetrent. Demi pannum, & ſic ſpeculorum pulchritudinem conſervavi. Doctorum Curioſorum ulteriori examini relinquo, an hæ blattæ & forbicinæ Mercurium depaſcant. Hoc tamen certum eſt, Cuprum, ſi exuviis horum animalculorum, conteratur, dealbari.

(*Vratislaviâ Auguſtam* V*ind. M. Dec. An. 1700. miſſa.*)

OBSER-

OBSERVATIO CCVI.
Dn. D. JOHANNIS CONRADI BRUNNERI.
De febri maligna miliari.

ILluſtriſſima Comes N. N. ad noſtram nuper pervenit Aulam ſaniſſima, ad fallendum temporis faſtidium, quod ipſam ceperat ex Illuſtriſſimi Sponſi abſentia. Menſe Aprili in morbum incidit. Frigus, quod per integrum diem ſenſit, ſequutus eſt Calor febrilis cum laſſitudine, cæterisque febrium comitibus ſymptomatibus. Inprimis *dolor capitis* intolerabilis afflixit; ad quem aut leniendum aut expugnandum venæſectionem ſollicitavit, & obtinuit primam in brachio; alteram, cùm prior fruſtranea fuiſſet, ſequenti die in pede: Nec tamen vel quicquam imminutus dolor ſævire perrexit eadem attrociâ, qua antè, cum febre continuâ. Menſtrua die morbi quarta, & juſtô citiùs proruperunt. Die morbi ſeptimo apparuerunt *papulæ, ſeu veſiculæ pellucidæ ceu cryſtallinæ, milii ſeminis magnitudine*, hinc inde per corpus diſſeminatæ, mox numeroſiores, tandem numeroſiſſimæ, tanta teneritudine & perſpicuitate, ut hac vel cum ſubtiliſſimo vaſe lymphatico certâſſent. Manſit interea febris & intendebatur, ut circa nonum *delirium* acceſſerit, cum miro *tendinum ſubſultu* per artûs. *Somnolentia* præterea, *ſtupor* & *oblivio* lethargum minitabantur. Interea ut ægra leviter tecta in æquali calore maneret operam dedimus, dum alexipharmacis intrinſecus id egimus, ut qua fluiditas fluidorum, qua perſpiratio noxiorum procuraretur. Circa decimum quartum morbi diem, cùm jam ſatis belle ſeſe habere videretur, accidit, ut mulierculæ mutaverint lintea; quibus caput tegitur. Inde ſtatim *dolor capitis* recruduit non minùs atrox, quàm fuit ab initio, & febris denuò exarſit, inſtar recidivæ. Manſit xxx. dies ceu immota in lecto, tanto cum virium defectu, ut non tantùm non è lecto tolli potuerit, ſed & alvi & veſicæ excrementa involuntariè citra ſenſum effluxerint. Perſeveravit interea morbus pertinaciter, veſiculæq; ſupra deſcriptæ usque numeroſiores prodierunt, adeo ut jam tota corporis ſuperficies iis denſiſſimè conſperſa videretur, perſtantibus eodem vigore ſymptomatibus, nec quicquam remittentibus, ægra inter ſacrum & ſaxum hærente, omnibus deſperata. Tandem circiter trigeſimum demum veſiculæ miliares albeſcere & ſuppurari cœperunt, ad

ad inſtar variolarum, ſeminum milii magnitudinem vix excedentes; hinc reſiccatæ exaruerunt, redeunte Illuſtriſſimâ ceu ex veterno: manſit tamen mira rerum atque nominum oblivio, quæ ſucceſſivè emendata quoque fuit, & ita ad vivos rediit, mortuis jam annumerata.

Eandem ſortem alia ex Illuſtriſſimorum ordine, at diſpari ſucceſſu ſubiit. Menſe Majo, anni, quem agimus poſt purgationem & abhinc conſuetam aliàs ſanguinis miſſionem bibit Acidulas Anthonianas, cum exoptato, uti memoravit effectu. Poſt novem dierum potum ſupervenerunt menſtrua, quæ rité fluxerunt; quarto abhinc die potum acidularum, cùm jam ante minùs bene valeret, repetiit. Eodem horrorem perſenſit, qui per ſeptem horas duravit; ſecutus eſt calor febrilis, cum ſolitis febrium ſymptomatibus. Vidua cùm eſſet, ſucci plena, repetita fuit venæ ſectio: diaphoretica fuerunt exhibita, hinc circiter quintum, cutis aſpera *cum maculis rubris*, inſtar morbillorum apparuit, cum bonis ægræ rebus; adeò ut circa nonum ἀπύρετος ſibi & aliis reſtituta videretur. Prodiit hinc, inſcio tamen medico ex lecto, quem ſterni & cibum ſibi parari juſſit, necdum diſſipatis maculis ſupra memoratis. Dum extra lectum fuit, horror denuò corripuit ægram, ita ut per trihorium abhinc in lecto vix calefieri potuerit. Inde præter ſolita febrium ſymptomata *dolor capitis* inprimis afflixit. Tertio recidivarum die ſimiles, quæ in ſuperiori caſu apparuerunt *veſiculæ miliares tenerrimæ, viſu propter pelluciditatem vix perceptibiles.* Ægra inprimis conquerebatur de dolore intenſiſſimo artuum, lumborum & articulorum, adeò ut arthritidem quadam vice mentiretur affectus. Ad eadem, quibus ante profuimus remedia confugimus, ſed imparia morbo. Die quinto ſupervenit delirium, ut notos antè non agnoverit, diſparentibus jam pridie undique veſiculis ante memoratis, cum urina copioſa, ceu naturali; pulſus in momenta debilior, reſpiratio tardior; ita intra quinque horas, hac morbi cataſtrophe ad plures evolavit.

SCHOLION.

Olim jam, dum Heidelbergæ agebam & ad præſidiarium militem Philipsburgum hebdomadim, curandæ valetudinis ergò excurrebam, tempore, quo graſſabantur febres malignæ & petechiales cum pleuro-peripnevmonia maligna, in ſimiles incidi apud ægrotantes milites papulas ſeu veſiculas, quas miliares haud immerito dixerim: antea

tea & ab eo tempore ſimiles nunquam in praxi conſpicari datum fuit. Illud inprimis tunc temporis obſervavi, alii quamvis morbum, ſub varia larva ludentem, malignam feliciter ſuperaverint, nullam tamen eorum, in quibus dictæ veſiculæ apparuerunt, evaſiſſe, id quod in *Diſputatione de Pleuro-peripneumonia* maligna notanter obſervatum volui. Alii an harum veſicularum mentionem fecerint Authores, me quidem latet. Apud *Sydenhamium* & poſt ipſum *Mortonium*, Practicos in Anglia inſignisſimos nullum harum veſtigium inveni, cæterum variolarum, & exanthematum ſcrutatores exactos. Occurrit tamen mentio ſub purpuratarum titulo febris malignæ miliaris apud Doctisſimum *Ettmüllerum*, conceptis his verbis: *Ubi corpus hinc inde minutis tuberculis, inſtar milii granis reſperſum apparet, vocatur febris maligna miliaris ſeu purpura, prout grana ſunt vel rubra vel alba; quæ alba puerperis ſolet eſſe moleſta & lethalis.* Quæ quidem quantum cum noſtris conveniant, quantúmve diſcrepent ex ſequentibus, quæ de curatione ſubjungit; præſertim ex iis, quæ ex M. A. N. curioſor. (unde ſua mutuatus videtur) adducit, apparet. Etenim nec rubras ego, nec albas quidem, ſed cryſtallinas planè conſpicatus fui, ut ad purpuram ſi referrem, ἑτεροῖος planè eſſem. Quicquid ſit, in natales veſicularum tam exitialium hûc inquirere operæ pretium erit.

Nec ego ſatis concipere nec admirari potui, quis ille eſſet in corpore humor, qui ſubtus epidermida effuſus, tantam memoratis hydatidibus pelluciditatem conciliaret, ut vel cum diei ſplendore certarent, & aciem viſus diaphaneitate ſua tantùm non ſubterfugerent. Nullus hîc rubor aut alienus color, quemadmodum in omni alio exanthematum genere obſervatur. Nec illud liquet, unde aut quomodo ſuam pelluciditatem ſervent tam diu intemeratam, cùm in priori caſu à prima apparitione ultra viginti dies eadem claritate & limpiditate, citra ſuppurationem perſtiterint. Certè vel ſerum vel quivis alius è ſanguine tamdiu extravaſatus humor ad ſuppurationem tendit & corrumpitur, præſertim ſi ad extimam uſque perductus corporis ſuperficiem aëri ſit expoſitus, manſit autem hic in tenerrimis ſuis veſiculis incorruptus. Gravia tamen hæc portendere & mortem præſagire ſigna tum aliàs expertus, tum binis hiſce, poſteriori præſertim caſu confirmatus fui. Suffragatur quoque laudatisſimus *Ettmüllerus*, ſiquidem per febrim malignam miliarem albam, noſtram ſubindicare voluit: *Affectus*, inquit, *acutus, non raró præceps eſt, qui dum maximè videtur blandiri, etiam ex leviſſimo horrore (fortè errore) ſubi-*

tò jugulat. Qui quidem error in utroque noſtro caſu, non citra vitæ diſcrimen contigit. In priori quidem, dum *Illuſtriſſima* poſt decimum quartum diem perbellè ſeſe habere videretur, ante victoriam triumphantes mulierculæ vittam, qua caput obvelatum fuit, nimis officiosè mutantes, cùm antè in continuo tepore & tranſpiratione, ſub ſtragulis leviter tecta tempus egiſſet ægra, id effecerunt, ut ſtatim abhinc immanis dolor capitis, & cum hoc febris, omniaque recruduerint ſymptomata, mihique nova fecerint negotia, cum ſpe ancipiti. In poſteriori autem caſu peccati pœna ſatelles fuit mors: Etenim cum poſt nonum vel omnibus & ſibimet reſtituta videretur, proprio auſu intempeſtivè ſeſe è lecto proripuit, unde oborto horrore vires recollegit hoſtis, qui brevi abhinc intentavit ægrotanti internecionem, præſagiumque explevit.

Exinde apparet, plus periculi imminere ab ipſis papulis, quàm à quovis alio exanthematum, ex maſſa ſanguinis oriundorum genere. Quid tandem de hisce ſentiam, anceps hæreo. Nec poſſum, quia aliquid de *ſucco nervorum* ſuboleat, & in mentem veniat illorum ſententia, qui febrium ſedem ſtatuerat in *genere nervoſo*. Omnes in univerſum febres, utrum in illo hoſpitentur, non attinet dicere, nec meum eſt hìc altius rimari. Ceſtè dictarum hydatidum facies, geneſis & ipſa, quæ hiſce ſuperveniunt, periculoſa ſymptomata aliunde, quàm ex maſſa ſanguinis & arteriis promanare arguunt. Quod ſi ſtatuamus nervoſum fluidum, fortè accommodatius erit ad explicanda, quæ illas comitantur ſymptomata. Etenim cùm cutis non ſit, niſi contextus fibrillarum nervearum, quô ſenſum tactus conſtituit natura, intertextis glandulis & vaſculis tam ſanguifluis, quàm lymphæ ductibus, facilè limpidiſſimus, qui vel omnem aliam ex maſſa ſanguinis aut arteriis fluentem ſuperat limpiditate humor, à nervis derivaretur, qui inquinatus perperam circa nervorum extremitates interceptus tales hydatides limpidas, citra commixtionem ſanguinis aut alius humoris excitaret ſplendidiſſimas, diu incorruptus. Nec ſudoris productum eſſe credere fas eſt: inde enim non tantum periculi immineret. Cæterùm liquor, qui reperitur in ventriculis cerebri, evaporatione parum in fundo vaſculi reliqui facit; nec concreſcit uti ſerum ſanguinis; cujus rei ſæpius in ſectione cadaverum experimentum feci; indicio, puriorem illum minus particularum heterogeneitatis continere, eſſeque corruptioni minùs obnoxium: Soboles tamen iſte fluidi nervei cenſetur, ceu alibi animadvertimus. Et

ipſa

ipſa lympha, quæ nonnullis fluidi nervorum productum videtur, easdem cum liquore ventriculorum cerebri notas in evaporatione præ ſe fert, ut non mirum, dictas hydatides, dum ex tali fluido originem ducere videantur, propter triplicitatem humoris corruptioni minùs obnoxias, diutius citra hanc perſiſtere.

Sed & ſymptomata, & periculum, quod inde imminet tale, quid innuunt. Etenim pleraque, de quibus conquerebantur, fuerunt generis nervoſi ſymptomata: Dolor capitis acutiſſimus, qui præceſſit & comitabatur veſicularum eruptionem in primo & ſecundo caſu; articulorum dolor, ut vel arthritidem mentiretur apud defunctam; ſomnolentia, delirium; ſtupor inprimis & oblivio; tendinum ſubſultus & tremor artuum, qui diu poſt ſuperatum morbum perſtiterunt apud ſuperſtitem; ingens denique debilitas artuum, ut diu pedibus conſiſtere non valuerit convaleſcens, ſatis ſuperque de affectione generis nervoſi teſtantur. Et quod mirum, dum hæc ſcribo, modô nodos circa digitorum internodia naſci conqueritur Illuſtriſſima Comes, ante morbum nunquam viſos, ſed morbi producta: unde quis non tantùm cauſam dictorum ſymptomatum probabiliter à nervis derivatam, ſed & morborum articularium & ipſius podagræ per nervos fluere ſuſpicari poſſet; experimento ad probandam ſucci nervei exiſtentiam forte haut inepto nec incongruo.

Funeſtus tandem exitus apud defunctam rem planè confirmat. Etenim cùm ab initio non admodum ægrotâſſet, maculæ rubræ, ſanguinis teſtes per cutis ſuperficiem apparuerunt, cum febri continua & pruritu; quæ blanda diaphoreſi intra novem dies admodum diſſipatæ fuerant, cum optimis ægræ rebus. Poſtquam autem, imprudenti conſilio ſurrexit, lintea mutavit & aliàs genio indulſit ſuo, factum eſt, ut perſtricta frigore cutis & corporis habitus repulerit particulas ſanguinis malignas, nondum planè diſſipatas; quæ repercuſſæ aditum invenerunt circa interiores partes, cerebrum nempe, unde atrox ſtatim à frigore capitis dolor, & hinc nervorum apices, calore lecti priori morbo adapertos: hinc poſt recidivam demum, diſparentibus maculis rubris, priori morbo excluſis, hydatides ſeu veſiculæ diaphanæ per cutim denſiſſimè diſſeminatæ in conſpectum venerant, ex alio, quàm priori fonte derivatæ: quæ quidem quamdiu apparuerunt, nihil periculi imperitis portendebant; evaneſcentes autem, congeſtâ in nervis materiâ malignâ ocyùs interitum, uti ſolent plerumque, intulerunt:

Nec enim ſatis eſt medicum ſuum facere officium, niſi ſuum quoque adſtantes, ſuumque faciat ægrotus &c. Hippocr. Aph. 1. ſect. 1.

OBSERVATIO CCVII.
Dn. D. JOHANNIS CONRADI BRUNNERI.
De
Dolore iſchiadico, periodico, acutiſſimo.

ILluſtriſſima quædam 37. annorum tenera, gracilis, vividi ingenii cum Illuſtrisſimo marito ſecuta exercitum, ſub initium æſtatis Anni MDCC. maximam ejus partem egit in Palatinatu; nec ſibi temperavit, quin exæſtuans, frigidà ſeſe cum ſocia laverit: Loca inſuper ſubterranea ad vitandum æſtum haut infrequenter ſubiit, in quibus cum aliis pranſa fuit. Redux tempore autumnali, ſecundo flumine Rheni minùs rectè valere cœpit: corrupta fuit in itinere dolore iſchiadico vehementisſimo; ad quem pellendum Chirurgus acceritus neſcio quem, externè adhibendum præſcripſit ſpiritum arthriticum, unde meliùs ſeſe habere cœpit ægra, ut ſequenti die, dolorum expers obambulare potuerit. Nec diu abhinc ſpes inchoata fefellit; dolor enim recruduit tam ſævus, quàm fuerat pridie. Ad priora ſtatim accurrens remedia, non eundem ſentit effectum; quia dolor per aliquot horas ſæviit, nec quicquam moratus. Pervenit Dusſeldorffium doloris plena, & nihil non medicaminis ad mitigandum ſaltem, ſi non tollendum tantùm cruciatum adhibuit. Bibit Decoctum *ſalſæ parillæ* compoſitum, crebroſque in laconico inſtituit ſudores: Externa varia parti dolenti adhibuit, ad disſipandum, qui tantos dolores inferre poſſet, humorem. Tandem horum pertinaciâ victa, thermas Aquisgranenſes adire, auxilii inops, mediâ hyeme conſtituit; quam tamen eadem, quæ impulit, dolorum vehementia refrenavit. Illud inprimis notatu dignum erat, quòd non tantùm periodicè exacerbatus fuerit dolor, ſed & in ipſo paroxyſmo obambulare valuerit, quin dolorum vehementiâ currere coacta fuerit ægra. Opportune igitur ſubiit cogitatio, an non fortè paroxyſmum febrilem, cujus tamen nulla extabant indicia imitaretur affectus, vix alio, quàm remedio antifebrili expugnandus: nec diſplicuit conſilium aliis, quod initiô morbi viſum, tamen, uti fieri ſolet, neglectum fuit. Pilulas ex pulv. Cortic. Peruviani: Antihect. Poter. Cinnab. Antimon. &c. initiô morbi paratas, irritis omnibus aliis ad uſum revocavimus,

ſingulo

ſingulo trihorio repetendas; Inde non tantùm levamen ſtatim ſenſit ægra ſalutem deſperans, ſed & (mutatâ pilularum in infuſi formam) continuato remedii uſui brevi convaluit.

SCHOLIUM.

Plures dantur affectus periodici, plerumque non minùs atroces, quam curatu difficiles. Antidotum autem monſtravit, & immortali nominis ſui gloria publicavit inſignisſimus Morton, dum plurima adducit exempla morborum atrocium, citra manifeſta febris indicia, ſolis antifebrilibus curatorum; & revera non mediocrem ita apud cordatos meruit gratiam, eoque majorem, quòd plerumque ad omne aliud remedii genus erant invicti. Hinc non immeritò quæritur, quid illud ſit, quod tantos periodicè intulit dolores, & movit cruciatûs apud Nobiliſſimam ægrotantem? Certè dolor tantus citra vehementem ſpirituum animalium excandeſcentiam excitari non poteſt, id quod natura dolorum teſtatur. Etenim ſi influxus ſpirituum per nervos intercipiatur, perit ſenſus; ſi placidè influant, doloris nulla perceptio: contra verò ſi vehementiùs commoveantur, & œſtro perciti excandeſcant, dolor preſſo ſequitur pede. Quid autem illud fuerit, quod ſpiritus animales ſpontè nunquam furituros in caſu memorato ſtatis horis in tantam egit rabiem, nôn æque adeò in promptu eſt dicere. In parte autem ſeu loco affecto neceſſariò aliquid vitii ſtatuendum erit, cum reliquæ partes, quotquot fuerunt, & ipſum femur dextrum, à dolore immunes perſtiterint. Cæterùm negari non poteſt, dari particulas in ſanguine incongruas morbidas, quæ ratione figuræ in parte quadam ceu nido, ſeu foco morbi congeri queant & adhæreſcere; quæque quietæ nihil motûs aut noxæ, commotæ autem enormes, circa nervos præſertim excitant dolores. Etenim occaſione illarum ſpiritus excandeſcere facilè intelligitur; cùmque iſti motuum tam naturalium, quàm præternaturalium ſint tenaces, id quod exemplis demonſtrare eſſet in promptu, hinc congeſtionis & exacerbationis ratio certis horis quoque haut obſcurè concipitur. Nec enim dubitare licet, quia plures dentur, & ex mente Hippocratis ſexcentæ in maſſa ſanguinis diverſi ordinis, motus & figuræ aut ſoliditatis particulæ, pro diverſitate morborum diverſiſſimæ. In cancro v. g. in lue venerea, dyſenteria &c. diverſam, nî fallor, & ſpecificam particularum morbificarum naturam videre eſt; id quod cùm

de

de venenis obtineat, cur non de iis quoque corpuſculis credendum, quæ communiter fermentorum morbificorum nomine veniunt?

Cæterùm Illuſtriſſima mulier omnia contulit ad diſpoſitionem febrilem inducendam: frigidâ ſeſe lavit; in cryptis & locis ſubterraneis ad vitandum Sirii fervorem quæſivit refrigerium; abhinc circiter autumnum per aquam iter fecit; variaque militiæ incommoda experta id egit, quod alii, quando ſibi febrem accerſunt: nervos non multa carne, pauciore pinguedine tectos (erat enim gracilis & tenerrima) facilè refrigeravit, & eam fortè parti affectæ diſpoſitionem induxit, ut particulæ morbificæ faciliùs ibi, quàm alibi obhæreſcere & nidum formare potuerint. Nec fortè abſonus videbor, ſi in febribus, juxta lentorem & ſanguinis craſſitiem aut acidum, aut fermentum febrile, aut cum aliis venenum ſeu particulas ſui ordinis ſtatuero, quæ quidem partes quasdam inoffensò pervadant, ceu ſanas & incolumes, adhæreſcunt autem in aliis. In ſufficienti autem quantitate congeſtæ, moleſtæ dum incipiant eſſe, ſpiritus, motuum priorum & impreſſionum tenaces, conſimiles ineunt motus, excandeſcunt atque ferociunt, tantiſper dum materiâ morbificâ expulsâ ſpiritus deſæviant: denuo autem collectâ materiâ morbificâ in eodem foco, motus ſuos tempore conſueto repetunt, ſymbolam forte ſuam conferente æthere, & priſtinos motus concitant ſeu paroxyſmos, uſque dum materia morbifica ſubacta & morbus penitus expugnatus fuerit.

Mirum illud videri poſſet, qui in ipſo dolorum paroxyſmo, & durante illorum ſævitie gradu celeri conclave emetiri potuerit ægra; id quod certè non licuiſſet, ſiquidem humor acer circa nervorum è ſpina dorſi prodeuntium faſciculum doloris cauſa fuiſſet; ut vel luculenter hinc appareat, non fuiſſe niſi excandeſcentiam & furorem Archæi, concitatum occaſione particularum peregrinarum in nido circa nervum collectarum, toties recurrentium, donec in tota maſſa ſanguinea ſubactæ & expugnatæ fuerunt.

Præſtitum id fuit, irritis aliis omnibus ſolo Chinæ Chinæ uſu, & quidem ſpecifica ejus virtute, qua & lentorem fluidorum & craſſitiem corrigit, & particulas ſui ordinis fermentativas ſeu febriles corrigit. Evidens tamen nulla apparuit in maſſa ſanguinea fermentatio, nec ulla manifeſta febris indicia, neque in pulſu neque urina apparuerunt. Nec enim neceſſarium videtur, ut eadem ſemper, in diverſo ſubjecto, gradu & anni tempore eodem reſultent ſymptomata; nec

eſſentia

eſſentia febris forte in eo conſiſtit, ut ſemper exardeſcat & prorumpat in flammam: ſufficit particulas ſupra deſcriptas in & circa locum affectum congeri potuiſſe, & ſuis circuitibus dicta excitare ſymptomata. Conſimiles autem, uti in febribus fuiſſe particulas morbificas ex antidoto colligere licet. Et utinam plura darentur, remedia ſpecifica, quibus particulas ſpecificè hunc aut illum morbum patrantes ſubigere, corrigere aut extinguere poſſemus; nec tanta nonnunquam in curandis morbis laboraremus conſiliorum inopia. Suffecit nobis India orientalis plura, & non ita pridem remedium contra diarrhœam & dyſenteriam efficacisſimum, mihi juxta cum aliis uſu comprobatum. Cùm autem compertum habeam particulas ſui ordinis in prædicto morbo, quas dyſentericas appellare liceat, natitare in tota maſſa ſanguinis, & lege circulationis omnes partes inoffensò permeare, ſola autem inteſtina electivè impetere, tantùm non in eam veni ſententiam, animatas eſſe, &, more animalculorum inteſtina petere, aliis intactis partibus; id quod animalculis haut eſt inſolitum. Ad illas igitur extinguendas certius & efficacius *Ipecoacanna* ego quidem non novi remedium.

In lue venerea aliæ dominantur & ſui generis particulæ, quas itidem animatas eſſe tantùm non perſuaſum habeo ex modo invadendi & dolores nocturnos excitandi. Ad illas extinguendas itidem adinventa ſunt efficacia remedia, quibus quotidiè hanc luem & radicitùs percurari videmus: Certius tamen non novi & jucundius *Aquâ mercuriali, ex Mercurio* in vitro *Hermetice ſigillato ſine ullo additamento in aquam reſoluto*, quæ pondere cum Mercurio eadem; ſed decies ſexies plus ſpatii occupat reſolutus Mercurius, quàm non ſolutus. Hæc aqua inſipida ad aliquot guttulas manè ac veſperi exhibita, citra ſalivationis aut ullius excretionis motum placidiſſimè dolores nocturnos ad miraculum uſque ſedat, morbumque ſanat radicitùs. Utinam doceatur, & quæ particulas cancrificas, quæ podagricas & quæ leproſas delerent & extinguerent! Nec ſatis operæ, ſtudii & laboris impendi poſſe exiſtimaverim, & fortè utilius expenderent Magnates & Principes impenſas in inveniendis & detegendis ejusmodi experimentis, quæ fruſtra ratiocinando quærimus, cùm caſu potiùs & fortuitò inventa fuerint, quæcunque tenemus in arte medica efficaciora remedia. Sic novi litum apud mercatorem in vicinia depoſitum eſſe, certum contra impetiginem, morbum rebellem & contumacem, experimentum à me ſæpius comprobatum.

Cæterùm forte in noſtro Caſu invenirent, quo ſententiam ſuam defenderent ij, qui febrium intermitentium cauſam in genere nervoſo ſtatuunt, in quorum gratiam illum quoque expoſuiſſe juvabit.

OBSERVATIO CCVIII.

Dn. D. SALOMONIS REISELII.

De Unicornu Marino duplici.

PRiusquam innoteſceret, unde Unicornu illud ſtriatum eburneæ duritiei & coloris veniret, maximo pretio æſtimatum & in theſauris regiis ſervatum fuit. Credebatur enim verum Unicornu à quadrupede quodam geſtari, idq; eſſe rariſſimum, de quo multi pro & contra ſcripſerunt. Olaus verò Wormius in Muſæi ſui lib. 3. c. 15. Anno 36. præteriti ſæculi detexit, Cornu hoc ſeu dentem alexipharmacum creſcere in Ceto Narhual dicto à cadaverum paſtu, qui circa Gronlandiam capitur, ubi ſimul, an dens an cornu dici debeat, cum aliis quæritur & controvertitur, quo pro armis utitur bellua iſta, ut elephas & aper ſuis dentibus. Cujus deſcriptioni accuratæ & delineationi, quam & Th. Bartholinus mutuatus & imitatus eſt Diſſert. de Unicornu, nihil addendum judicavi, niſi quod in Muſæo Stutgardiano cranii ejusmodi mutilati ſuperior ſola pars hinc inde fracta, longa duobus ped. lata pede uno ſine maxilla inferiore, cum unicornu abrupto quidem, ſed longo tamen adhuc tribus pedibus & unciis novem ſupra radicem ſeu baſin, quæ latebat in roſtri ſiniſtro proceſſu ſeu alveo, longam pede uno & unciis duabus, in dextro proceſſu quoque per rimam neſcio ſpontè an violenta aliqua fractura hiſcentem oſtendat parvum ejusmodi cornu ſeu dentem longum ultrà uncias octo, de cujus ſucceſſione, præſentia, ortu & generatione tacet Wormius. Conjicio enim ſuccreſcere illud priori protenſo longiori, ſi forte violentia aliqua, aut ætate, aut conſuetudine, deciderit haſta illa oſſea, vel ſi abruperit illam piſcis, quod in glaciei ruptione haud raró contingere obſervatum fuit. Meminit tamen laudatus Wormius, quod Pharmacopœus Regius Elias Fleiſcherus in dente ſeu Unicornu tali, ubi ſerrâ partem juxta baſin abſtuliſſet, ac fortius aliquanto reliquum concuteret, eruperit tenellus ac novus dens majori incluſus, qui fuit figura & ſubſtantiâ planè ſimilis magno iſti. Addit deinde quod, quamvis varios & in exteris & domi viderit integros

tegros hujus generis, in nullo tamen hæc obſervare licuerit. Nec non inquiens: Oppoſitum alveo ſiniſtro in quo dens ille magnus inſertus eſt, latus nullam planè habet cavitatem, aut cavitatis veſtigium, quæ ſimilem capere poſſet, ne quis exiſtimet, animal hoc pluribus uno dotatum eſſe. Nullum namque habet ſive majorem ſive minorem, præter hunc in mandibula ſuperiore. Inferior an quibusdam minoribus prædita ſit, me latet, ſiquidem eum nunquam vidi. Hæc Wormius. Econtra Stalpart van der Wiel de Unicornu adjuncta Obſerv. Rarior. Cent. I. editis Anno 1687. confirmat dentem hunc parvum his verbis. Dens autem ille prope cranium aliquomodo cavus eſt, atq; in eo parvulum quandoque cornu, ſi ita vocare liceat, creſcit, ejusdem planè formæ, cujus eſt ille, uti ap. Wormium cap. 14. fol. 285. legere eſt. Unde Simon Vrieſius Lib. 1. Groenlandiæ antiquæ fol. 59. credere ſe ait hiſce piſcibus dentes iſtos tandem excidere, aliosque iterum naſci pari modo, quo infantibus ac interdum adultioribus contingit, ut à novis creſcentibus dentibus priores illi propellantur, protrudanturque. Atque ideo quidem credit tot ejusmodi dentes à piſcium ſeparatos capitibus in Groenlandiam Islandiamque à glacie provehi. Aſt Paulus Ludovicus Sachſius in Monocerologiæ ſuæ accuratiſſimæ cap. 8. diſtinguendo dubium ſolvit, dum, quædam Unicornua ab imo cava, quædam in baſi ſeu fundo ſolida & firma ſtatuit, & cava quidem conjicit ab animalibus eſſe depoſita & abjecta, ſolida verò captis, occiſis vel mortuis cum radice adempta, quæ integra tùm invenitur. Utrum autem beſtiæ hæ cornua ſua deponant ſicut cervi, de re incerta certi quid affirmari non poſſe aſſerit. Pergit deinde, Certum eſt, cornua cava ab imo in margine inferiori eſſe pertenuia & jam ſtriata ut pleraque ſolida, ſtriæ genuinæ demùm incipiunt eo loci, ubi mandibulâ ſunt egreſſa, vel cum vel ſine ſinu. Ideo puto, non à vero abludere cavitatem hanc à protuberantibus & pullulantibus novis cornibus cœptam vel à radice impreſſam, relictamque ab aquarum alluvie, vermium colluvie, & temporum edacitate augeri, & dum cœlo ſolique eſt expoſita, majorem fieri. Unde accidit, unum altero profundius eſſe excavatum. Hucusq; Sachſius, qui & Cranium & cornu, pinnam, ſcapulam & priapum Unicornu hujus marini laborioſiſſime deſcribit, & delineat exactiſſimè, ut ſuperſedere poſſim Cranii iſtius cum ſuo Cornu deſignationi, quod in Muſæo Ducali Stuttgardiano conſervatur, niſi minor quidam & ſuccedaneus dens una cum majori

in diſtinctis alveis inhæreret : cujus mutilati quidem ideo figuram contracta magnitudine addo, ut & parvus ille in oculos incurrat, qualem ſolitarium ex amici liberalitate planè ſimilem poſſideo & vera magnitudine octo unciarum delineatum hic adjicio. Hic igitur meus baſin ſeu coronam (quam die Cron vocant in cornubus cervinis) habet cirratam cum umbilico aſpero, vel veluti quoddam præputium retractum & corrugatum cum glande nuda & perforata excurrit per ſtrias quasdam rectas non ſpirales usque in medium, hinc aſcendit lævigato parum & hinc inde ſcabro ſcapo usque in apicem, qui laminis aliquot diſtinctè ſeſe prodentibus exaſperatur tandem nodulo ceu capitulo quodam. An hic in alio majore cavo hæſerit, valde dubito, quod verò de Stutgardiano affirmari non poteſt, qui in roſtri dextro alveo latet planè ſeparatus à majore, qui in ſiniſtro infixus fuit; Deinde quod in radicem, quæ craſſa ſatis orificio quoque quaſi concha quædam amplo exterius hinc anguſtiore gaudet, non poſſit penetrare, ſed ſtilus tantum tenuis non ultra quinque uncias, præſertim cum in aliis Unicornubus noſtrorum Pharmacopœorum, in quibus ſtylus ſatis alte aſcendat radices cavæ & tenui cortice circumdatæ reperiantur, ut Sachſius vere & bene locutus ſit, quod baſim cavam & ſolidam habeant: qui capite 6. retulit, quod ex quatuordecim cornubus integris à freto Davis allatis quinque baſin ſolidam habeant & firmam, reliqua ab imo ſunt excavata.

Relatum quidem mihi eſt ab amico, quod Norimbergæ viderit figuram æri inciſam Unicornu duplicis & utriusque longi ex Belgio allatam raram ſatis. Sed cum neque figuram ipſam viderim, neque hiſtoricam relationem legerim, fides ſit penes Amicum, donec aliunde cognoverim Veritatem illius.

Qualis ſit Monoceros marinus minor, nuſpiam aliàs, ſed in Muſæi Regalis Societatis Anglicæ p. 104. accuratè deſcriptus, de quo in Act. Erudit. Lipſ. An. 1682. p. 2. an denticulus talis, an animal ipſum, poteſt inde reſciri.

FIG. XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV.

(*Stutgardiâ Auguſtam* Vind. *d. 23. Decemb. An. 1700. miſſa.*)

OBSERVATIO CCIX.
Dn. D. LUCÆ SCHRöCKII.
De Farina minerali.

AN. M. D.ICC. cum Solis radii in æſtate terram plurimùm paſſim exſiccarent, in pago Remlingen, non procul ab Urbe Imperiali Nerolinga, ſub dominio Seren. Principis Oettingenſis, Mons, ex quo lapides pro calce viva paranda depromuntur, fiſſuram egit, in qua Pulvis farinaceus albicans ſe conſpiciendum præbuit, qui collectus, atque pani conficiendo idoneus à plebecula egena fuit judicatus: quo ſub nomine in remota etiam loca tam farina ipſa, quàm panis inde confectus transmittebatur; variis phænomenon hoc variè interpretantibus, inprimis verò plurimis ut portentoſum quid, atque in pauperum ſolatium, ob impium Inſtitorum frumentariorum in annonæ caritate inducenda attentatum, à Divina Miſericordia ſubmiſſum beneficium ſuſpicientibus. Revera tamen nihil miraculoſi hîc deprehenditur, cum farina hæc neque cereali polleat virtute, neque aliam agnoſcat proſapiam, quàm minerale illud, quod Lactis Lunæ nomine circumfertur; Cui ſimiles multis in locis reperiri conſtat. Sic anno eodem in publicis Novellis Lipſiæ impreſſis relatum fuit, in pago Glycken, duabus horis ab urbe Serveſta diſtante, farinam albam ex terra, inſtar colliculorum à talparum ſuffoſſione excitatorum prorupiſſe, quæ cum farina ſecalina mixta & excocta, absque damno comedi potuerit. Farinæ Carolopolitanæ, non procul Herbipoli aliquando inventæ, & in panes coactæ, piſtæq; meminit *Andreas Libavius in epiſt. 38. Ciſt. med. Hornung.* Pariter prope Caſtellum oſtii Viſtulæ maritimum Regiæ urbis Dantiſci farina talis effoditur, quam Nob. *D. D. Joh. Chriſtophori Gottwaldti, Poliatri Gedanenſis* dono poſſideo. Neque indictum abire debet Lac Lunæ Bethlehemiticum, quod in crypta B. Mariæ Virgini ſacra, in qua nempe cum Herodis tyrannidem effugeret, latuiſſe, atque dum filium lactaret, hoc lacte ſuo locum hunc irroraſſe vulgò traditur, concreſcit, compactioris quidem ſubſtantiæ, aſt facilè in pollinem farinaceum teri aptæ, & cæteroquin farinæ noſtræ non abſimilis, quo de agunt *Muſæum Calceolarianum ſect. 2. pag. 138. Nierembergius tr. de miris & miracul. nat in terra Hebræis promiſſa cap. 38.* ut & *Franc. Ferdin. Troilo itinerar. orient. pag 311.* Ipſam etiam terram Samiam Veteribus medicis celebratam, præſertim quæ ipſis collyrium

dicebatur, (vid. *Dioſcorides lib. 5. de mat. med. cap. 129.*) non aliud quid fuiſſe credibile eſt, ceu idem etiam *Ferrantes Imperatus lib. 5. hiſt. natur. cap. 41.* cum multis aliis peritis Medicis ſtatuit. Memorari inprimis hîc meretur Luſatica illa, cujus *D. Stephanus Blancardus in cent. 2. Collectan. med. phyſ. obſerv. 72.* mentionem facit, montem ibi eſſe referens, ex cujus fiſſuris calore ſolis excitatis plurimi globuli inſtar farinæ colliguntur, ex qua panem egeni conficiant; de qua amicè requiſitus Nobil. noſter Collega, D.D. Gottlieb Budæus, Arch. Duc. Saxon. & Phyſicus provincialis ordinarius March. Luſat. ſuperior. benevolè his verbis mihi reſpondit: *Mitto terræ noſtræ albæ & farinaceæ Muſcavienſis aliquid, quæ in monte quodam arenaceo, & propter reperiundum alumen, aluminoſo dicto, ſatis magno, non procul ab oppido Muſcoviâ (Illuſtriſſimi Comitis de Callenberg, Potentiſſ. Poloniarum Regis atque Saxon Elector. Camerarii Splendidiſſimi ſede, ob elegantiſſimam arcem, mineralia ibi reperiunda, ut & cereviſiam hordeaceam delicatiſſimam, particulis nitroſis & aluminoſis refertam, adeoque diureticam, laxantem & refrigerantem, noſtris oris ſatis celebri,) reperitur, & una cum terra quadam bituminoſa, nigra, molli, rara & levi (cujus portionem una cum terra illa adhuc circumdatam addidi,) ultra 5. 6 10. ad 20. ulnas ſita effoditur. Terra verò illa farinacea in tanta quidem copia ibidem non reperitur, ut pro conficiendo pane ſufficiens ſit, nihilo tamen ſecius verum eſt illud, quod olim ipſam cum farina ſecalina egeni miſcuerint, & prævia fermentatione panem inde confecerint. Ex ſola verò maſſa illa farinacea panem poſſe confici & nutrimentum aliquod ſperari, vix credibile eſt, interim ſufficiat, quòd augmentum panis fuerit. Cujus rei experimenta fecit Nobil. atque experientiſſ. D. D. Jacobus Stöckerus, Muſcavienſis, jam Phyſicus Cotbuſienſis in Luſatia Inferiori, ut & D. D. Martinus Franciſci, in patria Muſcavia Practicus, Amici noſtri æſtumatiſſimi, qui etiam hæc ipſa nobiſcum communicarunt. Cæterùm terra hæc Curioſis quibusdam Viris Romam ut & Lutetiam Pariſiorum miſſa fuit, qui illam pro vero Lacte Lunæ habuerunt, atque illi in Helvetia reperiundo prætulerunt, &c.* Hujusce autem Lactis Lunæ deſcriptionem Magnum ſuæ quondam Helvetiæ Decus, *Conradus Geſnerus in libro de foſſilib. cap. 2* ſuppeditat, ſcribens: *In ſpelunca quadam per ſummum montem fornici adhærens naſcitur ſubſtantia quædam fungoſa, friabilis, alba, leviſſima, quam fungum petræum dixeris, vel agaricum ſaxatile: tam ſimilis hujus eſt facies. Incolæ Mon-Milch apellant. i. e. Lac Lunæ, à ſubſtantia alba & ſpumoſa, ex qua concretus videtur hic lapis, ſi lapidis nomen meretur. Aquæ mixtum albo lactis colore eam inficit. Inſipidum eſt. Siccat ſine morſu. Nulla in eo aſperitas, & totum cum ſaliva mandentis liqueſcit, præ-*

ſertim

ſertim quod melius fuerit. Nam & craſſius aſperiusque reperitur, immaturius nimirum & crudius: quod odore etiam caret &c. Quæ ipſa deſcriptio farinæ noſtræ optimè quadrat, cum itidem ſit ſubſtantia alba, leviſſima, aquam lactis colore inficiens, ſine odore, ſapore, atque aſperitate, inque ſaliva diffluens. Ad Lapides quidem referri non meretur, ipſe tamen Geſnerus etiam de ſuo minerali dubitat; ad Terrarum verò familiam utramque pertinere vix dubitare licet. Cujus ortus vel ex minerali aliqua in montium penetralibus, ex ſuo proprio ſeminio proveniente exhalatione, inſtar Pulverum quorundam chimicorum per ſublimationem parabilium, ex. gr. florum Sulphur. Antimon. deducendus eſſe videtur, dum interim pars iſtarum atomorum ſubterranearum aliqua viſcoſioribus aliis mixta, in lapideam concreſcit duritiem: vel vapor aliquis ſpirituoſus per rimas cavernulasque lapidum penetrans, poroſioresque horum obvias partes in pulverem ejusmodi calcinando convertit; id quod non ſine violentiori particularum motu fieri credibile eſt, à quo ipſa terra, præcipuè ab externo calore exſiccata, in rimas fatiſcere cogitur; ceu hoc ſupra memorata circa Serveſtanam farinam terræ in monticulos expanſio confirmat; quale quid etiam in vicina Bavaria, loco aliquot ab Urbe noſtrâ horis diſſito quotannis in ſylva aliqua contingere, Illuſtriſſ. quidam Comes mihi teſtatus eſt, ubi terra in loco non ſpatioſo dehiſcens albicantem materiam protrudit, quæ cum Melitenſi terra plane convenit, ut ovum ovo magis ſimile eſſe nequeat.

Cæterum de virtute ejus nutriente, & quæ in panem mutari queat apta, meras circumferri fabulas non eſt dubium; ſiquidem neque in paſtam compingi ſola, neque ullo alio modo tractata excoqui in panem poteſt, ſed pulvis ſiccus ſemper remanet; quamvis enim farinæ ſecalinæ immiſceri ejusque glutinoſis particulis inviſcari, ſicque in clibano cum ea coqui, & panis formam ludere queat, aquâ tamen uberiori ſi diluatur panis iſte, priſtinam mox illa formam denuo oſtendere & fundum petere conſuevit. Unde etiam glutinoſis vel gelatinoſis illis cum careat particulis, nullo modo corpori animali nutrimentum ſuppeditare valet. Acidos quidem dum abſorbendi ſuccos potentiam obtinet, eo ipſo etiam humoris fermentalis in ſtomacho, ſi ille acidus foret, actionem, qua nervoſam ventriculi tunicam vellicat, ſicque famem excitat, impedire poſſe ſequeretur; ſicuti verò in ſtomacho humano ſanitate firmâ gaudente acidum illud naturaliter non invenitur, ſalſidula tamen & quaſi ammoniacalis lympha iſta dum exſiſtit, ſpicula hujus nihilominus à farina noſtra obtundi poſſe minùs dubito, cum ammoniaco ſali aliquam in ſolvenda

illa

illa potentiam ineſſe deprehenderim; quamvis etiam ubi ex vitioſa diæta, publicæ penuriæ tempore non infrequenti, acorem peregrinum ſtomachus recondit, atque ab ejus roſione nimio adpetitu laborat, utilitatem inſuper aliquam præſtare, famemque immodicam ſedare valeat. Ob quam ipſam acidos ſuccos deſtruendi virtutem in plurimis morbis, quòd proficuus ejus uſus eſſe queat, ſpontè eluceſcit; in omnibus nempe, quibus tam laudatam à veteribus Medicis Samiam terram, quàm celebratum Lac Lunæ à Modernis commendari legimus. Neque etiam aliâ ratione ad lactis augmentum quid facere poſſe veriſimile eſt, quàm acidas partes, ſi quas chylus in ſtomacho & inteſtinis imbiberit, enervando, atque ut dulcificatus ita ſuccus hic ad mammas perveniat, ibique laudabile in lac evadat, efficiendo, non verò ipſam lactis quantitatem ſubſtantiæ ſuæ albæ & lactiformis immixtione adaugendo.

OBSERVATIO CCX.

Dn. D. JOH. GEORGII VOLCKAMERI.

De Attmella Lithontriptica.

SIſto Vobis Viri Nobiliſſimi curioſam ac novam Plantæ cujusdam Lithontripticæ deſcriptionem à nunquam ſatis laudando ac Celeberrimo D. Petro Hotton Medicinæ Doctore ac Botanices Profeſſ. Publ. Lugd. Batav. in gratiam *ὕλης ἰατρικῆς* extemporaneo quamvis erudito nihilominus diſcurſu publicatam, eſtque ſequens. Attmella, Atemella & Hacmella; iſtis enim nominibus mihi miſſa anno 1691. ſemina ex Inſula Ceylan, ubi naſcitur & familiaris eſt. An & in Malabar aliisque Indiæ regionibus proveniat, compertum non habeo. Cùm Barbarica ſint hujus Plantæ nomina de eorum origine nihil habeo, quod afferam. Ipſa verò Planta, quam colui ipſe, anno 1692. flores fert in caulium ſummis ex multis floſculis tubuloſis coagmentatos, in caput coactos & Perianthio hexaphyllo aut polyphyllo ſuffultos perquam ſimiles Chryſanthemo Curaſſavico alato caule, flore aurantio, cujus Icon extat apud Plukenet. Phytogr. in Paradiſ. Batav. Hermanni & Flora Noriberg. ſed luteolos, quibus excuſſis, ſequuntur ſemina ex fuſco gryſea longa, plana, ſumma ſui parte duplici ariſtâ prædita, ipſis floſculis ſubjecta ut in congeneribus; caules edit quadratos foliis conjugatis Lamii aut Urticæ longioribus & acriuſculis

lis veſtitos, ex quibus conjicitur ſpectare hanc Plantam indubiè ad Corymboſarum gentem & genuinam eſſe ſobolem ejus generis, quod bidens à ſemine bidente vocat Cæſalpinus, eum que ſecutus Tournefortius. Quare cum hactenus nomine careat hæc Planta, hoc ex ipſius Plantæ ingenio ei imponendum cenſeo: *Bidens Urticæ folio Lithontbriptica Ceylanica.* Inter omnia enim medicamenta, quæ in comminuendo calculo valere perhibentur, Planta hæc nuperis annis facta eſt celeberrima inter noſtros homines, qui in memorata Inſula vivunt, & noviſſimè quoque apud nos multam nacta eſt celebritatem. Miles quidam, qui primus anno 1690. ſocietati noſtræ Indicæ indicium hujus Plantæ dedit, profitebatur ſe plus quàm centum ægros ejus ope liberâſſe à calculo & Nephriticis doloribus, quam & cum ſucceſſu uſurpatam in duobus ægris calculoſis teſtantur in literis eodem anno ad Societatem Indicam datis Gubernator & ſupremus Batavorum conſeſſus in Inſula Ceylon. ajunt enim in iis deturbatas, expulſaſque fuiſſe multas arenulas, minutoſque calculos, abſque ullo dolore.

Primus Noſocomii urbis Colombo, quæ ſita eſt in memorata Inſula, Chirurgus, Vir ut videtur induſtrius plane & diligens in literis, Anno 1699. ad me datis, ex rei veritate teſtari ſe poſſe aſſerit, efficacius medicamentum contra Calculum & Nephriticos dolores repertum hactenus non fuiſſe, qui & porrò addit, tres ejus ſpecies à ſe multa inveſtigatione inventas, quarum prima foliis amicitur dilutè virentibus & ſemen ferè luteum, ſecunda folia edit ſaturatè virentia & ſemen profert itidem luteum. Tertia ſemen nigrum profert, & foliis longe majoribus veſtitur quàm reliquæ duæ, quas Virtute præſtantiſſimas eſſe aſſerit, denique ſubjungit, fertiliſſimam eſſe hanc Plantam, quæque plus quam decem millia ſeminum gignit, hujus uſurpantur folia, ſemina. quod præ cæteris partibus laudat præfectus ille noſter Noſocomii Zeilonenſis, Radix, caules & rami. Folia lecta antequam flores prodeunt, in umbra ſiccata & in pulverem comminuta, dantur in convenienti vehiculo, aut aquæ calidæ infunduntur, bibiturque ita infuſio inſtar infuſionis Herbæ Thee, infunduntur & ſpiritui vini, paratur & per deſtillationem ſpiritus ex radicis caulibus & ramis.

Flores, radices, extractum & ſal in Pleuritide, Colica, & febribus feliciter ſe uſurpâſſe teſtatur alius quidam Noſocomii Zeilonenſis Præfectus. Atque hæc ſunt, quæ mihi innotuere ex literis Colombo

ad Societatem noſtram Indicam & ad me datis, de herbæ hujus facultatibus, utendique modo.

Ex duobus Chirurgis primo memoratus, qui ſatis accuratus mihi videtur obſervator, laudat quoque in ſuis literis à vi lithonthriptica cortices radicum, ipſas radices Herbæ cujusdam *Maggul conanda pottu* Zeylonenſibus dicta, at quæ illa ſit, me latet, etiamſi autem modus & ratio quâ agunt hæc aliave verè lithonthriptica habita medicamenta, non facile ſit explicatu, durum tamen videtur nullam planè fidem habere viris fide dignis. Ego verò hæc experientiæ debitè inſtitutæ ſæpiusque repetendæ committo.

OBSERVATIO CCXI.

Dn. D. GEORG. ABRAHAM. MERCKLINI,

De

Juvene triorchite quidem, ſed tamen frigido.

VIr Juvenis 25. circiter annorum, mediocris ſtaturæ, aliquantùm gracilis, bonique corporis habitus, & cætera benè valens, etiamſi tres diſtinctos, & eos quidem æquales uno in ſcroto alat teſticulos, tamen adeò frigidus eſt, & ad Venerem ineptus, ut ſeriò mihi faſſus ſit, ſe per omnem vitæ ſuæ decurſum uſque ad hunc diem nunquam ejus membri, quo viri ſumus, erectionem ſenſiſſe, nec ullum unquam Venerei amplexûs expertum eſſe ſtimulum, imò odio habere ſibi abblandientes fœminas, & ad earum præſentiam exhorreſcere atque pallere, non ſecus, ac ſi animi deliquio corriperetur, cui quidem ſymptomati aliàs etiam obnoxius eſt; cæteroquin integrâ corporis valetudine & florida vultûs ſpecie præditus, præterquam quòd fiſtulam utriusque maxillæ ſuperioris jam ab aliquot annis circumferat; quæ ſingulis penè menſibus ſatis copiosè ſanguinem ex carioſo & excavato dente fundere ſolet; id quod cùm ritè contingit, ſalva res eſt; ſin minus, ſanguisque ultra conſvetum tempus diutius cumulatur, animo crebrius linquitur Juvenis, etiam epileptico interdum ſimilis. Dentem utrumque exeſum eruere juſſimus; ſpe, fore, ut dehinc ceſſuræ ſint terrificæ illæ animi defectiones. Sed quem hactenus conſulti Chirurgi eximere non auſi ſunt, veriti, ne, quòd oculares eos dentes putarint, majus inde damnum oculis acceleretur.

Cæterùm animadvertere hinc datur, quàm nulli ſint illi, qui hactenus ſuſtinuerunt, prolificum ſemen unicè in teſticulis, ceu genui-

na officina, confici. Ita enim ſi eſſet, ſequeretur, tantò acriùs Venereis ſtimulis concitari virum, quantò largiùs inſtructus deprehenderetur Teſticulorum penu, cujus rei contrarium, uti noſtra hæc evincit obſervatio; ita multiplex experientia jam dudum docuit, illos nequaquam Venereis in conflictibus imbelliores eſſe, quibus vel naturâ unus tantùm contigit Teſticulus, vel alteruter factâ ſectione amputatus eſt.

OBSERVATIO CCXII.

Dn. D. GEORG. ABRAHAM. MERCKLINI.

De

Vomitu cruento enormi licet, tamen ſalutari.

CUm Sereniſſimi cujusdam Principis Secretarius, Vir 34. circiter annorum, procerâ corporis ſtaturâ & integrâ aliàs valetudine præditus, An. Chriſti 1700. Menſ. Auguſt. haberet, quod apud nos ageret, in publico hoſpitio ad rubrum eqvum commoratus, nocturno tempore in lecto jam ſtertens inopinanter cruentô vomitu adeo enormiter laceſſitur, ut intra horulæ tantùm ſpatium ultra octo, ſi non decem, ſanguinis menſuras confertim eructaret. Vocatus haud cunctanter compareo: præſcribo quæcunque neceſſaria præſensque auxilium, quo omninò opus erat, ferre poſſe videbantur: adeſt & Paſtor Eccleſiæ, qui afflictum ſolatur, peccata confitentem abſolvit, & ſacro ſynaxi beat. Summa, extrema inſtabant. Ego, actis, quæ neceſſitas poſtulabat, abeo; dubiâ admodum ſtatutâ prognoſi. Sed quid fit? altero mane reverſum clinicus humaniter & exporrectâ nonnihil fronte me excipit, pallore totâ facie ſuffuſus, & aliquàntùm adhuc viribus exhauſtus. Gaudeo tàmen lætiorem paulò hominis conditionem, &, unde, quæſo, inquam, tam ſubita in melius mutatio? narrabo, reſpondit ille, geſta: tu mî bone! confide, & audi. Tum plus decem, bonus ait Secretarius, proceſſerunt anni, ex quo militiam in Morea & alibi locorum ſecutus, multa tuli, fecique, ſudavi & alſi; Tumorem intereà prælongum, eumque in hypochondrio ſiniſtro per transverſum ſupra regionem Lienis enatum, & oblongo pulvillo non abſimilem uſque circumferens, qui quia indolens erat, nec quicquam negotii faceſſebat, parùm eum curavi, ratus, ſatius eſſe, æquo animo perferre, quæ mutari non poſſunt, quàm refragari, & medendo deterius fortè acceſſere malum. Nunc verò cruentâ illâ hac nocte obortâ

jamque omninò cohibitâ vomitione, omnis iſte evanuit tumor: contrecta amabo! utrumque latus, nec quicquam differentiæ deprehendes; quam tamen ante hac multi meorum amicorum manifeſtiſſimè proh! mecum, obſervarunt. Obſtupui, neque penè habui, quod dicam; effectum ſolummodò cum admiratione ruminans, ignarus, unde illum deducam. Sanguis ἀτρόως rejectus nec ſpumabat, nec multùm rubebat, ſed potiùs ſubniger erat & obſcurus. Quare non ex pulmonibus, verùm ex ventriculo profectum ſuſpicabar. At enim verò unde deſcendit in ventriculum? hîc hæret aqua. Ex Tumore quidem in ventriculum prorupiſſe, nullum eſt dubium. Sed ex quibus venis & quomodò eò pervenit? Si conjecturâ rem perſequi licet, ſuſpicor, Tumorem ventriculo proximè incubuiſſe, illumque in hunc ſanguinem eructâſſe; id quod tantò veroſimilius videtur, quando certius eſt (1.) poſt dictas ſangvinis Vomitiones Tumorem diſparuiſſe. (2.) ſanguinem in Tumore coacervatum, ex prægreſſo antecedente tantùm die Rhenani ſimul & cocti dulcisque vini potu, cui paulò largiùs noſter indulſit, & quidem ſub dio circa noctis crepuſculum, in orgaſmum eſſe concitatum, indeque factum, ut ſanguis uno diutius ſtare loco neſcius, qua data porta ruerit; cùmque promptior exitus non patuerit, quàm in Ventriculum, in eum, cuniculis quaſi factis, apertisque vaſculis, ſe exoneraverit; ex quo dein redundans per os fuerit protruſus.

OBSERVATIO CCXIII.

Dn. D. GEORG. ABRAHAM. MERCKLINI.

De

Excretione Fæcum alvinarum per ſinum muliebrem.

HOneſta Mulier eſt, 64. circiter annorum, Paſtoris Eccleſiæ relicta Vidua; quæ cum Fluxu hæmorrhoidali aliquandiu immenſum laborâſſet, illo tandem exareſcente, in doloroſam ani incidit exulcerationem, quâ factum, ut illo inflammationem, intumeſcentiamque circum circa ſubeunte, ſeque arctiùs conſtringente, fæces per inferius guttur parciùs primò ſecederent, donec ſucceſſu temporis prorſus ſufflaminarentur, nihilque omninò earum ampliùs per regiam illam viam conſvetâ naturæ lege excerneretur. Unde pertuſo & quaſi perterebrato procul dubio ex acrioribus longiori morâ interea redditis excrementis iſtis inteſtino recto, illa diutiùs retineri neſcia,

neſcia, qua data porta exitum moliri ſategerunt; quo aliorſum denegato, credibile videtur, ea adjacentem quoque uterum exediſſe ac penetrâſſe; ex quo quin dein foras ſe proripuerint, nullum eſt dubium. Atque hæc inſolentiſſima alvinarum fæcum excretio adeò hactenus increbuit, ut cum moleſtisſimo fœtore, & bonæ inter vivos hodienum agentis fœminæ perenni cruciatu per integrum jam annum, & quod excurrit, indeſinenter duret.

OBSERVATIO CCXIV.

Dn. D. CONRADI BARTHOLDI BEHRENS.

De Podagra Capitis.

DAri revera Podagram in capite, ſeu dolorem capitis ejusmodi, elegantiſſimæ obſervationes *præcedente anno quinto* miſcell. à Dn. Erneſto Sigiſm. Grasſio, & *Dn. Andrea Lövvio* communicatæ evincunt, quibus & meam addo, ante annos ſex in vitriario quodam hujus loci, J. H. A. adhuc vivente notatam. Hic ipſe, quamvis diætam accuratiſſimè ſervans, nihilominus tamen ab aliquot annis podagricorum dolorum torturam pati ur, ceu aliàs exempla plura eorum, qui diætam ſtrictisſimè ſeivant, & nihilominus arthritide vexantur, occurrunt, collegitque *Bierlingius in Theſaur. Theor. Pract. p. 325.* Circa æquinoctium verò autumnale articulis pedum benè ſe habentibus, dolore gravi capitis in vertice maximè, & partibus lateralibus corripiebatur, cum vigiliis, & viſus quadam turbatione, abſque tamen febrili calore, ac pulſu. Vocatus ad eum tertio circiter die, catarrhum aliquem, loca dicta obſidentem, ſciſcitanti ipſi pro cauſa morbi renunciavi, omniaque adhibui, quæ ejusmodi in caſibus aliàs, abſque ſucceſſu rarisſimè commendantur. Hic autem nullum levamen ſequebatur, quamvis per duas ferre ſeptimanas continuata, & pro circumſtantiarum ratione variata. Ægro verò ſubinde dolores hos capitis, cum conſuetis ſuis, quibus eo anno caruerunt, podagricis comparante, ac an daretur podagra capitis ſedulò ſciſcitante, tandem per jocum ipſi ſuaſi, ut conſuetum ſuum antipodagricum euporiſtum, vertici capitis imponeret, & experiretur, extemplo uxor, ſaccul s arena, in patina ferrea toſta, repletos, quos aliàs pedibus cum levamine applicat, vertici mariti imponit, nec ultra dies tres continuat, cùm dolores capitis remitterent, & æger quoad cætera rectè ſe haberet; ſequenti anno tamen, quamvis pedes, more ſolito item pateren-

tur, & adhuc hodie calendarium ſuum in iiſdem obſervet, ceu cum ipſo jocari ſoleo, gravi opthalmia, cum palpebrarum quidam inverſione, & rubore laborabat, quæ nec planè adhuc eum reliquit.

Cæterùm nec ratione caret cephalæa ejusmodi arthritica. Nam motu ſanguinis ſerique verſus caput concitatiori interdum exiſtente, ac lympha dein, quæ in motus ejusmodi proportione regredi nequit, ſtagnante, perioſtium circa ſuturas hic, uti aliàs circa articulos, ab eadem acriori ac ſalina affici, fibrillæque ejusdem rodi quaſi, ac dilaniari poſſunt. Et quid frequentius, quam graviſſimos capitis affectus, Epilepſiam, Apoplexiam, & emanente, ut ſic loquar, podagra exiſtere, ceu præter Autores à *Dn. Lövvio* citatos, etiam *P. Zacchias, quæſt. med. Leg. Tom. 3. Conſil. 70. p. 137. & Bierlingius in Theſaur. p. 327.* notant, & hic inprimis medicum quendam ſiſtit, podagra antehac vexatum (qua profectò gravius nihil, ac cum εὐσχημοσύνῃ maximè pugnans accidere poteſt) tandem vertigine, aliisque periculoſis capitis affectibus correptum, curâſſe ſe ingurgitatione vini Hungarici, humoremque ad articulos iterum derivâſſe.

OBSERVATIO CCXV.

Dn. D. CONRADI BARTHOLDI BEHRENS.

De Podagra indolente.

OCcurrit quoque anno proximo quinto obſervatio Curioſiſſimi *Dn. Khernii*, de quibusdam circa Podagram notatu dignis, quibus pro hac vice Podagram indolentem addo, contradictionem, ut vulgò vocant, in adjecto. Reverendiſſimus quidam ac Illuſtrisſimus Dominus A. A. Baro de G. matre natus, cujus tota familia, ne fœminis quidem exceptis, arthritica eſt, ipſe ſcorbuticus ſimul, facie rubicunda, ac complexionis cholericæ, quotannis circa ſolſtitium hyemale, eadem laborat. Incipit paroxyſmus, ut in aliis, cum levi horrore, ſubſequente calore, tumor verò cum rubore talum, tantùm per transverſum ordinario occupat, non pollicem pedum, tumor tamen œdematoſus non eſt, nec etiam eryſipelatoſus, duratque podagra hæc diutius, ac communis vulgò ſic dicta podagra, ipſo interim in ſella ſua podagrica, locum tenente. Et hoc ipſo, quo hæc ſcribo tempore, inſultum ejusdem leviorem tamen paſſus eſt, quod ipſum ad decocta lignorum, quibus frequenter ab anno uſus eſt, referendum nullus

lus dubito. Hæc ipſa enim quamvis rejiciant *Crato ep. 151. Smetius miſcell. l. 10. p. 539. Solenander. ſ. v. conſil. 4.* rationes tamen illorum tanti non ſunt, neque hujus loci eſt de quæſtione hac diſputare, quin potius cum Blankardo, Tract. de *Podag. c. 10. §. 1. Theod. Mayernio de Arthrit. p. 231. Ettmüllero. Colleg. Pract. Oper. Tom. 2. p. 849.* aliisque recentioribus, quibus lignorum decocta frequentius uſurpantur, ac à dictis viris, præſtantiſſimis ſuo tempore practicis, fieri potuit, eadem inter optima Podagræ prophylactica habeamus.

OBSERVATIO CCXVI.

DN. D. CONR. BARTHOLDI BEHRENS.

De Fœtu Numeroſo.

MEntionem facit anno præcedente *Dn. Löwius* partus trecentorum ſexaginta quinque puellorum Comitiſſæ Hollandicæ, cui hiſtoriæ, quamvis præter *Celeberrimum Paulinum*, etiam quondam à Foreſto. l. 28. obſ. 66. ac Voſſio lib. 3. Idolol. p. 417. fides denegetur, duas imprimis ob cauſas, tam quod hiſtoriæ ejus apud antiquiores ſilentium ſit, quam quod Epiſcopus Ultrajectinus, à quo ſacro baptismate abluti dicuntur fœtus iſti, eo tempore, non fuerint vel Otto, ut nominat Meyerus, vel ut *Hadrianus Junius*, Guido, ſed Johannes Naſſovius, qui undequadrageſimus Ultrajectinorum Epiſcopus fuit; non video tamen, quo pacto abſurdi quidpiam involvant objectiones hæ, quibus facilè occurri poteſt, cum fœtus ejusmodi numeroſus, vel ad monſtra naturæ, impreſſionem matris ſubſequentia c. *Zacchia Quæſt. med. Leg. l. 7. p. 572.* vel ad cauſam ſupernaturalem, imprecationem ſcil. mendicæ, adeoque divinam Nemeſin omninò referri poſſit. Dari autem partus ejusmodi numeroſos, qui naturam ipſam ſuperent *Jonſtonius Thaumat. p. 539. & Schenkius l. 4. obſ. 162.* pluribus exemplis probant. Pro hiſtoriæ autem Batavæ veritate appone teſtimonium ex *Hermanni Goudani* hiſtoria, *in Actis Lipſienſibus anni 98.* recenſita, qui arcem puerorum in Batavis, vulgò Puderoye, in memoriam partus hujus ſic appellatam ſtatuit, ob totidem ſcil. feneſtras, in rei geſtæ argumentum, arci inſertas.

OBSERVATIO CCXVII.

Dn. D. CONR. BARTHOLDI BEHRENS.

De Hæmorrhagia narium paroxyſmi inſtar recurrente.

FEbres certis interdum tàm Symptomatibus, quàm Criticis excretionibus ſtipari, novum non eſt, & quotannis accidit humores ſeroſos, bilioſosque, ac ſanguinem ipſum per alvum excerni, & diarrhœas, dyſenteriasque malignas conſtituere. Præterea & urina in febribus copioſisſimè excernitur, ceu diabetis ejusmodi meminerunt *Borrichius in Act. Haffnienſ. Vol. 3. Obſ. 34. & Vol. 5. p. 128. Scaramuccius in miſcell. curioſ. Dec. 2. ann. 9. Obſ. 204.* Quæ Obſervatio quoque ex Theorematibus ejusdem repetitur *in Actis Lipſienſ. anno 96. p. 556.* Sudorem in iisdem in maxima quantitate prodire, ita, ut cum ingenioſisſimo *Williſio Pharmac. rat. part. 1. ſect. 5. c. 3.* omninò colliquationem ſanguinis arguas, qualisque teſte *Joh. Langio l. 1 ep. 19. Lemnio in occ. Nat. mir. p. 163. Johanne Cajo l. de ſudore Anglico*, in hoc ipſo accidit. Hæmorrhagiam verò narium, quamvis alias quoque criticè ac ſymptomaticè febribus ſuperveniat, ſingulis tamen diebus per ſtatos paroxyſmos affligere, rariſſimum forte, mihique hactenus, ne apud Autores quidem practicos obſervatum. Accidit tamen circa elapſum æquinoctium autumnale primariò Cameræ Conſiliario Celſiſſimi Principis Noſtri, Dn. C. P. qui aliàs robuſtæ conſtitutionis exiſtens, & ſexageſimo anno propior, ſcorbuticus tamen, ſanguineque acri, tenuiori, & valdè mobili præditus, per aliquot ſeptimanas de vertigine gravi ſubinde conqueſtus, dicto tempore noctu graviſſima narium hæmorrhagia corripitur, quæ dein quotidiè recurrens, quatuor horas durabat, cum pulſu ſemper febrili, ac æſtu capitis. Adminiſtrata omnia ex arte, & liquor ſtypticus, pulvisque ipſe ſympatheticus in uſum, quamvis fruſtra vocatus, donec demum juxta prognoſticon meum, paroxyſmo quinto deſineret, poſt quem etiam pulſus remittebat, guttulæque quædam lymphaticæ per nares adhuc prodierunt, ac Vir longa vita dignisſimus Celſisſimo Principi ſuo, ac ſuis reſtitueretur, apoplexia forte correptus, niſi hæc ſanguinis excretio ſuperveniſſet. Meminit quidem *Williſius in pharm. rat. part. 2. ſ. 3. c. 2.* hæmorrhogiæ ſpaſmodicæ per intervalla moleſtæ, quæ tamen cum hoc

caſu

caſu non quadrat, qui majus forte lumen incipit, ex Obſervatione ejusdem Autoris, quem tractat; de morb. convulſ. c. 8. p. 79. de diabete periodica quotidiana habet.

OBSERVATIO CCXVIII.

Dn. D. CONRADI BARTHOLDI BEHRENS.

De non vana à Solſtitiis, de morborum Chronicorum eventu prædictione.

COmmunicavi anno præcedente caſum morbi chronici cum ſolſtitio æſtivo, incipientis, cum hyemali v. infeliciter terminantis, cumque hoc anno alius ſe obtulerit, eodem pariter tempore, meliori tamen eventu decurrens, nolui hoc ipſum, quamvis rarum non ſit, miſcellaneis tamen noſtris deeſſe, ſaltim, ut illi quoque qui omnes morborum in melius mutationes, medicamentorum ſuorum virtutibus adſcribunt, naturæ quoque cujus miniſter tantùm medicus eſt, partes ſuas tribuant, deinde ut ſimul pateat, quàm innocenter ſæpe medicamenta, laudatum ſuum effectum non ſtatim aſſequentia, traducantur, utpote natura nondum cooperante propinata, ceu quoque eadem invita exiſtente, l. expertiſſimis remediis menſes ſaltem movere difficillimum, obſervatio *Dn. Schelhameri* ſuperiori anno inſerta docet. Caſus a. ita ſe habet. Reverendus admodum Cœnobii cujusdam Virginum apud nos Præpoſitus, infra quadrageſimum adhuc ætatis annum conſtitutus, conſtitutionis macilentæ, facie pallidus, pectore ac Ventriculo debilis, ut ante aliquot annos paſſim celebriores medicos, de imminente phthiſi conſuluerit, diætæ aliàs accuratiſſimus obſervator, cum ante triennium, invitis potentioribus, à Virginibus liberam electionem, pro jure ſuo vindicantibus, eligeretur, invidiam, odium, ac perſecutiones, pro affectuum horum ex ſe invicem geneſi, incurrit, omnia tamen forti animo pertulit, nullisque medicamentis præſervativis uti voluit, quamvis ſæpe ſollicitaretur, animum ſuum ad ſuperanda iſta dudum per Philoſophiam præparatum dictitans, ceu quoque Vir doctus eſt. Circa feſtum Johannis Baptiſtæ ſolſtitium æſtivum hujus anni, colica de nocte corripitur, cum copioſa pravorum nigrorumque humorum excretione, datis tamen à me confortantibus ſtomachicis, levamen percipit & bene habet. Poſt quatuor ſeptimanas, eadem colica de nocte repetit, d. absque excretione materiæ cu-

jusdam, & cum inſigni abdominis tenſione remanente. Ordino clyſteres carminantes, linimenta, aliaque interna, proficua aliàs, nihil inde levaminis, ut tandem remediorum, per octiduum fruſtra uſurpatorum pertæſus, deſineret, tempus dierum canicularium, medicinis adverſum, objiciens, quòd tamen de medicinis præſervativis intelligendũ reſpondi, non de caſibus neceſſariis qui etiam media nocte auxilia medica ſæpe poſtularent. Addidi prognoſticon, ni continuaret, ipſi gravem imminere tympanit ſemperidem, nec ante dimidium annum, ſeu ſolſtitium hyemale, levaminis quippiam ipſi ſperandum. Annuit tandem poſt Laurentii diem, ſumitq; pulveres quosdam digeſtivos ex Arcano duplicato, Bez. martial. aliisque interpoſitis laxantibus Tamarindinatis, verùm cum nec eo modo inflatio abdominis extemplo ceſſaret, ac præterea de me ſuſpicionem caperet, ac ſi more quorundam, malum gravius pronunciaſſem, quàm revera in ſe eſſet, Hannoveram abiit, & Dn. D. Huxthagenium, celebrem ejus urbis Practicum, & quondam in Academia Lugduno Batava, ſub Drelincourtio, ac Schachtio, mihi commilitonem, conſuluit, qui tympanitidem ipſi ingratiſſime confirmavit, ac chalybeata, in forma liquida cum antiſcorbuticis præſcripſit, interpoſitis pilulis hydragogis, cum mercurio dulci incorporatis. Uſurpat & hæc, me non diſſvadente, prognoſticon tamen meum cum joco ſubin repetente, continuatque per unam, alteramque ſeptimanam, cumque nec dum res ejus ad meliorem ſtatum devenirent, Goslariam itur ad Dn. D. Viſchbecquium, magno cum applauſu, in iſta, Diœceſeos noſtræ parte, artem exercentem, & praxeos Sydenhamianæ immitatorem ſedulum, meumque ab Helmſtadienſi Academia amicum. Is vero communicato mecum conſilio, cum urina parciſſimè proflueret, eſſetque valde tincta per diuretica negocium conficiendum cenſuit, dataque decocta aperitiva, lixivia cinerum oleum petroſelini, Spiritus Juniperi, aliaque interna, externaque; cùm vero & iisdem nihil proficeretur, animum ferè demiſit, me, licet repetito prognoſtico meo ipſam ſubin erigente, ac quamdiu tuſſis, ſitisque abeſſent, bonam ſpem poſt ſolſtitium demum hyemale promittente. Interea urgentibus amicis ad Empiricos, & Ambubajarum collegia res defertur. Accerſitur & ex vicinia famoſus Delirorum Doctor, vulgo ſic dictus, chirurgus aliàs profeſſione ſua, qui ipſum invitum tamen in dolium ligneum conjicit, & tympanitidem hanc per ſudorem curare aggreditur, ſupervenerat a. poſt fruſtratam diureſin jam aſcites; cogitur ſudor, d. tali cum eventu, ut combuſtis fere ægri pedibus, veſicæ maximæ prorumperent, cum intolerabili dolore, ac rubore, ita, ut Empiricus

piricus exin conſternatus, ſui ipſius oblivilceretur, & terga verteret. Accidit a. ſingulari fortuna, ut Illuſtriſſ. Archiater Weſthovius à Sereniſſima Gandersheimenſi Abbatiſſa rediens, eadem veſpera illic locorum tranſiret, & à vicinis de Statu Dn. Præpoſiti, Amici ſui veteris, certior redditus, ipſum inviſeret, qui conſpectis pedibus, gangrænam ipſi deſignat, ni protinus à chirurgo ſubveniretur, qui, etiam de nocte advolans, rem ſuam pro more optimè geſſit, ita, ut Veſicis illis ruptis, lymphaque continuò exſtillante, ſcrotum primò & dein reliquum corpus quoque detumeſcerent. De internis verò me abſente, Dn. Weſthovius, nil quicquam decernere voluit, concluſimusque altero die, modo à me initio cœpto continuandum, additis aliis, quibus bilis in præcordiis coagulata, & fermentans, quaſi elutriaretur, ſeroſum verò in ſanguine peccans, per ſudorem diſcuteretur, aliaque pro circumſtantiarum ratione inſtituerentur, ac in iis Dn. Æger ſumma cum aſſiduitate pergeret, usq; ad ſolſtitium ſæpius ipſi à me præfixum, confirmata ſpe bona, quamdiu tuſſis, ſitisque ipſum deſtituerent, quam etiam per totum morbi decurſum non paſſus, tuſſi licet ante ſeptimanas octo ipſum corripiente, poſt quatuordecim autem dies circiter iterum ceſſante. Et res feliciter cecidit, quò magis enim ad ſolſtitium hoc appropinquavimus, eò meliores ipſius res evadebant, præſertim cum maxima fœdiſſimorum, & putredinem ipſam ſuperantium humorum copia, ipſi per alvum prodiret, & anguſtiæ cordis inſigniter remitterent, urinaque ipſius, quæ per totum morbi decurſum rubra cum ſedimento fuerat, etiam in melius mutaretur, febris nocturna ceſſaret, ac qui ab omnibus pro deplorato habebatur, in vitam, non ſine maximo artis encomio, quaſi reduceretur.

OBSERVATIO CCXIX.

Dn. D. CONRADI BARTHOLDI BEHRENS.

De Riſu involuntario.

IN doctiſſimis Parallelismis *Dn. Lentilii*, Anno ſuperiori communicatis, & quidem ad *obſervationem 304.* mentio fit riſus non naturalis, à titillatione orti, qualem quoque obſervavi, dum ante annos tres, Virgini cuidam ſeniori, affectibus hypochondriaco-hyſtericis maximè obnoxiæ, Tincturam bezoarticam præſcriberem, in caſibus ejusmodi aliàs valde proficuam à me deprehenſam. Hanc quoties uſurpabat, quod ter

die ſuaſeram, in effuſiſſimum riſum, ac ſi â quopiam titillaretur, ſolvebatur, ut me ſubinde rogaret, quid rerum ipſi ordinaſſem. Quo diutius autem eam ſumpſit, eò magis titillatio ac riſus remiſerunt, ut tandem nihil amplius de jucundiſſima illa moleſtia, ceu loquebatur, perciperet. Quia autem ſenſationis ejusmodi ex qualitate Tincturæ, ad hyſtericam complexionem applicatæ, & ſpasmodicis partium nervoſarum ſubſultationibus patet. Hæc ipſa autem perſona nunc â dimidio anno, maniaca eſt, talesque interdum in carcere ſuo domeſtico diſcurſus format, qui exactiſſimum memoriæ gradum præſupponunt, nam res ante quadraginta annos geſtas accuratiſſimè, & cum judicio quaſi enarrat, ac cantilenas laſcivas canit, quas ab illo tempore nemo ex ore ejus alias audivit, illaque multò minus propter vitæ genus in charta ſervare potuit &c.

(*Hildeſia Norimbergam miſſæ Menſe Decembr. 1700.*)

OBSERVATIO CCXX.

Dn. D. DANIELIS BSCHERERI.

Oculus artificialis.

LAudabilis admodum Anatomicorum res eſt, dum Partes Animalium variâ eâque artificioſâ manu præparant, atque hoc modo in longum usque tempus aſſervant, quo poſtulante ſic occaſione atque neceſſitate, illas, omni tempore, ſine tædioſâ morâ atque laborioſâ præparatione, tàm Curioſorum quàm Diſcentium oculis offerre queant. Ad imitationem ſcopi hujus non ſatis laudandi, in mentem mihi venit, Oculum quendam Artificialem, Naturali Oculo, in omnibus quantum poſſibile, reſpondentem, excogitare; qui, cum jam ope Tornatoris heic Norimbergæ dexterrimi, ad effectum ſit productus, isque Vernaculâ noſtrâ in uſum Chirurgorum paulo latius à me fuerit explicatus, hunc Doctorum Oculis atque Curioſitati, vel ad corrigendum ſi videbitur, vel ad imitandum ſi volupe erit, cum delineatione brevique deſcriptione, quia hæc Doctis ſaltim ſcripta ſunto, occaſione hâc offero atque ſubjicio.

Figura 1.

Exhibet totam Oculi hujus Artificialis ſtructuram, cujus partes omnes ſecundum Naturæ Ductum, & ordinem auferri, & ita ſingulatim contemplari poſſunt, ut ex ſequentibus figuris videre eſt.

Fig: 1.



Fig: 2.




Fig: 3




Fig: 4.




Fig: 5.




Fig: 6.




Fig: 7.




Fig: 8.




Fig: 9.




Fig: 10.




Fig: 11.




Fig: 12.




Fig: 13.




Fig: 14.



Fig: 15.





Fig: 16.



BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY.

Figura 2.

Palpebræ cum partibus ſuis. A. Palpebra ſuperior. B. Palpebra inferior. C. C. Tarſi. D. Cilia ſuperior. E. Cilia inferior. F. Canthus oculorum major. G. Canthus oculorum minor.

Figura 3.

Totus Oculi Bulbus è fulcro ſublatus, cujus partes exteriores ſunt. A. Tunica Albuginea ſive Adnata. B. B. Tunica Cornea. C. C. Pinguedo.

Figura 4.

Tunica Adnata cum vaſculis ſuis ſanguiferis ſeorſim exhibita.

Figura 5.

Pinguedo ſeorſim ante Oculos poſita.

Figura 6. & 7.

G. G. Tunica Cornea. A. A. Muſculus Attollens. B. B. Muſculus Deprimens. C. C. Muſculus Adducens. D. D. Muſculus Abducens. E. E. Muſculi Obliqui. ee. Muſculus Obliquus minor. F. F. Muſculus Obliquus alter Trochlearis dictus. K. K. Trochlea. H. H. Tendines Muſculorum. I. I. Inſertio Nervorum in Muſculos. L. L. Pars Tunicæ Scleroticæ.

Figura 8.

B. Tunica Sclerotica. A. Nervus Opticus. C. Inſertio Nervi Optici in Tunicam Scleroticam.

Figura 9.

Humor Aqueus.

Figura 10.

A Tunica Choroeides. B. Tunica ſecunda Nervi Optici.

Figura 11.

A. Tunica Uvea. B. Pupilla. C. Iris.

Figura 12.

A. Tunica Uvea uti facie interiori ſe videndam tradit. B. B. Ligamentum Ciliare.

Figura 13.

Proceſſus Ciliares.

Figura 14.

Humor Cryſtallinus.

Figura 15.

B. Humor Vitreus. A. Cavitas ejus ad recipiendum Humorem Cryſtallinum.

Figura 16.

A Tunica Retina. B. Tunica tertia Nervi Optici.

*

Partes Oculi hujus Artificialis ſolidæ, ex Ebore, unâ cum Coloribus naturali Oculo reſpondentes, partes autem, quæ fluidas & pellucidas referunt, ex Cryſtallo, Vitro Veneto, & Cornu Anglicano ſunt confectæ, quo Curioſorum Oculis & Colorum Naturali Varietate & conſueto pelluciditatis Nitore ſe gratum magis acceptumque redderet. &c.

FIG. XXV.

OBSERVATIO CCXXI.

D. JOHANNIS PAULI WURFFBAINII.

De Tumore ſub cavitate axillari ad cubitum usque propendente, prægrandi, in ſeptuagenario feliciter extirpato.

ANno 1696. in Noſocomium Norimbergenſe Spiritui Sancto ſacrum, receptus eſt Civis quidam pauperculus, filorum ferreorum ductor, ein eiſerner Dratzieher nomine Magnus Erhard/ Anno ætatis ſuæ LXIX, à cujus brachio dextro ab oſſe humeri & ſub cavitate axillari ad Cubitum usque, Tumor propendebat Capitis magnitudinem excedens, ventriculum ſuillum quoad figuram externam aliquomodo referens: Hic Muſculo brachii bicipiti adnatus, totum ambiebat brachium, & radices ſuas in Muſculum Brachialem externum, ſeu gemellum majorem, inque brachialem internum & Deltoidem, usque ad bicipitem alterius lateris extendebat, variis vaſis ſanguiferis intertextus, & quod mirum, hactenus mole ſua ſolum moleſtus, quem ob Viri ætatem & Venarum tam magnitudinem quam multitudinem maximè axillarium vicinitatem, intactum relinquere primum viſum fuit.

Sed

Sed cum A. 1697. Menſe Septembri, prævia inſigni tumoris hujus inflammatione ſpontanea, magna vaſorum horum oborta eſſet hæmorrhagia, Præ-Nobiliſſimo atque Excellentiſſimo Dn. D. Scheurelio Collegii Norimbergenſis Seniori Primario & Noſocomii ibidem ad Spir. Sanct. Medico Ordinario, Dn. Collegæ & Fautori meo honoratiſſimo, rectius eſſe viſum fuit, cum Medicorum Cicerone Celſo, anceps adhibere conſilium quam nullum; Expertam hinc manum ſuam operi admovit dextrè, Daniel Röberus noſter, Chirurgus ibidem ordinarius exercitatiſſimus, & fundo utriusque lateris abſceſſus hujus proximè à Muſculo bicipiti & Deltoideo ſecundùm longitudinem cauſticum admovit potentiale, tanto effectu, ut vena etiam (ceu ex cruore extracto innotuit) ſex horarum ſpatio corroſa, obque inductam Eſcharam, ſanguinis ſimul profluvium cohibitum fuerit: Eſcharam verò inunxit Balſamo ex Terbinthina Veneta, Vitello Ovi, Croco, Gummi Elemi oleoque Hyperici parato, Vulnusque artis lege deligavit.

Elapſis aliquot diebus, applicatio Cauterii denuò fuit repetita, & quidem in ſuperficie cutis tam ſub brachio, quam verſus cubiti regionem: exoptato, exinde ſubſecuto effectu, ſeparabatur his ipſis in locis cutis, & denduabatur ſimul tumoris interior ſubſtantia, quæ ex parte faſciculum inteſtinorum convolutorum, ex parte verò lobos, quaſi pulmonum mentiebatur; omnia verò bene multis venarum & arteriarum ramulis erant intertexta.

Hinc acus incurvata, qualis Herniotomis in uſu eſſe conſuevit, funiculo ſericeo inſtructa, circa vaſorum horum fundum, ſumma cum cautione variis in locis imprimis verò ad tumoris radices adacta, ipſaque vaſa modò dicta funiculi hujus ope fortiter conſtricta fuerunt.

Finito jam decendio magnus abortus eſt fœtor, à putredine partium carnoſarum & glanduloſarum, ſanguinisque ope ligamentorum, intercepto motu, ortum ducens, quæ cum indies magis magisque ipſa Chirurgi manu ſcitè ſeparata fuiſſet, ſub ipſius axillæ cavitate ipſa Abſceſſus hujus radix principalis in conſpectum venit brachii craſſitie, quæ variis in locis mediante acu ſubducto filo, fortiter ligata fuit.

Decimam tertiam cùm æger ſupervixiſſet noctem, circa proximè inſequentis medium ob inopinatò exortam hæmorrhagiam vocatur Roberus noſter Chirurgus, qui repente advolans, obſervavit filum ob partium circumjacentium putredinem injectum, quodam in loco relaxatum fuiſſe, ſicque venulam quandam hiantem, ſanguinem hunc-

ce ſtillâſſe, cui crepitum, ut vocant Lupi, impoſuit, cùmque levamine exoptatiſſimo forti firmavit ligatura, Ægro de intolerabili fœtore & faucium ſiccitate valde querulo: Quibus cum à Medico Xenodochiano Ordinario Excellentiſs. Dn. D. Scheurl convenientibus proſpectum fuiſſet remediis, d. 15. Septembris ad ipſum ſeſe accinxerunt opus, & auditâ prius concione matutinâ, totum hunc tumorem digitorum ope, quantum potuit, ſeparavit Chirurgus, reliqua forfice ſine tamen magna hæmorrhagia abſcidit, cutimque partibus denudatis ritè iterum impoſuit, Emplaſtrisque firmavit, ut ſuppuratione tandem feliciter abſoluta, vulnere conſolidato & clauſo, Patiens LXIX. jam ætatis ſuæ anno, cùm à tumore hoc ſeptem ponderante libras civiles, quem magna moleſtia per integros viginti annos geſtaverat, penitùs liberatus ſit, hodienum ſine incommodo vivat.

Fig. XXVI.

OBSERVATIO CCXXIII.

D. JOHANNIS PAULI WURFFBAINII.


De

Mola ex Vidua LXI. annorum.

Vidua quædam nec formoſa, nec amabilis, pia tamen & caſta, quæ per XXIV. annos in ſterili vixit conjugio, marito ante ſexennium beatè defuncto, LXI. ætatis ſuæ anno, poſtquam à larga jam annorum ſerie fluore laboraverat albo, die 1. Martii anni hujus MDCCII. meum expetit conſilium, narratque ſe per integras ſex ſeptimanas nauſea perpetua, vomitibus ſæpius iteratis, capitisque doloribus vix amplius ferendis, laborâſſe, & jam à biduo magnum ſentire è regione inguinis ſiniſtri pondus, cum torminibus abdominis: præſcripſi Carminativa, ſtomachicis & antihyſtericis maritata, internè; ſimulque Epithemata ex emollientibus flatusque diſcutientibus applicari juſſi externè; felici cum ſucceſſu, ceſſante mox Vomitu ventrisque torminibus: d. 5. Martii, qui dies erat Domini, cùm ægram ante concionem matutinam inviſerem, jam ſtatim ſe prolem edidiſſe refert, ancilla Molam ſimul mihi commonſtrante pondere Unciæ unius cum Drachma unica, Lieni aliquo modo non abſimi-

fig. XXVI *p.402*

fig XXVII *p.404*



BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY

abſimilem, ſed breviorem, cujus figuram hic ſiſto: Miror, cultrumque peto, & difficulter ſatis ſecundùm longitudinem diſſeco, videoque ſubſtantiam eſſe ex fibris bene multis carneis contextam, quam ſine ullo ſanguinis profluvio Vidua excluſit, poſt aliquot dies fluore albo conſueto iterum ſe manifeſtante, obque totius corporis maciem, hecticam præſagiente: Similem ferè Vidua hæc ante biennium excluſit Molam, ſed glanduloſam, magisque albicantem.

SCHOLION.

Molas ſine congreſſu virili in Virginibus Viduisque concipi non poſſe, communis ferè Medicorum eſt opinio, reclamantibus tamen aliis, quos inter nominare hac vice ſufficiat Doctiſſimum Kerkringium ſpicileg. Anatom. Obſerv. 81. Expertiſs. Hochſtetterum Obſerv. p. m. 293. Curioſisſimum Ruyſchium Obſerv. Anat. Chirurgic. 58. inque perluſtratione Molarum præ reliquis exercitatiſſimum Lamzwerde Hiſt. Natural. Molarum Uteri Capite II. p. m. 16. ubi prout etiam Cap. I. p. 10. rectisſimè dicit totam hanc controverſiam conſtare ex mera ὀνομαχία, Molasque non malè distingvit in Molas generationis & nutritionis, illasque in Virginibus, Viduisque nunquam, has verò omninò fieri poſſe, aſſerit, ſi enim variæ excreſcentiæ carneæ, ſteatomaticæ, ſcirrhoſæ in variis corporis partibus, ſi talis mola càrnea in Ventriculo Juvenis, teſte Dominico Panarollo Pentecoſte V. Obſerv. XI. p. 147. ſi in abdomine extra uterum annotante beato Frommanno Ephem. Dec. I. Ann. II. Obſerv. XVII. enaſci poſſunt, cur non etiam in utero Virginum, Viduarum & Juvencularum, qualem in puella decenni per biennium jam valetudinaria repertam, leges in Obſervat. à Doctiſs. Blaſio Erudito orbi communicatis,) abſque caſtitatis famæque laudabilis læſione? Concedit quidem Ettmüllerus Colleg. Pract. pag. m. 1083. Editionis ab optimo Collega noſtro Excell. Dn. D. Weſtphalo editæ, fœminas declinante menſium fluxu, aut etiam alio tempore, excludere ſolere ex genitalibus maſſam apparenter carnoſam, attamen nihil aliud hanc eſſe quam ſanguinis majores grumos firmius coagulatos molasque falſo dictas; noſtra verò Mola à Vidua ſexagenaria excluſa, omninò carnoſa fuit, quod tamen difficilis ejus

diſſectio & renitentia, quam ipſa ſubſtantia carneo-fibroſa ſufficientiſſimè probavit; hinc Molis optimo à me jure annumeratas: è quarum numero è contra eas excludo maſſas carneas uterinas, quæ qualemcunque animalis alicujus figuram ſive ex toto ſive ex parte imperfectam, repræſentant, rectiùs intra monſtra numerandas, de quibus tamen, quod ſine mare concipi non poſſint, omninò concedo.

Fig. XXVII.

* * *



APPEN-

APPENDIX
ad
ANNUM VII. & VIII.
Decuriæ III.

EPHEMERIDUM
MEDICO-PHYSICARUM

ACADEMIÆ
CÆSAREO-LEOPOLDINÆ
NATURÆ CURIOSORUM
IN GERMANIA.

NORIMBERGÆ,
Literis Chriſtiani Sigismundi Frobergii.
Anno 1702.

Contenta Appendicis.

1. Dn. D. Salomonis Reiſelii Anatome Piceæ, Abietis, Piniqueſylveſtris. pag. 1.

2. Dn. D. Güntheri Chriſtophori Schelhammeri *Serenisſimi Ducis Holſatiæ Archiatri, atque in Academia Kilonienſi, Medicinæ Profeſſoris Publici primarii, Academ. Nat. Cur. Adjuncti*, Phocæ Maris Anatome, in Academia jam dicta ſuſcepta, Menſe Decembr. MDCCXCIX. 15

3. Dn. D. Danielis Crügeri De Auro Potabili ex ſexaginta Auri Tincturis & reſolutionibus proceſſus. 30.

4. Dn. D. Johannis Baptiſtæ Wenck. *Comit. Palat. Inclut. Statuum Ducatus Styriæ Medici & Phyſici Græcenſis Acad. Curioſi* Diſſertatio Phyſica. An in Concavitatibus corporis noſtri ſit Lux, an Tenebræ? 44

5. Dn D. Conradi Bartholdi Behrens Pnevmatologiæ Medicæ Pars I, De Spirituum finitorum exiſtentia. 55.

6. Dn. D. Georgii Dethardingii Continuatio Paralleliſmi ad Miſcellaneor. Curioſorum Germanicar. Dec. I. Ann. II. & III. 69
7. Dn. D. Michaelis Bernhardi Valentini Hiſtoriæ literariæ S. R. I. Academiæ Nat. Curioſor. Continuatio VIII. 78
8. Hiſtoria Epidemica Germaniæ. 87
9. Dn. D. Joſephi Lanzoni *Phil. & Med. D. Ferrarienſis in Archy-Lyceo Ferrarienſi Prof. Ordinarii, & Acad. Nat. Curioſ. Collegæ* Diſſertatio de Vita & Morte. 113
10. Dn. D. Roſini Lentilii Paralleliſmus ad An. VI. & VII. Dec. I. Ephem. Curioſ. collectus. 120
11. Dn. D. Chriſtiani Helvvichii Phil. & Med. Doctoris Medici Vratislavienſis & Acad. Natur. Curioſorum Collegæ. Schediaſma de Ære. 143
12. Memoria Mentzeliana. 191

SALO-

SALOMONIS
REISELII
ANATOME
PICEÆ, ABIETIS PI-NIQUE SYLVESTRIS.

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY


1
2
3
4
5
6
7
8
9
9
10
11
12 13
14
15
16
17
18 Virides coni.
19 Lignei & fusci coni.
20
21
22
23
24

ANno 1693. 23. Aprilis Hortulanus Aulicus Stutgardiæ tanquam rarum quid, & ſibi intra duodecim annos ſervitii ſui nunquam viſum offerebat, ſcilicet ramulum trifidum ex arbore reſinoſa, quam pini ſpeciem putabat, ſtante in horto Ducali ad Olivetum ſeu Hydrophylacium Atlantis figura in vertice ornatum: in cujus ſingulis extremitatibus tres ſpicæ egregiè rubentes, ſeu globuli purpuraſcentes fragiformes, in bifurcatione ejus tres aliæ & plures, itemque in ramuli medio unica videbatur, magnitudine glandium vel olivarum parvarum. Cum ſequenti die à meridie in ipſa arbore quærerem, inveni quod in omnibus reliquis ſex arboribus, quæ in circuitu oliveti dicti arboribus vitæ intermixtæ ſurgunt, plurimæ tales ſpicæ viderentur, veluti fraga ipſa, ſi eminus adſpicias, ſimul cum aliis ex viridi flavis floribus, ut initio concipiebam, ſeu ſcopis compoſitis ex pluribus foliolis ſeu aculeis. Rubentes iſtas ſpicas aliorum nemo facile obſervavit, alii vel ante viginti annos ſe notaſſe aſſeruerunt, alii etiam ante annum præteritum, alii alibi obſervarunt, & omen fertilitatis crediderunt. Accuratiùs itaque inſpiciens, primùm nudo oculo notavi, quod ſpica iſta compoſita ſit ex pluribus floſculis rubeolis ita arctè & concinnè ſibi cohærentibus, ut contiguam, unicam, lævemque ſuperficiem crediderſſes, quique ita ordinatè per ſpiram aſcendendo & deſcendendo diſponebantur, in medio plures, in apice pauci, ut in fragi figuram ovalem ſurgerent, quam *Figura I.* monſtrat. Nectebantur hi ad ramulum ſuum caliculo quodam ex ſquamulis fuſcis aliquibus, quibus ab initio tota uſque in verticem per membranulas tenuiſſimas & pellucidas connexis, ſpica tecta fuit ſecundum *Figuram II.* Diſtractis dein parum floſculis iſtis, diviſaque per medium ſpica conſpiciebantur plurimi velut acini flavi ſtilo ſeu ſtamini cum petiolo ſuo adnexi, & in pyramidem ſpiralibus gradibus ſurgentes, exterius rubentibus laminulis conſpicui, iique, ut in unica mediæ magnitudinis numeravi 148. eorumque ordines ſeu gradus octodecim, ut *Figura III.* aliquomodo deſignat.

Tum autem floſculi hi, qui primo ſibi invicem imponebantur, melius & accuratius conſiderari poterant, quando hiare, exaſperari & ſeparari incipiunt pulvere pleni, ſed illo vel ſponte vel poſt quamvis concuſſionem, aut contritionem elabente, qui flavus & pinguis eſt inſtar lycopodij, cujus ſapor & odor reſinoſus.

In iisdem arboribus vidi annuos exſiccatos echinos ligneos faviformes ſeu pilulas fungoſas *Fig. IV.* cum capſulis multis ordine diſpoſitis, inſtar faucium raninarum apertis, ſub quibus ſingulis foliolum eminebat erectum, exſiccatum & obſoleti coloris, ſed figuræ, qualis ipſius arboris folia ſunt.

Microſcopio poſtea examinatæ ſpicæ *Fig. V.* iſtius rubentes tam recentes & adhuc ſibi pulchrè cohærentes, quam poſt dies aliquot aliquomodo ſicci & diſperſi, extra ordinem ſuum floſculi non aliter apparebant, quam florum tunicæ purpureæ variegatæ (geſprenckelte) petala ſerrata, quæ reflexa ſupra acinum, ut primò putabam, in medio maculam quandam fuſciorem monſtrabant, linea quadam purpurea, tendentem uſque ad ſcapum ſeu ſtilum. Has ergo ſpicas eſſe veros julos judicavi, eosque purpuraſcentes fragiformes nominandos putavi. Acinum verò ipſum cum 28. die in ſpica ſicceſcente unâ cum diſperſis & ſeparatis floſculis intentiùs ſcrutarer, veſiculam potius eſſe ſeu vaginulam reperi, in qua rupta pulvis flavus farinaceus quaſi ſulphureus latebat, & prodibat, quam in figura VI. vide. Hic pulvis vel copioſiſſimè elapſus, vel levi concuſſione emotus inſtar ſeminum papaveris albi viſui occurrit lucidus, & qui in medio quaſi in duo corpuſcula *Fig. VII.* dividitur, differtque à lycopodij ſemine, quod non tam facilè flammam, neque tam lucidam concipiat, ſed ſuper prunis ardens fœtet potius, cum lycopodium quidem granula oſtendit, ſed non tam magna, neque tam lucida, neque gemina. Quarto Maji inveni conum unicum longitudine unciarum trium cum dimidia, ſub quisquilijs ſiccum, apice abrupto, & corruptis ſquamis obſoletum: quem hûc transportatum credebam, quia poſtero, quinto ſcilicet die menſis hujus humi jacentem, textura & ſquamis planè ſimilem, ſed longiorem, nempe unciarum fere ſex, in horto alio reperi ſub arbore reſinoſa altiſſima, in qua etiam, quantum propter altitudinem conjicere licebat, juli jam fuſci & ſicci, violeſque ſcopæ conſpiciebantur. Quæ verò arbor an pinus, an abies fuerit, definire tum non potui, quia aſcendere neque tangere non licebat.

Cum itaque tam de ſpecie arboris noſtræ, quam de floribus, ſeu julis, eorumque pulvere, foliis, ſeminibus & fructibus ſolicitus eſſem, placuit non tantùm conſulere Botanographos & Medicos Botanices peritos, ſed & in natura adſpicere & comparare ſimiles arbores, earumque ortum & progreſſum, incremen-

crementum, decrementum, recrementa, folia, ſemina, fructus hoc ipſo anno & ſequentibus obſervare. Sexto die ergò alias ejusmodi arbores quæſivi in montis proximi Haſenberg dicti, verſus occaſum ſiti ſilvula ſtudio procreata juvenes qvidem ſed altitudinis tamen eximiæ, reſinam ſudantes, ramis extremis inſtar cornu cervini curvatis & divaricatis, folijs valde longis & tenuibus, per nodos ſeu verticillos excreſcentibus quaſi in ſtellas, & vaginula ſeu tubulo ſemper ſubtus conjunctis duobus, quorum latus interius planum, exterius rotundum, adeoque plano-convexis, quæ accenſa ad lucernam radios igneos de ſe fundunt, & quorum plerumque 11. 12. & 13. paria ſubordinantur; conis tam delapſis quam adhuc pendentibus diverſis à ſuperiorum dictorum figura, ſed talibus quales depinguntur à Matthiolo. Octavo die in Ducali arbore obſervo, quod viridiuſculæ ſcopæ ſint ipſa novorum foliorum ſeu ramuſculorum germina: rubentes verò juli jam palleſcentes, ſint floſculi cum maculis fuſcis & veſiculis ruptis. Decimo quinto ex alio monte dem Bopſer verſus meridiem elevato ramulus ejuſdem curvaturæ, foliorumque eorundem detrahebatur, in quo tales juli tecti membranulis fuſcis, & diviſi in granula ſua denuò diſtincta continebantur, quales antea in monte occidentali nondum cognoſcere potui. Juli verò iſti, ſeu potius julorum principia ex viridi palleſcentia exteriùs notant, *Fig. VIII.* poſſe dividi in multas partes ſeu granula iterum dividenda & ſeparabilia majora inferiora, & minora ſuperiora: quæ primò rubeſcunt, deinde aucta flaveſcunt, atque diſperguntur in plures floſculorum congeries, *Fig. IX. 1.* ex quibus tandem nova folia emergunt. Decimo nono dicti juli jam aucti & concuſſi pulverem emittebant luteum & quaſi ſulphureum; in quibus quæ granula videbantur antea, ſunt parvæ ſpicæ flaveſcentes plurimis floſculis ornatæ, ex quarum vertice enaſcuntur novorum foliorum ſeu ramuſculorum principia: iſtæq; ſpicæ in proximis aliquibus arboribus & quidem ſuperiores magis, egregiè rubent. Hic quoque alias reſinoſas arbores creſcentes vidi, quarum folia ad latus utrumque pectinatim velut in anſerinis pennis naſcuntur brevia & brevioribus mixta longiora, ſuperiori facie obſcurè viridia, unico ſulco diviſa; inferiori facie *Fig. IX. 2.* duobus ſulcis cinereis & mediâ ſpinâ (einem Grad) diſtincta, ex quarum extremis ramis foliola nova pulchrè ex viridi flaveſcentia prodibant.

Comparatis ergò figuris & deſcriptionibus Autorum diligentiſſimorum Ruellii, Matthioli, Camerarii & maximè Jonſtoni, concluſi inter tres reſinoſarum arborum Stutgardienſium ſpecies, Ducalis horti incolas eſſe Piceas, rothe Thannen; Montanas alteras cum foliis duplicibus pinus ſylveſtres, Forchen; tertias cum folijs pectinatim diſpoſitis abietes albas, weiſſe Thannen.

Et ut picea tantò certiùs agnoſcatur audiamus illius ſynonymiam. Secundum Jonſtonum eſt Recentium *Picea major*, *Bauhino abies rubra*, *Trago abies prima & rubra, Picea Plinii & Abies maſcula Theophraſti*, *Cæſalpino Tæda Plinii*, Dodonæo *Abies*, πίτυ, *græc.* Secundum Maur. Hoffmannum in Catal. Plant. circa Altdorff. *Abies fœmina Theophr. Jungerm. picea Plinii & abies maſcula Theophr. Cluſ. Picea. Matth. Lob Tab. & aliorum major ſive rubra Baub. vulgò* Föhren & rothe Thännen.

Perrexi tamen obſervare harum arborum incrementa, flores, fructus & ſemina per annum hunc, & ſequentes aliquot. Duodecimo igitur Junii & ſequentibus aliquot diebus, in montanis pinubus offendi multos conos virides, una cum annuis ligneis ſuper & infra arborem lapſis, quorum ſquamæ quadrato apice inſignitæ erant, ſimul & conulis ſeu nucibus piſi vel fragorum magnitudine in ſummitate ramorum hærentibus, denique & julis adhuc reſtantibus aridis, qui concuſſi ſtatim decidunt, & ex quibus nova folia enata ſunt. Decimo tertio in picea ſcopæ luteo-virides in folia viridia annuis colore pallidiora excreverunt, producentes aliquando in extremo echinos viridantes parvos faviformes, lanugine alba tectos, & ſub quovis favo foliis ſingulis armatos, quando & juli adhuc videbantur rubri ſed exſiccati & extra ordinem ſuum diſperſi. Primo Julii in via ad thermas Zellenſes non tantum in pinu ſylveſtri virides recentes ſtrobilos una cum annuis ligneis vidi, ſed & in ſummitate abietum egregiè viridantes, quos verò tum detrahere & examinare non vacavit. Septimo pini ſylv. conum annuum per octo dies in aqua maceratum ſcindo per mediam longitudinem, & invenio ſemina alba velut cucumerina, qualia in viridibus intra quamcunque ſquamam ſeu laminam latent: qualia etiam in quovis ſicco ſed adhuc concluſo cono hærent duo membranulis quaſi muſcarum alis affixa, quæ dehiſcentibus ſquamis, coni aperti decidunt & avolant, naturæ ſingulari beneficio, ad ſeminandum campum etiam è longinquo apta, & inveniuntur humi tam affixa adhuc ſuis alis, quam ex alarum capitulo ſeu nodulo jam vacuo dilapſa. Hæc Jonſtono *coccali* dicuntur *adnata una parte membrana, alis apum perſimili.* Septembri domum rediens, quandoquidem peregrè viventi non licuit obſervare, offendi echinos in picea ſiccos & colore fuſcos, julorum verò ne veſtigium ſuperſtes, ſi modò ſatis accuratè inſpexi.

Sequenti anno 1694. ſub finem Februarii in picea noſtra reperi plurimos echinos faviformes annuos cum foliolis ſuis extantibus ſiccis & coloris obſoleti hirſutos. 24. Martii initia julorum tergeminorum plerumque in apicibus noviſſimorum ramuſculorum inveni, qui verò à veteribus ſeu annuis colore non amplius differunt, quaſi floſculos ſubluteos, roſiformes non incon-

grue

grue dicendos, recurvatis ſuis membranulis, qui 10. Aprilis in conulos au-cti ſunt, detractiſque ſuis ſquamoſis *tegumentis*, quæ Jonſtono *calyculacea* audiunt, abſcondita oſtendebant rudimenta julorum viridantia. 18 vò ipſi purpuraſcentes juli erumpunt, ſed adhuc ſemitecti membranulis. 22. Ex-ſerti omnes, plerumque adhuc integri, ſed aliquot etiam diſtractis floribus: ſimul apparent ſcopæ ſeu novorum ramuſculorum germina viridia. 28. Juli fere omnes in oblongam & ovalem ſpicam aucti, floſculis jam arefactis & pulverem ſpargentibus, conſpiciuntur, & tum germina ramorum auctiora inſtar ſcoparum elongatiorum adſtant.

1. Maji in ſummitatibus ramuſculorum conuli oblongi rubei adſpiciuntur erecti, quorum unus detractus, tribus pollicibus longus ſquamis ſuis rubeolis ſeu purpureis rigidis, qui in vertice adhuc latentes & compacti promittunt longiorem conum ipſum, qualem ante annum inter quisquilias inveni, transporatumque credidi. Hic ſine dubio tectus fuit ab initio ſquamulis luteis membraneis, quoniam earum aliquot reſtabant, in baſi. 7. Maji conuli hi, qui antea erecti ſtabant, pendent deorſum, auctiores ſcilicet & graviores facti. Quoto ergo anno proveniant, notatu dignum erit. Notavi verò circa hoc tempus eminus in ſummitate piceæ noſtræ inſignem aliquem conum, qui obſoleti & punicei coloris non in acutum deſinens, ſed cylindrica figura dehiſcentibus evidentiſſimè ſquamis apparebant. Hunc 29. Maji decerpere juſſi, ſeptemque unciis longum, tribus latum inveni, in cujus ſquamis ſingulis dehiſcentibus & dilatatis maculæ duæ *Fig.* X. cum foveolis duabus pallidiores videbantur, in quibus latuerant ſemina cum membranulis ſuis *Fig* XI. alata, qui an annuus an biennis fuerit, non liquebat concludere. 15. to die, quam pluvia noctu præceſſit, lutei pulveres in canalibus caſtri & horti obſervati ſunt, quales & ante plures annos hic alibique notavi, ſulphuri ſimiles, ut inde ſulphur pluiſſe crederetur, quod tamen per ignis cenſuram ex odore & flamma negata non licebat arguere. Dirimit verò litem Garmannus Eph. Nat. Cur. Ann. I. Obſ. 97. de muſco terreſtri, his verbis. *Verno tempore pinus pariter talem ſpargit pulverem, qui vento tumultuante pluviæ mixtus, ſulphuream mentitur pluviam, ut annotavit Crügner* im Capitel vom Thannenbaum/ & *Moeller. in Annal. Friberg.* hoc addito Scholio. *Contra Scorbutum illum valere bariolor, eo quod pinus inter antiſcorbutica comprimis emineat.* Unde & Ampliſſ. Maur. Hoffmanno in Catal. Plant. Altdorff. *initio Maji juli palleſcente farina pleni, nimborum ſulphur forte conſtituente, & ſtrobilorum ſive conorum deorſum nutantium rudimenta purpuraſcentia cernuntur.* Et ut de uſu alio quid dicam, Bernenſes Pharmacopœi pulvere iſto piceæ

loco ly-

loco lycopodij, qui noſtris officinis eſt familiaris, utuntur ad pilulas conſpergendas.

De varia etiam forma julorum piceæ non negligendum, quod Exc. D. Carolus Bardili, Phyſicus Calvenſis & Inſpector mineralium aquarum retulit, nempe quod A. 1680. in ſylva prope Thermas Ferinas julos rubros quidem ſeu purpuraſcentes invenerit non fragi, ſed rubi idæi figura.

Extremo Maji decerpſi ſtrobilos recentes piceæ noſtræ virides quatuor, quinque uncijs & ultra longos, in quibus per medium diſſectis, ſemina apparebant concinnè collocata, atque ubi ſquamam unicam detraxi, egregiè illa vireſcit in ſuperiori parte membranulæ verò ſeu alæ rubent, ſemina albeſcunt. Quarto Junii accipio ex abiete ſtante prope Thermas Zellenſes conos virides recentes, *Fig.* XII. cujus ſquamæ exterius latiuſculæ & rotundæ ſunt virides in ambitu ſupremo, (cum in picea elongentur in prominentiam quandam bifidam Fig. X.) albæ ſubtus cum rubellis lateribus, habentes in ſupina parte anguſtum quoddam foliolum *Fig.* XIII. viride, cum ſpina ſeu aculeo viridi recurvato, quod *lingulam* Jonſton vocat; interius hærebant ſemina duo ſeu nuclei cum alis verè ſanguinei coloris, quæ ambo ſibi adhuc cohærentia facile poſſunt ſeparari, à conis 19. & 23. conos accepi virides quidem ſed circa apicem ſquamarum in fuſcum colorem deſinentes, ex pinu aliqua ſylveſtri: in quorum unius ſemine vermiculum inveni, quales in exſiccato annuo multos deinde reperi. 29. Iulii infra Kalenbach pagum horâ Thermis Ferinis diſtantem in via verſus Neubûrck offendi conum ex abiete delapſum, cujus ſquamæ ejuſdem erant figuræ & coloris, ſed latiores & majores, uti *Fig.* XIV. & XV. monſtrat. Ex his conis humi jacentibus ſquamæ decidunt omnes, ſuperſtite medio quodam ſcapo, quem Jonſton quoque depingit eleganter, & ego hîc adjicio *Fig.* XVI. qualem picea non relinquit.

Sub finem anni conum ex picea Ducali ſervavi in hypocauſto, ex cujus calore ſquamæ ſponte aperiebantur & emittebant ſemina alata, quæ deinde terræ mandata vere ſequentis anni producunt foliola valde tenuia ſex, quibus Junio duplex, deinde triplex ſeries accreſcit, Elongatur hæc arbuſcula anno 96. donec poſt hyemem longam anni 97. flacceſcit & emoritur. Mandavi verò terræ, ut cognoſcerem an hæc ſint ſemina vera fœcunda, & quando reſurgant in arborem, cum à venatoribus acceperim, quod betularum ſemina demum intra annos aliquot excreſcant.

Anni 1695. 22. Martii ſub picea è ſquamis conorum dilatatis delapſa ſemina jacebant, vidique tum initia fuſca julorum, ut & multas julorum annuorum exſiccatorum reliquias. 8. Aprilis, cum adhuc frigus & venti boreales durarent

rarent, initia illa nondum aucta ſunt, videntur tamen paulùm dilatari. 12. verò poſt calidorum aliquot dierum ſpatium augentur in acutum, ita ut detractis membranulis luteis intus conſpiciantur rubeoli fragiformes juli, facilè ſeparabiles. 17. denudantur aliquomodo juli rubentes jam auctiores à membranulis. 23. & florentes ſeminudi juli, & integrè nudi & concluſis ordine diſpoſitis, & obſoletis jam diſperſisque floſculis inveniuntur, qui vel emittunt pollinem concuſſi, vel jam emiſerunt. 28. apparent conorum principia unciam unam longa. 29. coni egregiè rubentes plurimi erecti conſpiciuntur in ſummitatibus ramorum extremorum tribus unciis longi, quibus adhuc infra adhærent luteæ membranulæ, quæ tegebant, quorum alter ſquamas jacentes ſibi invicem arcte impoſitas, alter erectas oſtendit, ita ut cavitas illarum verſus ramum ſe aperiat, cum in adultis ſquamæ dilatatæ verſus apicem ſint excavatæ.

Anni 1696. 1. Maji pauci juli piceæ apparuerunt, iique jam floſculis diſtractis, qui ante quatuor dies vix dum proruperant aut perfecti fuerant. Germina quoque ramorum hodie nuda fuerunt, quæ ante aliquot dies membranulis luteis tecta erant. Hoc deinde anno nullos conos novos obſervare potui.

Sequenti anno 1697. cum 24. Aprilis poſt nuperam copioſam pluviam & tonitru folia & flores uno quaſi impetu omnis generis arborum unâ erumperent, quæſivi julos piceæ, in qua adhuc pendebant coni veteres; ſed offendi paucos purpuratos fragiformes, aſt plurimas ſcopas ſeu germina novorum ramorum. 28. Ejuſdem, plures quidem apparent juli, ſed ii jam diſtracti & pulverulenti. ultimo Junii quæſivi novos conos, ſed non inveni: annuos verò multos adhuc pendentes, ut & julos exſiccatos & obſoletos, ut & 16 Auguſti. Ex hac quadrienni obſervatione certi ſumus julos piceæ quidem ſingulis annis, ſed non æquè copioſos: conos autem non ſingulis annis prodire, quod fortaſſis & de abiete & pinu ſylveſtri eſt conjiciendum, cum & aliæ arbores interdum fœcundiſſimæ ſint, interdum quieſcant vacuæ. Quam ſuſpicionem Jungius quoque fovet, *quaſi arbores quædam ſerò floreſcerent, & vel uno anno florerent, altero fructum ferrent, vel uti aliquot annos flores tulerunt ſine fructu, deinceps fructus ferrent ſine flore*, Rud. Jac. Camerarius autem Prof. Tubingenſis Epiſt. de ſexu plant. p. 24. *nec dum phænomenis conſentaneam deprehendere valuit.*

Quamvis ergo in Piceæ deſcriptione, & delineatione quam Jonſton. Hiſtor. Nat. de Arb. & Fruct. lib. 6 tit. 2. cap. 1. art. 5. edidit, poſſemus eſſe contenti, placeat tamen & hîc nobis eſſe curioſis, & admirari Creatoris maximi ſapientiam tam in aliarum partium, quam præſertim corticis illius ex-

terna & mira pulchritudine, quando & Malpighius diligentiſſimus taceat de illa in Corticum aliorum ſtructuræ interioris accuratiſſima deſcriptione; ſed ſolùm leviter tangat, ubi Anat. plant. Ideæ pag. 2. in genere de Cortice agens ſcribit. ***Corticis exterior ſuperficies ex diverſa foliorum & ſurculorum eruptione variè aſpera redditur, & quaſi ſtriata efficitur, unde in tenellis ramis ordinatæ quædam protuberantiæ per longum internodii productæ, emergunt.***

Cortex hic Piceæ, ut audeam quodammodo deſignare, in ultimis præſertim ramis pulcherrimè eſt ornatus, ordinatus & veſtitus. Foliola enim quælibet inſerta ſunt capitulis ſeu nodulis aliquomodo recurvatis, baſium ſeu pedunculorum brevium ſeu claviculorum, qui undecim plerumque ſpirali ambitu aſcendunt ſiniſtrorſum, ordinibus ejusmodi quinque ſuperpoſitis, unde foliola totum ramum, per orbem ſpiralem ita tegunt & circumdant, ut vulpinæ caudæ ſit ſimilis, inprimis ſi ſit unius, duorum vel trium annorum. Reliquorum enim, ſi ſint antiquiores, folia inclinant in latere, præſertim ſuperiore deorſum tam propter ventum quam pluviam deprimentem. Notandum tamen, quod veteriores rami craſſioresque plura capiant foliola in unico circuitu, nempe annorum quatuor vel plurium, quindecim & plura intermediis ſeptem ordinibus. Et ſicut recentiſſimi ramuli ſunt elegantiſſimi, atque ordo accuratiſſimus, ita in antiquioribus ſenſim deſinit, & negligunt folia ſuum ordinem, ut tandem ſit ramus & lævigatus. Tam egregia nunc eſt ſpiralis iſta diſpoſitio & circuitus, ut Architectus noſter Würtembergicus columnas aliquot in novæ turris conclavi ea ſtructura corticis ſeu tegumenti parari & imitari juſſerit. Hicque ordo ſpiralis Naturæ ita placuit, ut & in julis & conis piceæ obſervaverit, nec abieti albæ, nec aliis plantis denegaverit, quamvis folia abietis in orbem ſpiralem infixa, poſtea pectinis aut pennarum more ad latera ſe inclinent.

Quod ſi foliorum formam perpendere libeat: Jonſtonius quidem *crebrum foliorum agmen* appellat, *quæ anguſtiora pini foliis, breviora & latiora, quadrata, pungentia, ex oppoſitis ſibi lateribus duobus, frequentia admodum & denſa exeunt*: Deinde Maur. Hoffmannus *rigida & pungentia, incerto ordine ramos cingentia deſcribit*. Sed ſi accuratiùs inſpicias, craſſa ſunt & primo intuitu rotunda, dein eo, quem dixi ordine, corticem ambientia, quadrilatera cum totidem ſulcis & aciebus, veluti gladios ejuſmodi figuræ portamus, quos ſtilet vocamus. *Fig.* XVII.

In picea inveniri excreſcentias quaſdam favis ſeu cellulis & loculis diſtinctas, foliiſque armatas ſupra dixi, quas echinos faviformes appellare auſus ſum. Has Jonſtonus non ſolum depingit Tab, XII. ſub Picea minore, ſed

ſed & egregiè deſcribit, cujus verba paulùm mutata Maur. Hoffm. in Catal. Plant. circa Altdorffium, affert, quando inquit. *In hac nucamenta quædam mora immatura herbaceo pallore m. Jun. & ſeq. æmulantia, Piceæ pumilæ Cluſio adſcripta, & à Matth. depicta, è ſquamulis imbricatim compoſita inque pungens foliolum deſinentia, perque maturitatem ſub finem æſtatis in cellulas deſinentia, vermiculorum hoſpitia.*

Denique cum & piceæ & abietis conos deſcripſerim, non incongruum erit & pini ſylveſtris fructus declinare. Hi Jonſtono *ab initio virides, ubi maturuerint fuſci, dehiſcunt & ſemina alata emittunt turbinati, arctiſſimo ſquamarum contextu compactiles, quarum craſſa, lignoſa, lucida capita extantia, tuberculorum agmine inæquales reddunt conos.* Ego verò ſic tentavi delineare & deſcribere. Formantur ex lingulis ſeu laminis oblongis **Fig. 18 19. 20.** & latiuſculis, primò viridibus, concinnè ſpirali ordine in turbinem aſcendentibus & arctiſſimè invicem compactis, quæ exaſperantur in apice callis & capitibus quadratis, eminentibus ſupra laminas ſeu lingulas, & ornatis globulo parvo, quæ lingulæ deinde, ubi maturuerunt fuſcæ fiunt, lignoſæ, dehiſcunt, & diſtrahuntur à ſe invicem, ut emittere poſſint nucleos ſeu ſemina alata.

Ad umbilicum uſque jam, ut putabam, deducta piceæ ſpeculatione, dubium tamen inhæſit menti meæ circa ſementationem & propagationem illius, & an ſit fœmina vel mas, vel hermaphroditus: ad quod me permovit Excell. Camerarii ſupra laudata Epiſtola de ſexu Plantarum A. 1694. edita. In hac enim cum curioſiſſimè Clariſſimus Autor tam ex Veteribus quam Modernis, qui verò non ſemper propriè per genitalia membra, vimque generandi diverſam, ſed per magnitudinem, proceritatem, elegantiam, robur, aliaque accidentia diſtinxere, tam ratione, quam obſervationibus demonſtrare ſatagat, ſexum plantarum æquè ut animalium, ſpecialiter in picea pollinem farinaceum julorum pro ſemine maſculino agnoſcat, uti in aliis quoque plant s & arboribus, ego illi facile aſſentior, & laudo conatus atque experimenta. Quomodo verò muliebria membra, quæ in alijs monſtrantur, in picea invenienda ſint, nondum licuit in tam excelſæ arboris ramis inquirere vel offendere, niſi annus hic vel ſequentes me doceant ad exemplum pini, in qua Malpighius Anat. plant. pag. 69. fig. 229. *uterorum congeries, ſeu multiplices ſtylos* obſervavit, *qui biennio ante erumpunt floris ſpecie, & invicem conglomerati ovale excitant corpus, cujus exteriora foliola ſquamarum inſtar ſeſe cooperiunt.*

Addo etiamnum, cum in picea ſemina ſeu nuclei alati in conis latentia vera ſint ſemina, è quibus arbor poteſt produci, uti quidem ipſe produxi,

& in ſylvis utique generatur, velut ex abiegnis & pini ſylveſtris conis naſcitur arbor, niſi proles ipſa ſit, ſi cum multis primæva ſemina ſtatuere liceat, ſequetur, quod & ante conum præcedant vaſa utero nimirum & tubis ſimilia, &, qualia ſint illa, inveſtigare dignum erit, cum julos ſic diligenter examinare placuerit. Interim cum picea ſeipſum fæcundet, pariatque ſola ſine alio conjuge, hermaphroditus erit judicandus ut aliæ plures arbores & plantæ, ſi non omnes, ut inde ſexus diverſus forte diſputari vel debilitari poſſit.

Hæc obſervata priuſquam communicarem ad Ephemerides, volui adhuc Anno 1698. experiri, an muliebria vaſa invenirem. Itaque 4. Aprilis in pinubus montanis julos quæſivi, ſed adhuc tectos inveni. 5. ejusdem, cum ſubito arbores poſt diuturnum gelu inciperent viridescere & florere, in piceaovales globulos copioſiſſimos tectos membranulis fuſcis, quibus diſtractis purpurei juli ſed parvi adhuc eminebant, reperi. 12. plurimi nudi, plurimi toti tecti, quidam ſemitecti ſuis membranulis, copioſiores adeoque quam præteritis annis offendebantur. 26. Invenio in extremitatibus inferiorum ramorum ſtrobilos parvos rubentes erectos, quos dum decerpſi pollicibus tribus longos, & accuratius contemplatus ſum, triplici colore variatos adſpicio. Quamprimum enim è luteis membranulis, quibus tecti ſunt, prorumpunt, ſunt primò ſubvirides, deinde in aëre fiunt purpurei, adeoque vel purpurei, ubi aliquamdiu denudati ſunt, vel ſubvirides, ubi recentiſſimè nudati, vel lutei, dum adhuc teguntur. Quomodo verò ſtrobili hi generentur, definire nequivi cum me dubium faciat non ſolum Baro de Hohberg, qui Georgic. Curioſ. lib. 12. c. 27. ſcribit de Julis, ut ſuſpicor. Die lange Zapfen ſind ſubtil/ ſchön/ klein/ rothfärbig und ſehen aus/ wie die ſchönſte Blüht/ ſind aber nichts als *parvula rudimenta conorum ex iis formandorum*, & Axtius *julos in conos mutari prætendit*, & curioſiſſimus Botanicus D. Joh. Matth. Faber, fortaſſis ex aliquo Veterum aſſerit, *His adultioribus conorum rudimenta mollioribus atque recurvis ſuccedunt foliolis adornata*: Sed & quia & julus & conus, & ſcopa ſeu novum germen idem principium habere videntur, nempe quendam quaſi nidum, nempe calicem ex membranulis flavis compoſitum unum eundemque, quantum quidem adhuc obſervare datum fuit. Nec enim, quomodo juli ſint rudimenta conorum, vel quomodo in conos mutentur, hactenus aſſequi potui, quia coni in noviſſimis ramis plerumque naſcuntur, ubi nulli ante fuere juli: & quod coni alibi proveniant, antequam juli exſiccentur & pereant, uti in alijs quoque floribus fieri ſolet. Malo ergo judicium meum hic ſuſpendere, & ſagaciori Curioſorum ſcrutinio reponere, quemadmodum & quæ ſint in picea muliebria vaſa, quæ tubæ, quis uterus.

Itaque

Itaque ab Exc. Camerario, qui ſexum plantarum tam accuratè inveſtigavit, poſtulavi, & conos recentiſſimos & adultiores miſi, ut muliebria perſcrutetur & monſtret, qui ita 17. Maji reſpondet. *Jam ad muliebria piceæ. Ubi ante omnia fateor, obſtitiſſe mihi hactenus piceæ utpote proceræ arboris altitudinem, quo minus ipſius fructificationem accuratè ſatis explorare potuerim: De bigâ verò coniferarum humilium alno & betula, ſatis mihi conſtat, illas à more reliquarum juliferarum quercus, coryli &c. non abludere. Conus ergo alni tenellus, dum julus pollinem ſpargit, inter ſuas ſquamas per microſcopium conſpectus, exhibet exilia filamenta rutilantia: Hæc mihi tubarum vel ſtyli rationem habere videntur, uti de corylo & quercu jam olim aſſerui in epiſt. de ſexu plant. pag. 12. Talia autem in cono tranſmiſſo non invenio, ſive jam evanuerint, ſive ipſæ ſquamæ aut interjecta ipſis parvula foliola tubarum vice fungantur, ſive quocunque demum alio modo ſe res habuerit, quem determinare nondum valeo, Tu verò optimè expedire poteris, ſi hortulano injunxeris, ut conorum eruptionem obſervet accuratius.* Et 26. Junii. *Muliebria piceæ juxta promiſſum hac epiſtola excutienda erunt. Ubi ante omnia ſuppono, integrum conum eſſe id in picea, quod fœmininum eſt, uti julus partem maſculino ſexui propriam conſtituit. Cum ergò quæ inter coni ſquamas creſcunt ſemina, ſint totidem ova, hinc neceſſariò conus ipſe, qui ovum illud excludit, erit uterus, vel ſi mavis ovarium; quia non ut in animalibus ovum ex ovario per oviductum deducitur in uterum, ſed in eodem loco hæret, uſque dum terræ committatur. Quæritur ſolùm, quid in cono ſtyli vel tubæ rationem habeat, quale aliàs à ſemine vel ſeminali vaſculo erigi ſolet filamentum, & apicum polline perfundi? Hic cono tranſmiſſo accuratè examinato necdum aliter reſpondere poſſum, quàm vel tubam iſtam jam in cono tam magno delapſam fuiſſe & evanuiſſe; eſt enim unum ex primis in flore & munere ſuo functum contrahitur: vel ſquamas ipſas ratione alarum iſtarum purpurearum tenuium, quæ interiori ipſorum parti adhærent & ſummo ſemini inſident, eſſe ipſiſſimas illas tubas ſ. ſtylos. Hæc enim eſt definitio ſtyli: pars floris medium ejus occupans (ſc. ubi flos & ſemen junguntur,) & rudimento fructus ſ. ſeminis inhærens. Hoc exilibus illis foliolis inter ſquamas occultatis non videtur competere. Dicuntur Botanicis quædam plantæ ſtylo carere, ut tulipa, papaver: Verùm his ſummitas & operculum vaſculi ut alibi ſtylus apicum coronâ cingitur & irroratur. Æquivocatio etiam eſt in vocabulo ſtylus; quod hi ſtylum, alii appendicem vocant. Etenim tubæ uterinæ uſus in animalibus duplex eſt, unus adhuc controverſus, deferre vim ſeminis maſculi ex utero ad ovum, alter certior, deferre ovum ex ovario in uterum: Poſterior uſus, in tuba plantarum locum non habet, quin potius*

tius dum vaſculum ſeminale creſcit, tuba ut dixi marceſcit; prior probabilis videtur, quia apices præcipue partem ſuo polline conſpergunt, quæ eodem tempore maximè conſpicua eſt, uti ſummitatem vaſculi in ipſius abſentia. Alium uſum indigitant, qui hiare ſtylum putant, ad ſemen intus concluſum ventilandum, & halitus expellendos.

Hæc Nobiliſſimus Camerarius.

Ego igitur, cum non negem conum ipſum pro utero poſſe ſumi, cum ingenioſiſſimus Malpighius uterorum congeries ſeu multiplices ſtylos in pinu deſignet, ad cujus imitationem in piceæ conis quoque uteros inveniemus & explicabimus: attamen quia adhuc obſcurum mihi eſt, quæ partes pro tubis accipiendæ ſint, licentiam ſumo aſſerere modum conceptionis. Dum enim coni adhuc parvi ſunt & recentes ſquamæ, apertæ ſunt & hiant, ut concipiant aptius tum temporis diſperſum julorum pollinem maſculum. Quamprimum verò conceperunt, claudunt arctiſſimè ſquamas ſuas, ne ſemen elabatur. Sin verò lingulam illam brevem pro ſtilo ſeu tuba quis velit cum purpureo ſuo apice, quæ in exterioris ſquamæ infima parte prodit, & reclinatur uſque ad ſemina, qualis lingula in abiete multo longior eſt, ut videtur in fig. 14. ſquamam ipſam ſuperat, & acumine quodam reflexo ſeſe exſerit, duratque in exſiccato cono, per me licebit, & ut quæ & ego & Camerarius de lingula ſeu foliolis inter ſquamas occultatis diximus, eò clarius appareant, appono iconem illius in *Fig. XXI.* ſupinam ſeu externam, in *Fig. XXII.* ad latus ſignatum.

Tandem denique, quia echinos faviformes ultimo Julii ſpectavi, & offendi recentem unum pallidum concluſis adhuc faucibus, cujus labia flava erant, ſub his autem prominentia parva foliola viridia. Alium dende concluſum adhuc, ſed fuſcum & longioribus foliolis viridibus armatum; nec non multos illos nigros, ligneos, annuos apertis faucibus, ſed plerumque ſine foliolis, ut *Figura IV.* delineavit; & hic adjiciendas putavi *Fguras XXIII. & XXIV.*

Dn.

D. GUNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMERI,

Sereniſſimi Ducis Holſatiæ Archiatri, atque in Academia Kilonienſi Medicinæ Profeſſoris Publici primarij, Academiæ Naturæ Curioſorum Adjuncti.

PHOCÆ MARIS ANATOME

IN ACADEMIA DICTA ſuſcepta,

Menſe Decembri MDCXCIX.

QUi Animalium nobis hiſtoriam ſcriptis comprehenſam reliquerunt, Lector benevole, vario quidem inſtituto uſi ſunt: Nonnulli Philoſophos egerunt, ut Ariſtoteles, alii Grammaticos, ut Petrus Bellonius de Aquatilibus: paucos Medicos nominare poteris, Dioſcoride excepto; quorum potiſſimum eſt, uſum quem in ſanandis morbis præſtant, inquirere: Quod difficile, hoc cum primis & arduum eſt, periculum in corporibus ægrotantium facere eorum, quæ nunquam antea ſunt tentata, magnoque ad id judicio opus, ne, ſi prodeſſe non poſſis, noceas etiam & ubi ſanare aliorum corpora cupis, propriæ conſcientiæ vulnus infligas. Non autem poterit hæc ejus pars excoli, niſi prius & Grammaticam notitiam, & partium cumprimis corporis præmittas. In quo ex antiquiſſimis Democritum maxime occupatum fuiſſe conſtat, quem Hippocrates, ad eum ex inſania, quâ Abderitis laborare ſtolide exiſtimabatur, ad bonam mentem reducendi gratia arceſſitus, invenit animalia varia diſſecantem, & bilis vias inquirentem, ut id in Epiſtolis Hippocratis operibus ſubjunctis eſt legere, ex quibus ea in ſuum uſum tranſtulit Magnenus. Nonnulli omnia hæc conjunxere, ut Aldrovandus & Geſnerus, quorum inſtitutum, vaſtum ſanè & magnis ingeniis dignum, probare tamen omninò non poſſum, cum turbet diſcentium mentes, & ſtudiorum diverſa genera in unum confundat: Etſi Geſneri inſtitutum Aldrovandino conatù ſit tolerabilius. Quod etiam movit Jonſtonum Sileſium, ut relictis alienis, ea potiſſimum quæ ad Philoſophiam & Grammaticam & Medicinam pertinerent, à reliquis ſepararet, & in Compendium ageret: majori laude dignum, ſi plus in eo temporis poſuiſſet, & quæ ab Ariſtotele, Plinio, Geſnero, & Aldrovando, quorum omnium ſe epitomatorem profeſſus eſt, ſeligenda erant, paulo magis expendiſſet.

Quantumcunque verò operæ hi ſummi ac diligentiſſimi viri in ea re poſuerint, fieri tamen non potuit, ut tanto labori, univerſæ animalium ſcilicet naturæ deſcribendæ, pares ingenii vires afferrent. Hinc nullum forte animal reperias, cujus integram naturam tàm exacte tradiderunt, ut in enarratis partibus ceteriſque non ſint in permultis hallucinati.

Quod etiam ex ſequentibus de Phoca obſervationibus pateſcet. Quas accuratas, atque ex omni parte perfectas nec ipſi pollicemur, ſed quales ſeſe in

recenti cadavere forte obtulerunt, aliquas; eo lubentius cum publico communicandas, quod à celeberrimo anteceſſore meo Joh. Dan. Majori conſimiles promiſſæ, nondum poſtea comparuerint, cujus vices in hoc quoque implere, & datam publice olim fidem liberare, jure quodam noſtro ſtudemus.

Uti capitis quidem interna ſcrutari non potui, quod alii uſui deſtinatum, cultri aciem non admiſit: Fiet fortè hoc tamen alio tempore, opportuna ſe occaſione denuo offerente. Interim quæ in triduano labore obſervavimus, ſimplici, planoque ſermone ſine ſtudio & fuco exponam.

Qui doctiſſimi, Segeri Medici quondam Gedanenſis celeberrimi, Anatomen ejusdem animalis in Ephemeridibus eruditorum Germaniæ Anno IX. Obſerv. 93. expoſitam, cum noſtris conferre voluerit, faciet operæ fortaſſis pretium.

Externa.

1. Longitudo ejus quod ſecuimus, animalis erat geometricorum pedum IV. cum dimidio.
2. Craſſities ad medii ventris finem, pedis unius.
3. Color pilorum ex cinereo pulchre albicans.
4. Caput rotundum, ſed protractum in os exſtans:
5. Labia craſſa & tumida, rotundaque ut vituli:
6. Barba erat ex ſetis circiter viginti nigricantibus, longitudine diverſa & craſſitie.
7. Lingua non bifida, ſed rotunda prorſus & lata, ad maxillæ inferioris figuram internam, quam totam implebat, & dentium ſeriem accommodata, quorum radices tangebat, ita implens os totum, ut in horum interſtitia quoque ſe inſereret, adeoque inæqualiter, ubi attolebatur, appareret crenata.
8. Maxilla inferior ex duplici oſſe conſtabat, in medio non coalito, ſed libero exiſtente.
9. Dentium ordo ſuperior ex XVIII., inferior ex XVI. conſtabat:

Quorum priores quatuor, inciſores nobis, minimi & vix conſpicui. Quos excipiebant Canini in ſuperiore maxilla, bini breviores, & totidem prælongi, & inſtar cornu reflexi, in inferiore priores bini deerant, ſed par alterum prælongum, inter iſtos breves & longos ſuperiores ſe medios inſinuabant: Quo efficiebatur: ut ſemel arreptum ac prehenſum nullatenus ſe expedire aut elabi poſſet. Maxillares lati nulli, ſed reliqui viginti, qui horum loco erant,

omnes

omnes acuti & breviores, omnes albicantes, & nitidiſſimè ſplendentes, ut candore ebur ſuperarent.

10. Oculi rotundi, bovinis ſimiles, ſuis muſculis inſtructi, intercurrente pinguedine.

11. Glandulæ verò oculares exiguæ: ſupercilia ſetoſa, ut barba.

12. Auriculæ nullæ, at meatus aurium aperti, exiles licet & pilis obtecti.

13. Collum mediocre, brevius tamen potius quam longum, nec exſertum.

14. Pectus latè diductum, & ampliſſimum, quippe qvod abdomen amplitudine ſuperaret: Nam

15. Totum corpus perfectè rotundum, verſus caudam decreſcens, ibique anguſtius.

16. Umbilicus vix obſervabilis.

17. Mentula ſub cute abſcondita, qvatuor ab umbilico vel qvinqve digitos ex foramine patulo proditura: parva verò, ne qvidem illam, quâ mediocri canis inſtructus eſt, adæqvans.

Pedes qvatuor: Priores juſto loco, at poſteriores proximè ad caudam, metacarpo, carpoque & quinque digitis, curvis unguibus armatis, conſtabant.

Integumenta.

Sub pelle ſatiscraſſa expanſus, non panniculus ſed pannus adipoſus, candidiſſimæ adipis pollicis craſſitiem æqvans, ſangvineis vaſculis refertus. Poſt pinguedinem ſtatim muſculi erant, carne non ſpiſſa, ſed molli & laxiore, nigricante, uti & totus ſanguis erat nigerrimus. In collo Maſtoidei, & Sternothyroidei erant obvii, ſub his venæ carotides, amplæ, & aſpera arteria cum gula. Statim ſub mento Mylogloſſi aderant, in pectore Pectorales, ulnæ longitudinem æquantes: reliqui, ſerrati, non obſervabantur. In abdomine Obliqvus unus & Tranſverſalis: Pyramidum etiam ſimulacrum. Notabile vero cum primis & elegans viſu ligamentum pollicem latum quo ſuper peritoneum protenſo, transverſales ſibi jungebantur in medio abdominis, quaſi faſcia intercedente.

His remotis ſternon patebat. Quod in ſuperiore parte pectus tranſgreſſum, illudque ſuper arteriam aſperam ad duos prope palmos candida cartilagine excedens, figuræ gladioli; infra, ubi vera Xyphoides expectabatur, unius palmi longitudine excurrebat ſuper abdomen, & in rotundam patellam finiebat, candida itidem atque eleganti cartilagine, mollique conſtans.

Interna.

Hic exſpectabam, ut multa peculiaria, & à ſtructura ceterorum animalium remota conſpicerem, ſed ſpes me propè hæc fefellit. Nam ventriculus, hepar,

 lien

lien, pancreas, inteſtina, renes & genitalia eadem, & ſubſtantia & ſitu, & reliquis videbantur. Quæ tamen ſingularia hic notabamus, ferè iſtæc erant:

Ventriculus ampliſſimus erat & robuſtiſſimis tunicis inſtructus, quarum exterior fibroſa, carnea, multiplex, interior nervea & villoſa, ita ab invicem diſtincta, ut diſſecto permedium viſcere abſcederent ab invicem, & interior, candida, dura, nervoſaque alteram ſupergrediens notari poſſet, prodibat enim & ſupra externam eminebat. Glanduloſa tunica non videbatur adeſſe, quod mirum; neque enim dubium, hinc acidum & acerrimum exſudare liquorem, qui integros piſces, quibus deglutitis vivit animal, rodendo conſumat.

In Cavo ejus piſcium ſpinæ notabantur, itemque integri propemodum adhuc poſt octiduum piſces, & qui corrumpi vix inceperant. Itemque plurimi vermes, duas, tresve uncias longi, candidi, filamentorum inſtar, viventes adhuc poſt tot dies, & ſeſe contorquentes inſtar anguillarum: qvos itidem, ſed non vivos obſervavit Segerus, Erat autem ventriculus ampliſſimus & librarum ſedecim facile capax.

Pilorus in anguſtum contractus & craſſus ut in ceteris animalibus terreſtribus, haut longe inteſtinum ex ſe demiſerat, cum ductus bilarius inſereretur, vix ſcilicet duas vel tres uncias.

Erat autem Inteſtinum unum exile, hoc eſt anguſtum, ut dimidium humani non adæquaret amplitudine; at hanc anguſtiam immanis longitudo compenſabat, nam quinquaginta ulnas excedebat. Nullæ in hoc ſemilunares membranæ aut annulares valvulæ obſervabantur, neque Colon neque Cæcum, multo minus Duodenum Ileum aut Jejunum invicem ullo ſigno diſtinguebantur: Rectum verò prælongum, nec tamen amplius ceteris, craſſius licet, cum ab ano ultra ulnam impleviſſet, in occurrens alterum angulo recto, eo modo ut in aliis Ileum ſolet in Colon, inſerebatur. Prorſus itaque contrario hicſe habebat modo ac in aliis animalibus hæc inſertio. Cæcum autem hic ſuccedaneum non plus quam dimidiam unciam eminebat, appendix ei præter iſtam eminentiam aut cauda nulla.

Hoc longisſimum inteſtinum excraſisſimis & robuſtiſſimis itidem tunicis conſtruebatur, & apertum propè ventriculum, hiautem choledochum perſpicue oſtendebat, ut ſine mora ſtylus intruderetur: Pancreatici verò ductus oſculum non ita erat obvium.

Pancreas adjacebat præmagnum, cujus non unus ſed varii ductus inſeri hinc inde videbantur, neque enim unus & magnus deprehendi à me poterat. in reliquis nihil habebat, quod cum animalium reliqvorum pancreate non conveniret eratque valde carnoſum, glandulis in lobos diſtinctis veluti compoſitum, ejus coloris quo aliàs hepar eſſe ſolet.

Per

Per inteſtinum hic illic diſpoſitæ *glandulæ* ſat magnæ conſpicuæ erant & craſſæ, circa finem præſertim propè rectum.

Totum hoc Meſenterio continebatur pellucido, pulcherrime vaſa omnia oſtendente, candidisſimis fibris undique percurrentibus, quas (nerveæ autem erant) lactea vaſa dixeris, niſi attendas.

Omnia iſtæc concurrebant verſus centrum: Sed hic novum aliqvod atque inſolitum & nullibi prius conſpectum ſeſe offerebat pulcherrimum & notatu digniſſimum viſcus.

Erat hoc glanduloſum, durum admodum & compactum, rotundum ac teres, longitudine palmum ſuperans, craſſitie tres pollices junctos: porrectum erat per longitudinem corporis, externe pulcherrimis coloribus diſtinctum, Candidiſſima enim, caſeoſa & pinguis ſubſtantia, fuſcoſpadiceo ad ſuave rubicundum inclinanti, erat undique adſperſum, ut inſtar marmoris pictum appareret. Hoc pancreatis Aſellii loco eſſe, & vaſa lactea eo concurrere, nullum dubium eſt; nam & lacteus chylus ex fiſſo proſiliebat. Intus cinereum erat, maxime infarctum. & tenſum, nullis prorſus apparentibus meatibus, nullis glandulis ſeparatis, aut racematim cohærentibus; ſed erat qvaſi magna glandula conglobata, ut has ineptè vocant, Ad latus vaſa ſanguifera ſubtus adrepebant, ſed tacite præterlabebantur. Arteria meſaraica ſtatim incurrebat in oculos, cui ad diſtantiam ſeſquiunciæ cæliaca adjacebat. Venæ hinc in Portas hepatis tendebant. His propè ingreſſum bilarius ductus more ſolito occurrebat. Pancreas verum huic viſceri etiam adnatum erat.

Lien nihil habebat, quod notari merebatur, niſi quod multas in fiſſuras per mediam ſubſtantiam dehiſceret, motu vehementi quo ſe in aquis jactitat animal, haud dubie diſruptum.

Hepar erat maximum, decem lobis conſtans, non rubentibus, ſed prorſus flaventibus, magnis, parvis: In medio glandula erat maxima, ſimillima lobo, ſed diſſimili ſubſtantia, etſi colore hepar mentiretur, dura hæc, ac ſolida. Veſicula fellea in loco conſueto adhærebat, in qua bilis multa. Hæc ſtylum non admittebat, flatum tamen: ſine dilaceratione ab hepate ſeparabatur, nec dimittebat flatum inde ablata, ſed conſtanter ſervabat.

Venam cavam recipiebat longe ampliſſimam, quæ non in gibba ad latus, ut in homine, adhærebat, ſed ſima ingredi videbatur: in ſuprema vero ejus parte ingentem, horrendumque ſaccum formabat, manum meam integram admittentem, qui per medium diaphragmatis, etiam ad ſiniſtrum latus protendebatur. In hunc rami ex omnibus lobis deſinebant. Obſtupuimus quotquot aderant ad hoc monſtrum, non venam ſed lacunam conſpicientes. Neque per latus, aut partem infernam, ſed medium diaphragmatis pertranſibat.

Suſpenſorio hepar gaudebat ſuo, ceterum dorſo, parum vel nihil adhærebat: Erat autem vena cava etiam ſub hepate perampla.

At cum *Renes* deteximus, ibi maximè in admirationem nos rapiebat longè jucundiſſimum ſpectaculum. Non enim magnitudo duntaxat eorum inſignis erat, ſed etiam ſupra eos venarum maxima multitudo conſpicua, quæ ampliſſimis ramis non modo ipſos amplectebantur, ſed etiam ultra per peritoneum excurrentes, in utrumque Ilium porrectæ, infinitis ramificationibus, maxime conſpicuis varieque inter ſe concurrentibus, & ſeſe miſcentibus, omnia obtegebant. Terruit hoc nos & ab ulteriore ſcrutinio penè deterruit. Neque enim in tanta vaſorum amplitudine & copia, patebat locus, quem ſine effuſione ſanguinis cultellus tangeret. Uti quidem etiam ſtatim eo admoto, cuncta cruore fœdabantur, ut vaſa ſpermatica ureteres & cetera prorſus tenebris involverentur, & inter membranas nervoſiſſimas vix ſine dilaceratione imo ne vix quidem, reperiri & extrahi in lucem poſſent. Sed redeundum eſt ad Renes.

Denudatis ergò emulgentibus, ſtatim hoc artificium naturæ patuit: nullas venas in renes medios protendi, ſed per ſuperficiem earum ſulcis leniter impreſſis externis ramis proxime ſibi adjectis, pampinorum inſtar ſerpere, pulcherrimo luſu, undique concurrentes, & veluti inſulas circumfluas conſtituentes, eo modo quo ad vivum depictum exhibuimus in novis Literariis Maris Baltici.

Tunica pinguedinalis ſuperſtrata contegebat eas, non craſſa ac firma ut in aliis animalibus, ſed tenuis pellucida, pinguedine prope deſtituta, nec niſi illic eam oſtendente ubi vaſa decurrebant. Hæc arctiſſime inhærebat renibus, ut ſine dilaceratione multiplici non avelleretur, & ſub manibus in fibras ferè fatiſceret.

Ea ſublata, inflavimus emulgentem, & mox pellucida itidem venarum tunica pulcherrimè ſurgebat, ut totus eorum ordo conſpiceretur. Nihil aſpectu jucundius.

Aſt ubi renus per medium diſſecui, non minus elegans *interno eorum facies* oculis ſe ingerebat. Erat enim & hæc marmoris inſtar ex albo & rubro variegata, albis maculis in medio hærentibus, in quorum medio iterum papillæ exiguæ propendebant. Expenſis omnibus, has eſſe collectiones urinariorum tubulorum cognitum eſt, qui ex circumferentia uniuscujusque maculæ rubræ ſub candido hoc, papillari corpuſculo velut in centrum tendebant. Manifeſtum fuit etiam hoc ſingulas inſulas in externa facie ramoſa vena diſtinctas, eſſe quaſi totidem parvos renes, ut ex infinitis his unus conſtaret quisque.

Pelvis nullus, ſed ureter mediam ſubibat renum ſubſtantiam, haut dubiè

ex

ex ſingulis macultatis renum partibus ſub papillis tubulum recipiens. Non poteram enim eundem proſequi. At cum liquorum immitterem,ex his quaſi totidem fonticuli erumpebant , eo modo quo induſtria manus in adjecta figura feliciſſime expresſit.

Renes ſuccenturiati ut aliis: ſed ex glanduloſis extremis ſtriæ manifeſtæ ad cavitatem mediam ferre videbantur.

Veſica (in qua aperta, ureterum exitus ex tunicæ portiuncula tanquam valvula adſtante cognoſcebatur) non rotunda erat, ſed in acumen deſinens. Ibi nobis primum impoſuit arteria utriusque lateris ad eam reflexa, quæ cum uracho in fœtu per umbilicum elabitur, jam in ligamentum rotundum converſa: nam libera fluctuans uteteres mentiebatur, mox evolutis tunicis, elegantisſima, ubi cohærebat cum Iliacis in conſpectum veniebat. In nullo animali pulchrius apparet hoc artificium, aut luculentius oſtendi poteſt: ligamentis his rotundis per totam veſicam apertè decurrentibus, & prope finem in unum concurrentibus: unde ad Umbilicum progrediebatur, & cum hepatis ligamento jungebatur.

Pectus.

Poſt iſta merito pectus conſiderandum.

Hic primum *Sternon* ſeſe offert, quod claviculis deficientibus, nusquam præterquam cum coſtis cohærebat, niſi quod ſolitis membranis ſupremo in loco cum ſubjacentibus partibus coiens, pectus claudebat. Extra verò; in collum pars ejus candida, mollique cartilagine conſtans, ut ſupra diximus, ſurſum excurrebat, enſiformis proceſſus ſuo merito appellandus. Subtus in abdomen pari longitudine productum, rotundum cochleare uncialem nummum circiter æquans porrigebat.

Coſtæ erant quindecim: veræ decem, quinque ſpuriæ, hæc externa ex ſe.

Interna ſic habebant. Cor in medio maximum, bovis cor æquans, imò ſuperans latitudine ,ſed brevitate vix aſſequens. Dextrum ventriculum admodum latum habebat, atque expanſum. Auricula dextra maxima erat ex ſola membrana craſſa conſtans, ut venæ proceſſus videri poſſet, ſed columnulis carneis inſtructa: Ex quo patet harum uſus, nimirum contractio thalamorum & anguſtatio. Ut autem auricula dextra ampla ſatis, ſic anguſta admodum erat ſiniſtra, perinde atque arteria, quæ major in dextro ventriculo quàm aorta ipſa videbatur. Valvulæ omnes maximè conſpicuæ.

Fora-

Foramen ovale & Canalis arterioſus clauſus, & coarctata omnia. Unde patet non diu ſub aquis vivere hoc animal. Quæ etiam cauſa eſt, ut continuo natans caput exſerat, & tectis hyberna glacie aquis ubi anguſtum eſt mare, ex quadratis in ea exciſis foraminibus, aeris hauriendi gratia ſoleat erumpere.

Quin noſtrum in qualo ex ſpiſſo vimine texto captum, diutius ſub aquis hærens exſpiraverat, quia aere privatum.

Pulmones ampliſſimi, ſed nihil novi exhibentes. Inflati, ex nigerrimis rubicundi illico evadebant, pluſquam coccineo colore tincti. Sed quoniam in 14. diem jam conciderant, aerem ægre, ſed tamen admittebant, ita ut ſucceſſivè ſingulæ veſiculæ implerentur.

Quid inferendum hinc eſt? An aer ſanguini admixtus, aut permixtus colorem transfert ex Umbra in lucem? Cogitent & expendant hæc naturæ antiſtites.

Arteria aſpera ex annulis integris conſtabat, ut omnibus animalibus quibus longior eſt, & in collo liberior fluctuat: Attamen in parte inferna deprehendebantur deficientes, & ſcutiformibus extremitatibus invicem ſupergreſſis per longitudinem, in latitudine non omnino coibant.

Larynx nihil habebat novi, niſi quod valvulæ inferiores à me in homine aliisque animalibus primum obſervatæ deerant.

Genitalia.

Penis erat perexiguus, ut dixi, oſſiculo, canino ſimili inſtructus, unde ſi ex genitalibus, quod in Plantis hodie plerisque æquum eſſe videtur, characteriſtica nota arceſſenda eſſet, hæc ad canes foret referenda. Interim ipſi appendix erat, alterotanto longior, flaccidus tunc & ſola urethra conſtans: *Teſticuli* in media pinguetudine externò latentes. *Glandulæ bubonales*, haut longè hinc aberant. Ad illos verò vaſa ſpermatica per veram vaginam ex corpore properabant, per quam mox more ſolito ejaculatorium redibat. Parvi autem erant teſticuli, ſed intus vaſa recipiebant in ſe: reliquum corpus cum Epididymidibus ex vaſculis contortis, ut ſolet, conſtabat.

In abdomine, quod antea monui, cultro admoto, ſtatim omnia erant obducta cruore & quia ſupra modum tenuia, venæ ſpermaticæ origo expediri à me non potuit, arteria verò utrinque ex Aorta manifeſtò prodibat.

Vaſa Pampiniformia non deerant, eaque rectè ſe habebant ad animalium reliquorum regulas: nihil novi, niſi quod minora. *Veſiculæ* nullæ ſunt huic

huic animali, at *Proſtatæ* duplices: ſemel comparent prope veſicæ collum, ubi ſpermaticum vas deferens excipiunt, quod ex utroque latere adveniens, junctim ſubit: Et hi quidem minores ſunt. Poſt illas *Uretra* ſtatim incipit & palmi longitudine, nulli fulta alii parti, progreditur, ſpongioſa ſua ſubſtantia ex his prioribus proſtatis oriunda circumdata. Hinc ubi propemodum ad oſſiculum pervenit, novus tumor alios proſtatas, ut in cane occurrentes prodit, ex corpore ſimili ſpongioſo in uretræ corpus itidem ſpongioſum utrinque patente conflatas, cum binis muſculis ſuperſtratis, erectoribus an compreſſoribus? quod ultimum veroſimilius videtur. Oſſiculum parvum eſt, minimi digiti longitudine, ſuo præputio inſtructum ut in cane. Ad penis caput alii bini muſculi, longi, teretes, per totum oſſiculi longitudinem protenſi, & in inteſtino recto terminati propè anum, cujus partem, cui radices horum inhærent, una excidi, ut hoc certius judicari poſſet, & nihil dubii relinqueretur.

Nullus dubito Proſtatas poſtremas cum pene in fœmellæ membrum ſimul intrudi, & cohærere cum ea marem, ut ſolent canes. Ex eo enim factum videtur, quod retrò coire quibuſdam perhibeantur Phocæ: quod fieri nequit, ſub ventre vagina ultra ſpithamæ longitudinem antrorſum excurrente.

Omnes Venæ in univerſum ampliſſimæ erant, plus ſanguinis capientes quam humanæ. Azygos maxima: Duplex ſub Sterno Mammaria conſpiciebatur, una ſuperior, loco conſueto; altera pollicis latitudine diſtans, quæ in mediaſtinum pinguedine refertiſſimum diſpenſabatur. Arteriæ contra exiguæ excepta pulmonali: Ipſa Aorta cavæ ne dimidium quidem æquabat. Iliacæ maxime tenues; quod mirum haut erat, nam pedes breviſſimi ſunt. Sangvis nigerrimus, ut cœruleus appareret color venarum. Nervi complures, longe majores & plures equidem quàm in ceteris animalibus, robur maximum ita exigente, quo impetum facere poſſet.

In capitis externis partibus,

Palatum lineis extantibus crenatis aſperum eſt, ne remeare, quod ore prehenſum ſemel, ſine remora multiplici queat. Sub ejus membrana nihil erat pituitoſi laticis aut glandularum, ſed non parum tenuis cruoris.

In linguæ radice *tonſillæ*, rimâ hiantes; in ejuſdem ſuperficie tubercula ſolita & aſperitas.

Meatus auditorius maſtoideum proceſſum ingrediebatur.

Ex eodem oriebatur ligamentum cartilaginea duritie, cui loco ſtyloidis proceſſus *Os Hyoides* pendulum adnectebatur.

Oculi exemti atque diſſecti craſſiſſimas membranas & Sclerotide aperta, uveam ſeorſim exhibebant, ſtriatis ſuis fibris verſus corneam, ubi pupillam format, inſtructam: cui retina præcraſſa & à ſubjecta Sclerotide ſua ſponte ſeparabilis ſuccedebat. Humor aqueus effluebat, ut ſolet: Vitreus ſua tunica incluſus & criſtallinum im medio amplectens, non colore vacans, ſed totus rubeus apparebat; quod, caſu ne an ex corruptione, an verò natura eſſet, non audeo aſſerere, jam enim vigeſimus agebatur dies, quod erat captum animal. Id poſſum teſtari; vel decies aqua affuſa, elui colorem non potuiſſe, ſed ſub ea in ſeptimum diem aſſervatum, fideliter conſervaſſe rubedinem. Criſtallinus exactè globoſus, & ſuis ciliaribus proceſſibus nigris, tanquam radiis circumdatus, qui eleganter in aqua affuſa fluctuabant. Plura perſcrutari, propter negotia quæ ſupervenerant non licebat. Itaque

Ad externa redeo.

Hic *muſculi* omnes erant nigerrimi, ipſaque caro flaccida, mollis, & ingrata aſpectu, ut diſtingui invicem propter colorem & mollitiem fibrarum difficilius poſſint. Pſoas vero robuſtiſſimi non ſine ratione, nam pedes poſtremi ad natandum & vibrandum dati, quos movere velociter animal rapax cogitur, ad quod non exiguo robore opus habet.

Oſſa non admodum dura, ſiccave, ſed cartilaginibus nonnihil affinia: coſtæ præſertim.

Superſunt quatuor pedes, & cauda; reliquum enim corpus, rotundum ac teres, nihil inæqualitatis habet.

Sunt autem *pedes* antici à poſticis in multis diverſi. Primum enim in veros digitos deſinunt, curvis unguibus inſtructi, ſed admodum breves, ut apprehenſioni inutiles, ſoli lacerationi & in greſſu firmitudini idonei videantur: Deinde nec deduci ab invicem niſi parum poſſunt. At poſtici latiſſimè extrahi, inſtar caudæ columbinæ, & diſcedere invicem diſtrahique deprehendebantur, intercedente in utroque genere membrana, natationi, & aquis denſandis trudendisque opportuna, qualem anates & anſeres exhibent. Præterea antici flectuntur vera ratione, ut corpus iis inſiſtere nonnihil erectum, & progredi queat. At poſtici non niſi retrahuntur & extenduntur, eo modo quo ranæ in natando ſaltandoque iis uti ſolent, quibus ſe vibrant quam celerrimè.

Proximè ad caudam etiam adjacent hi, & tantum non unum cum ipſa corpus

pus conſtituunt, eadem etiam linea diametrali ſeu horizontali expandi conſpiciuntur. Hinc difficillimè poſtremis pedibus incedere animal opinor; magisque trudere ſe & adrepere quam incedere.

Sunt autem pedes breviſſimi, non extremorum quidem, ſed ſuperiorum ratione. Falſum tamen ſolum brachium ei eſſe, ſunt enim & humerus & femur, ſed intra carnes abditi ut incurios fallant, quippe cum oſſa quæ brachium & tibiam repræſentant, trium vel quatuor digitorum latitudinem vix æquent, itidem ex duplici oſſe conſtituta, ut in ceteris quadrupedibus, quod carpus tarſusve, denique metacarpus & metatarſus excipiunt, de quibus plene te inſtruet, citato loco diligentisſimus Segerus. Cauda brevisſima, quatuor pollicum, tenerrima & duos digitos lata. Hoc remigio incedens non multum promoveret: pedes poſtici igitur in ſocietatem flexuræ veniunt.

His expoſitis qvodnam animalium genus ſit, & de ejus vita ac moribus, quantum innotuit mihi, paucis ſubjungendum eſt. Monſtrum videri poſſet, cum ex quadrupede terreſtri & piſce compoſitum, in aquis degat. Sed quia non generant ſui ſimilia monſtra naturæ, nulla de ea re ſupereſſe poteſt dubitatio. Vulgo ad Amphibia referunt, quia etiam extra aquas vivat: Nam egreditur nonnunquam ad littora, aut in rupibus extenſum, inſolatur aut ſtertit, altum dormiens.

Verum enim verò tametſi ita videri poſſet, multo rectius inter θαλάσσια referri certum eſt, Quodſi Ariſtotelem non ſpernerent ſcriptores rerum animalium, aut cum cura legerent, haut ita in primis hiſce hiſtoriæ eorum principiis hallucinarentur. Dicit ille ſtatim primo capite Hiſtoriæ animalium. Τῶν ζώων τὰ μεν ἔνυδρα eſſe, τὰ δὲ χερσαῖα. ἔνυδρα δὲ διχῶς. τὰ μὲν, ὅτι τὸν βίον καὶ τὴν τροφὴν ποιεῖται ἐν τῷ ὑγρῷ, καὶ δέχεται τὸ ὑγρὸν, καὶ ἀφίησι. τούτου τε στερισκόμενα οὐ δύναται ζῆν. οἷον πολλοῖς συμβαίνει τῶν ἰχθύων. τὰ δὲ τὴν μὲν τροφὴν ποιεῖσθαι καὶ τὴν διατριβὴν ἐν τῷ ὑγρῷ, οὐ μὲν τε δέχεσθαι τὸ ὕδωρ, ἀλλὰ τὸν ἀέρα, καὶ γεννᾶν ἔξω, πολλὰ δὲ εἶναι τοιαῦτα καὶ πεζα. Quæ pulcherrima verba in gratiam eorum qui Græca ignorant, Latinè apponenda ſunt. *Animalium quædam eſſe aquatilia* (ſeu in aquis vivere.) *alia terreſtria. Aquatilium verò duplicem ordinem: Alia enim vitam & nutrimentum in humido invenire, & humorem recipere ac reddere* (hoc eſt reſpirationis loco aquam admittere,) *eaque deſtituta, vivere non poſſe; quemadmodum permultis piſcibus accidat. Alia verò & vivere quidem in aquis, & inde nutrimentum petere, non autem recipere aquam, ſed aerem, & foris parere, complura hujus generis & pedibus inſtructa eſſe,* (ſeu pedeſtria) addit: *ut lutrio, latax, crocodilus.*

Noſtrum ex hoc poſtremo genere eſſe, quis non videt? nam ea, quæ

 de iis

de iis differit ſummus Philoſophus, competunt ei quam exactiſſimè omnia neque enim poteſt diu extra aquas vivere, cum nullum in terra nutrimentum inveniat, etſi etiam in illa diu mergi non poſſit, nam & pinguedo ejus mollis, & vel ſponte extra aquam, leviſſimo calore fuſa, ſi refrigerio deſtitueretur, illicò difflueret, & induceret animal in periculum. Quippe id teſtari poſſum, hac ipſa qua ſcribo die, in cubiculo frigido, media Hyeme inter manus noſtras eam defluxiſſe, ſolo calore ex corporibus binorum hominum exhalante, cadavere integro, nec ullo fœtore corrupto. Eſt igitur utique *θαλάσσιον*, ut diximus, hoc animal & quidem ex Pelagiis. Nam iterum Ariſtoteles in Pelagia hæc, litoralia, & quæ ſaxis adhærent, diſpeſcit. Pelagium inquam eſt: Quamvis enim egrediatur aliquando ad litus, tamen in medio potius mari quam litorali vivit, plenumque iis noſtrum eſt Balticum, atque abundat. Unde ab Oehlandiæ inſulæ incolis potiſſimum capitur, qui, cum inſula ex rupibus conſtet, nec frumenta, nec alia producat, quibus vitam ſuſtentare miſeri poſſent, ibi ex hac captura penè unicè vivitur. Etſi enim in eſcam non veniant carnes graviſſimi ſucci, pinguedo tamen expetitur, & venditur ſub nomine Thran ad varios hodie uſus. Hinc etiam eſt, quod rarò admodum in hunc noſtrum ſinum ingreditur: Eckelnfordiæ, quia is portus magis patens, & mare liberius admittit, frequentior, non tamen admodum etiam copioſa.

Quod autem ſub aquis vivere diu non poſſit, manifeſtum eſt, quia aere indiget. Neque ranarum exemplum huc trahi poteſt, illæ enim foramen ovale apertum habent, hæc clauſum. Habet autem hoc noſtra commune cum univerſo Balenarum genere & ipſo etiam Delphino, quæ cuncta pulmonibus inſtructa, ſubinde exſerere caput, & reſpirare coguntur, inque ſublimi natare. Quod laborioſum vitæ genus nobis videri poſſet, niſi tantum pondus in aquis facilius ſuſtineretur. Et hæc cauſa fuit quod noſtra, cum ſe ex vimineo reticulo expedire non poſſet, ſuffocata perierit.

Hæc etiam eadem ratio novæ induſtriæ occaſionem præbuit incolis Inſulæ Fœhriæ ad Sonderburgicam ditionem: Ibi enim hyberno tempore, mari glacie obtecto, eam perrumpunt: mox Phoca ex illis foraminibus exilit, aëris hauriendi gratia. Illi ſecuribus, fuſtibus, & inſtrumento ruſtico adſtant, eamque non ſine periculo interficiunt, ubi enim paratam ſibi necem videt, nec poſſe eam effugere, impetum in homines facit, quos ſi dentibus arriperet, certè nulla vis eos ex his liberare poſſet, adeò acuti, adeò pulchrè invicem ſe excipiunt, ut quicquid arripiunt, teneant.

Tanta cum feritate cicur tamen redditur & manſueſcit, imò & diſciplinam ſuſcipit. Certum ſane eſt, à quibusdam circulatoribus in ſpectaculum

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.

fig XXV . pag. 29 app:



fig XXVI.



lum circumduci; atque oſtendi cupientibus lucri gratia, variasque artes addiſcere. Teſtis eſt Charletonus in Onomaſtico, teſtes noſtratium plurimi, qui viderunt. Sed in dolio aquâ pleno aſſervanda eſt, ſi vivere illam volunt, & valere.

Reliquas ejus proprietates cum ab aliis memoratæ ſint, hic enarrare & operoſo inanique labore exſcribere, non arbitror eſſe opus:

Illa tamen indicare operæ pretium erit, quæ erronea ab iiſdem commemorantur.

Falſum ergò id primum eſt, quod Plinius prodidit; Cartilagines non oſſa habere, quin pleraque, artuum præſertim ſatis robuſta ſunt, etſi coſtæ molliores.

II. Linguam bifidam eſſe, hoc eſt biſulcam, quod in Jonſtono habetur, falſiſſimum.

III. Auribus carere, niſi de externa aure, hoc eſt auricula intelligatur, itemque meatus aurium in demortuis difficillime reperiri, nec niſi in viventibus evidentes eſſe, quod idem prodidit, non magis veritati conſentaneum.

IV. Fel in hepate deprehendi nullum, Ariſtoteles perperam docuit, manifeſtum enim, & veſicula fellis inflata, uncias ſex ſeptemve facile continere videbatur.

V. Coire averſas, itidem nullatenus credibile.

VI. Proditum etiam eſt, ſtertorem, quem dormientes inſtar mugitus edere dicuntur, ex pituita eſſe in aſpera arteria contenta: quod vanum, non enim in hac, ſed rimula laryngis mugitus editur, ſi quis editur: nec pituita ulla in aſpera arteria deprehendebatur.

VII. Omnium mendaciſſimum, pulmonem exiguum eſſe, ſpumoſum, nec ſanguineum, cum arteria pulmonalis aortam ſuperet, vena propè æquet cavam. Et qui poſſet aliter, cum pectus amplum ſit? totum implendum, omnemque ſanguinem quam recipit, pulmo reddat.

EXPLICATIO FIGURARUM.

Fig. XXV. Renis integri Externa Facies.

A. Vena cava. *B.* Emulgens. *C.* Ureter.

DDD. &c. Emulgentis Ramificationes per ſuperficiem renis decurrentes, prout tubulo inflati ſe dabant obvium.

Fig. XXVI. Renis diſſecti & explicati Interna facies.

Fonticuli liquoris ſunt.

a. a. a. &c. Fonticuli liquoris ſunt, ex ſiphone per ureterem injecti, ex mediis meatibus urinariis, ſub carunculis albicantibus erumpentes.

Striæ apparentes ſunt tubuli, urinam advehentes in communia receptacula.

Dn. D. DANIELIS CRüGERI.

De Auro potabili & ſexaginta auri tincturis & reſolutionibus Proceſſus.

QVoniam in libris meis Alchymyſticis & Chymicis varias auri reſoluti deſcriptiones vidi, illas in gratiam eorum, qui libris carent, atque varietatem deſiderant, colligere volui, ſi non omnes, quædam placebunt, & ideo ita miſcui, ut, qui ingenio & judicio pollet, optimas diſcernere, iisque vel ad ſanitatem vel ad conjunctionem cum Mercurio Philoſophico uti queat.

Primus igitur Proceſſus eſt Baſilii Valentini, fitq; ex Sulphure auri, & admodum laborioſus & pretioſus eſt, de quo in primâ clavi dicit, ſex loca peragrat Rex in firmamento cœleſti, & in ſeptimo ſedem ſuam figit, hæc loca nemo ſcire poteſt, niſi qui totum Baſilium perlegerit, ſunt itaque hæc: 1. Eſt depuratio per Antimonium, 2. Calcinatio cum Sulphure & Mercurio, 3. Subtiliatio per aquam Regiam, uſque dum Aurum cum Aqua regis in arena per alembicum tranſeat, tunc Aq. Regis per Mariæ Balneum lentè abſtrahitur, ut pulvis ſubtilis remaneat. 4. Huic pulveri affunde Spiritus nitri part. j. Spir. Salis part. iij, iterum deſtillentur, uſque dum Aurum per alembicum tranſeat in arena, & poſtea iterum in Mariæ Balneo abſtrahatur, ut pulvis jam ſatis attenuatus remaneat, hanc operationem addit in lib. 3. de univerſali. 5. Affundit Spir. Nitri dulc. cujus deſcriptionem etiam habet, & extrahit Sulphur Solare; hanc operationem alibi perficit aliter: Recipit aquam, quæ in cella ex Mercurio ſublimato defluxit, tum in recipientem fundit & ſuper illam deſtillat Aquam è Nitro & Vitriolo ana partibus duabus ex alembico. 6. Hoc Sulphur auri reſolvit in Spiritu Mercurii, cujus deſcriptionem habet in lib. 3. de univerſali, & hoc eſt ipſius verum aurum potabile. Septimus locus tapetibus aureis ornatus, eſt Mercurius Philoſophorum auro & Sulphuribus Martis & Veneris ſplendens.

II. Secundum Clavæi. ℞. Aurum cum Merc. & Sulphure & cum aliis calcinatum, fiat Amalgama, cum Mercurio aliquo igneo, figatur gradibus ignis ſpatio 10. dierum, fiat inde calx. Ex hac calce fiat Sal, ex Sale fiat oleum.

Hoc oleum eſt verum aurum potabile, ſolo igne ſine omni additamento factum, quod inſciis & inexpertis operoſum, ſcientibus & expertis facillimum uti loquitur Autor. Cum hoc Auro potabili vero coincidit aurum potabile Moyſis quod etiam ſolo igne in calcem & ſalem eſt redactum,

ſal autem facile aquæ miſcetur, & hinc Iſraelitis potandum dari potuit, verum aliud medium adjecit Moyſes. Medium hoc ab antiquis Moſi coætaneis perquirendum. Maria Prophetiſſa, ſoror Moyſis, in practica ita dicit, datur topicum mortificans omnia corpora, & pulverizat ea & coagulat Mercurium odore ſuo. Quodnam illud ſit, Avicenna dictione 1. dicit, plumbum de peſſima natura eſt, quod cum ſuo odore frangit Aurum & ſtringit aurum vivum, quia quando Mercurius aurum ſolvit, ſi darent ei odorem de Saturno vertitur in calcem, donec redigat cum Magiſterio. Geber ſuum perfect. Cap.32. de Auro dicit: Aurum odore plumbi teritur Bechenis hoc ſal è rotatione primâ extrahit.

3. Solve Aurum Spir. Nitri, extrahe illum ſpiritum & aurum manebit in fundo vaſis inſtar mellis, ſi aliquoties ſuper id ipſum repoſueris; deinde affunde oleum Juniperi, tingetur ſtatim, & attrahet ad ſe auri tincturam rubicundiſſimam; perge legibus Chymicorum &c. His utere in laudem JESU Chriſti & lætare.

4. Fac Amalgama ex Auro & Mercurio, miſce cum pulvere flor. Sulphuris cujus pondus ſit triplum reſpectu Amalgamatis, pone hæc omnia ſimul in ſcutella forti, in parvo calore per horam unam, poſteà accende Sulphur, ut totum comburatur, & reperies Aurum valde ſpongioſum, quod pulveriſabis diligenter ſuper marmor, & inter terendum aſperges huic pulveri aquam vitæ optimè rectificatam, quando benè miſcuiſti, incende igne aquam vitæ, ut tota exardeſcat, & ita reperies Aurum calcinatum, idque ter facias, tere denuò ſuper marmor, & adde parum mellis & ſalis communis præparati, poſtea impone ſcutellæ terreæ, & infunde aquam calidam, & move, ſine aliquamdiu quieſcere, filtra & lava, quouſque nihil mellis & ſalis ſit amplius & erit ſubtilis. *Tunc incorporabis cum triplo Olei Tartari & exſicca,* & pone in ignem, donec rubeſcat, poſteà pone ſuper marmor, & ſol una cum ſale diſſolvetur rubicundiſſimus: ſi una vice non diſſolvatur, oportebit, quod non eſt diſſolutum, reiterare. Hoc oleum pone in matracium cum optima aqua vitæ, & pone in balneo per 8. dies, & per 8. alios in cineribus calidis, & tum oleum reperies rubrum inſtar rubini, poſtea aquam vitæ extrahe per filtrum, ut ſal Tartari ſeparetur. Lava ſæpius cum Aqua vitæ, eamque incende, oleum, quod reſidet, ſerva ad uſum, doſ. 5. vel 6. guttæ. In calculo & contra omnes morbos. Vid. Aurum potabile hoc apud Digby 266. luculentius.

5. ℞. Acetum bonum, quod deſtillabis tamdiu, donec incipiat inſpiſſari, aceti magna copia eſt deſtillanda, ut habeas feces ad ſufficientiam, quos retortæ impones, & extrahes aceti reſiduum, & cum videris oleum egredi, mutabis

tabis recipientem, & dabis magnum ignem, quouſque nihil amplius exeat, accipe feces reſiduas in retorta, & calcina benè, poſtea novæ retortæ impone, addito aceto jam deſtillato, reitera deſtillationem, circa finem magnum ignem dabis, calcina iterum feces & toties deſtilla, quouſque acetum ſecum retineat totum ſalem, tunc ſufficiens eſt acetum præparatum ad ſolvendum Aurum modo ſequenti: ℞. Aurum bene calcinatum, pone in matracio, affunde de ſuo aceto, & claude collum diligenter, pone ſupra cineres calidos & ſolve, quæ diſſolutio fiet paulatim, non ut illa, quæ fit in Aqua Regis ſed lente. Ubi diſſolvens tuum ſatis extraxit, quod viſu dignoſces, effundes in retortam & deſtillabis diſſolvens, & Aurum manebit inſtar gummi aut ſalis. Affunde iterum diſſolvens tuum ſupra calcem ad diſſolvendum, & procede, ut antea, tamdiu, donec habeas tincturam, quam ſeorſim ſervabis.

Porrò ℞. Stibii calcinati, quantum vis, quod pones in vaſe vitreo, affunde Acetum deſtillatum debile ad eminentiam 4. digitorum, maceretur 24. horis, moveatur 5. vel 6. in die, cum ſpatula lignea, filtretur, affunde Aquam vitæ & procede modo dicto. Doſis gutt. 4, 5, vel 6.

6. ℞. Olei Antimonii part. iij. olei Vitrioli part. ij. olei Mercurii p. ij. deſtilla quouſque omnia tranſcendant, adde calcis ſolaris & ſolvitur in arena, deſtilla, donec tranſcendant, rurſus coagulentur.

7. Sal Tartari ſi cum oleo vini ritè conjungatur, ſolvitur illo liquore Aurum ritè calcinatum.

8. Aurum deſtilla cum Aq. Regis ad pultis conſiſtentiam, affunde Acetum deſtillatum pone in cellam in Aq. frigida, naſcentur cryſtalli, qui in ovo cocto poſiti reſolventur in oleum.

9. ℞. Nitri depurati ℥ xv. Spir. Vini rectificati ℔ ij. digere dies 14, ſic Spiritus Vini Spiritum mercurialem è Nitro attrahit, tunc Spiritum funde ſuper tartarum calcinatum, ut fiat inſtar pultis, deſtilla maſſam è cineribus calidis, ſic ſolummodo tranſit ſpiritus mercurialis nitri, & ſpir. vini manet in Tartaro calcinato. Hic ſpir. ſolvit Aurum ritè præparatum radicaliter. Hæc reſolutio loco Auri potabilis uſurpari poteſt. Hic ſpiritus eſt ferè ſimilis illi, quem Baſilius proponit de univerſali totius mundi lib. 3. ubi ſpir. Vitrioli Ungarici ſingulariter præparat & ad rubedinem iterum abſtrahit, deinde ſuper Tartarum calcinatum fundit, ſicque ſpir. Mercurialem Vitrioli ſolummodo deſtillat, ego hunc priori prævalere exiſtimo. Filtretur poſtea acetum, & ſuperaffundatur aliud, ut habeas magis purum, quod poſteà evacuabis ad dimidietatem, refrigeſcat deinde, & pars ſalis tui coagulabitur in glaciem, quam inferes cochleari ligneo perforato. Poſtea reliqvum evaporet, ut totum ſalem habeas, quem paulatim ſiccabis, ita procedes, donec habeas ſalis copiam pro lubitu.

℞. Illum

℞. Illum ſalem, & pulveriſatum pone in cucurbita ad dimidietatem plena, obtuſa benè, pone in Mariæ balneum per 50. dies, ut aqua ferme bulliat, & ſal diſſolvatur quaſi totum. Poſtea pone retortam ſupra cineres in vaſe terreo, adjunge recipientem, benè lutatum & ſiccum, ne ſpiritus evaneſcant. Ignis ſit ab initio lentus, augeatur poſtea, prout diſſolutio requirit, & aqua vitæ jam inſtar venarum ingredietur recipientem, jam inſtar vaporum, & circa finem oleum veniet rubicundum, tunc augebis ignem ſupra & infra, ut tota retorta incandeſcat, per 4. horas, refrigeretur ut ſpiritus quieſcant, nihil movendo per totam diem. Tunc materiam tuam collocabis in alembicum, & deſtillabis in Mar. baln. aqua vitæ aſcendet primò ſubtiliter, & oleum manebit in fundo.

℞. Aq. vitæ & pone ſuper Sal auri & ſigillo Hermetis munitum pone in Mariæ balneo tepido per 40. dies, ſi totum gummi non eſt diſſolutum, effunde illud, quod eſt diſſolutum, rubrum inſtar ſanguinis, in aliam retortam, & affunde aliam Aq. vitæ, ſigilletur, ponatur in Mar. baln. ut prius, donec totum gummi ſit diſſolutum, & quod diſſolutum eſt ſervetur in Mariæ balneo.

℞. Omnes diſſolutiones & pone in retorta ſuper cineres, luta recipientem, & da parvum ignem ab initio, & Aq. vitæ exibit, & ubi tota aqua exierit, oleum exibit rubrum inſtar ſanguinis, quod innatabit aquæ, tunc augendus ignis & circa finem tota cucurbita ſit ignita, & ſi nil amplius egredietur, habes diſſolutionem in forma olei natantis ſupra aquam, ſi aliquid ſit, quod non exierit, aut aqua ſupernatet.

10. ℞. Aurum miſce cum Mercurio ſublimato, affunde Aq. Regis & deſtilla ſæpius, ſic Aurum reſolvitur & facilius, quam plumbum in igne fluit, imò inſtar ceræ.

Secundò ℞. Antimonium ſolve in Aq. Regis item Mercur. ſublimatus in Aq. Regis ſolvatur, confundantur hæ duæ aquæ & deſtillentur ſenſim, tandem fortius, & aſcendit materia alba inſtar cretæ, hanc cretam in vaſis vitreis in cella pone & reſolvetur in Aq. intra 4. dies, Aquam hanc in phiala deſtilla & nanciſceris alumen plumoſum & arſenicum Philoſophorum, cryſtallos nempe albos & ſtellulas albas, quas ſubitò colligas, aliàs in Aquam ſe reſolvunt. Tertiò ſume materiam iſtam, quæ in fundo remanet, & in cretam ſeu pulverem album non vult ſublimari, pone in cella & aquoſitatem nanciſceris, quam collige ſingulis tribus diebus. Cum hac Aqua ſolvitur Aurum illud rarefactum in oleo, his duobus principiis adde cryſtallos illos ſublimatos, & poſt fixionem habebis tincturam, quia materia illa ex Antimonio & Merc.

ſublimat. paucam quantitatem & cryſtallorum Aquæ dat, materia ſæpius eſt renovanda.

11. ℞. Spir. ſalis qui factus eſt hoc modo: ſal cum laterum farina miſceatur & deſtilletur.

2. ℞. Spir. qui è Tartaro & calce aa. part. iij deſtillatus eſt.

3. Hos duos ſpiritus miſce & Aurum ritè præpar. ſolvitur facilè in oleo melius, quàm in Aq. Regis.

4. Deſtilla hanc reſolutionem ſæpius & oleum per alembicum tranſit, ſepone ab oleo per Mariæ balneum leniter ſpiritum, & habebis oleum Solis, hoc oleum cum oleo Antimonii conjungi & figi poteſt in tinctura.

12. Fac Aq. Regis è Nitro, Ammoniaco, Alumine calcinato ana, ſpecies ſeorſim in Retortam tubulatam injiciendo quamprimum ſpiritus prodeunt, ignis minuendus, aliàs vaſa rumpuntur. In hac Aq. ſolve butyrum Antimonii, ſtent per hor. 6. deſtilla in arena per alembicum, & prodit Aq. citrina, in hac Aqua digere Aurum per 8. dies, abſtrahe menſtruum ad dimidietatem cohoba quater cum recenti aqua, tandem fortiore igne in cucurbita humili pelle & prodit Aurum in forma olei, remanente materia gryſea in fundo. (Menſtruum hoc duplicatum Aurum volatile cohabatione reddit, ſi poſteà figatur, & per regnum vegetabile extrahatur, Aurum dat potabile.

13. ℞. Aq. Regis ſolve in illa Aurum, hanc ſolutionem funde ſuper butyrum Antimonii, deſtilla & tranſit tinctura ſolis cum tinctura Antimonii.

14. ℞. Tartarum, calcina, ſolve, filtra, coagula, reverbera, hoc ſæpius itera, uſque dum ſal Tartari nullas feces relinquat, affunde ſp vini ad 4. digitorum eminentiam, pone in balneum, quod ſemper ebulliat, aliàs non procedit, ſp. vini ſemper affunde, novies hoc fac & deſtilla, ſic ſal Tartari in oleo reſolvitur. Spir. vini hic jam præparatus eſt ad tinct. ſalis extrahendam. Jam recipe Auri part. 1. Mercur. part. 3. fac Amalgama ſolve Mercur. Aq fort. & remanet Pulvis ſolaris, quem reverbera bis, affunde ſp. vini tartariſatum priorem, & extrahet tincturam, verum Aurum potabile.

15. ℞. Camphoræ ℥iiij Auri foliat. ℥j. tere optimè ſuper marmore, donec Aurum abſorptum ſit, deſtilla per Retortam, ſed prius putrefiat per dies 4. ſic tranſit Auri eſſentia per Retortam cum Camphora, quod tranſiit, affunde Aquam pluvialem deſtillatam, ſic tranſit alterum ingrediens (verum, hoc ingrediens per alium liquorem etiam removeri poteſt deſtillatione) reſiduam Auri eſſentiam ad Aurum potabile vel Tincturam adhibere poteris.

16. ℞. Spir. vini rectificatiſſ. adde ſal urinæ depuratiſſimum, ſal autem hoc in vitro ſigillato in Mariæ Balneo putrefiat per 20. dies, ita tamen ſuper Aquam

Aquam ſuſpendatur, ne aquam attingat, & ſal reſolvatur in oleum hoc. adde ſpir. & ambo coagulabuntur in ſal, hoc ſal iterum in Mar. Bal. ſuper Aq. ſuſpenditur, ne aquam attingat per 12. dies, & reſolvetur iterum in oleum ſeu Aq. hæc aqua ſepties rectificetur, in hac aqua Aurum præpar. ſolvitur, putrefiat per tres menſes & deſtilletur è Mar. Baln. ſic manet oleum Solis in fundo, hoc oleum ſepties per alemb. deſtilla, deinde circulatur, tandem figitur.

17. ℞. Mell. & ſulphur coque & deſpumentur, exprime per pannum, coque ad pultis formam, hujus ℞. ℔j. adde ſalis com. iiij. add. arenæ q. ſ. deſtilla per retortam, rectifica per alembic. hujus ℞. tres partes ſpir. vini rectific. 2. partes miſce, hoc liquore ſolve Aurum abſtrahe per Mariæ Balneum & manet oleum in fundo.

18. ℞. Aq. Mercurialis quæ ex Mercurio ſublimato in cella defluxit ℔j ponatur in recipientem, ℞. ℔ij. Vitrioli ad flavedinem calcinati, Nitri pulveriſ. ℔i. deſtilla ex cucurbita vel retorta in recipientem ſuper Aq. Mercurialem & aqua evadit rubra vel flava, aq. hanc deſtilla per alembic. deinde in arena aqua hæc deſtillata abſtrahatur uſque ut remaneat in cucurbita quarta pars, hæc ſtatim folia Auri ſolvit.

19. Fac Amalgama è Stanno & Mercurio, teratur cum quarta parte Ammoniaci, deſtilla per retort. & aq. proveniet nigra, hanc lento calore coagula, ſal hoc cum Mercurio miſce & iterum deſtilla per alemb. huic aquæ impone flor. Antimonii & per retortam deſtilla, ſolvet animam auri.

20. Vel fac Amalgama è Mercurio & Stanni ana. part. j. Mercur. ſubl. fiat Aq. in cella, deſtilla per alemb. in arena, ſuper hanc aquam deſtilla ſpir. Nitri & Vitrioli ana. ℔j. Virid. ær. ℥iiij. ℞. hanc Aq. & Mercur. ſubl. ana. iterum deſtilla & hoc quater, ſolvit Aurum.

21. ℞. Mercur. Alum. Nitri ana. ſublimentur, poſtea per ſe ſublimetur, ſolve tunc Mercur. in aq. deſtillata pluviali, cryſtalliſentur in frigido, iterum ſublimentur cryſtalli, donec in fundo fixentur, hoc fixum putreſcat in fimo per menſem cum ſpir. vini, poſtea deſtillentur per gradus, ſp. vini ſeparetur per gradus ab oleo, oleum rectificetur donec feces deponat, eſt fragrantiſſimum, extrahit Tinct. auri relicta materia alba.

22. ℞. Nitr. ſalis Aluminis ana. ℥j vel q. v. auri foliat. ʒj. vel q. v. tere prius optimè deinde coque in aq. pluviali ad pultis conſiſtentiam, affunde in Spir. vini extrahe tinct. poſtea ſpir. vini abſtrahe ad ol. & habes ol. auri pulcherrimum. Vid. Proceſſ. N. 45.

23. ℞. Aurum, abſtrahe Aq. Regis ſæpius cohobando ad ol. conſiſtentiam, deinde abſtrahe Acetum alcaliſatum toties, ut acidum iterum prodeat, tandem digere cum ſp. vini alcaliſato 15. dies, ſpir. vini abſtrahe ad ol. formam.

24. ℞. Auri ℥j. fiat Amalgama cum Mercurio, exprime per corium: globo remanenti adde ſal, tere & exhalet ſuper ignem Mercurius, adde cinabaris ℥iij, calcina, hoc repete quinquies cum nova cinabari, deinde adde Armoniaci octo partes, ſublima ſæpe, uſquedum aurum altiorem colorem acquirat, tunc extrahe tinct. cum ſp. vini ſequenti modo præparato:

℞. Sal Tartari, calcina, abſtrahe Acetum quater, ſemper novo aceto, deinde exrrahe tinct. ſp. vini quamdiu tinct. adeſt, iterum acetum abſtrahe, iterum tinct. ſp. vini extrahe, deinde ſp. vini omnes conjunge, deſtilla & cohoba ſæpius, nempe 15. tandem reſiduum pelle per retortam & tranſit ſp. vini tartariſatus ad priorem uſum.

25. ℞. Auri laminas & plumbi laminas, fiat in tigillo ſtratum ſuper ſtratum, cæmenta 24. hor. ex auro fiat pulvis, extrahe cum ſp. vini tartariſato, ſpir. vini abſtrahe ad ol. oleum hoc rectifica per retortam ſupra cineres, quater.

26. ℞. Aurum per Mercur. & flor. ſulphuris calcinat. affunde ſp. vini cum ſpir. urinæ combinatum, extrahe rubedinem, deſtilla per retortam, abſtrahe menſtruum per Mariæ Balneum, remanet oleum in omni liquore ſolubile.

27. Quidam ad ſanitatem ex Antimonio Aurum potabile faciunt, ℞. Antimoniū hoc cretæ involvitur, & in furno figulino calcinatur, extrahe tinct. cum aceto deſtillato, & cum alio aceto deſtillato præcipitetur, filtretur per chartam bibulam, coagula in ſal, ſal calcina leniter, extrahe iterum cum aceto deſtillato, abſtrahe ad dimid. q. ſ. deinde digere 8. dies, deinde ſpir. vini extrahe.

28. ℞. Mercurium depur. coctum nempe cum lixivio è calce viva & cineribus clavellatis, deinde iterum teratur & coquatur cum ſale & aceto, dum acetum abſumptum, hoc quater itera, tandem ſublima per vitriolū ad rubed. calcinat. & nitrum, uſque dum ſit ruber. Super hunc Mercur. ſubl. affunde acet. deſtilla coque, dum tingatur, iterum coque cum recenti aceto deſtill. dum tingatur, uſque dum Mercurius planè ſolutus, deinde abſtrahe ad mellis conſiſtentiam, lava cum aqua deſtillata, quam deinde abſtrahe, affunde ſpir. vini, putrefiat dies 14. in Mariæ Baln. uſque dum Tinctura extrahatur, poſtea inde retortæ vitreæ, deſtilla primò lentè, deinde fortiùs & primò prodit ſp. vini, deinde veniunt cryſtalli, qui ſe mox etiam in ſp. vini ſolvunt, inde in cucurbitam, abſtrahe leniter ſp. vini & manet eſſentia Mercurii fragrans optima. ℞. Aurum præparat. affunde ol. hoc Mercurii, ſtent in cineribus 14. dies, eſt medicamentum & Aurum potabile egregium, hanc ſolutionem porrò ad tincturam uti ſcis reducere potes.

29. ℞. Sal duplicatum, tere cum auro præparato, igniantur, extrahe tincturam cum ſpir. vini.

30. ℞. Aurum ſolve in aq. regis, funde ſuper butyrum antimonii deinde deſtilla, ſic tranſit anima mortuorum ex orco Plutonis, ſecundum Nuyſement, h. e. tinctura auri & tinct. antimonii per alembicum tranſeunt, remanente in fundo corpore albo.

Idem facit ſpir. nitri, cautelæ in butyro faciendo obſervandæ:

1. Mercur. ſubl. qui butyro antimonii inſervit, per ſal & nitrum ſublimatur.

2. Non nimium d. antimonio ſumatur.

3. Butyrum ſuper caput mortuum vitrioli rectificetur, deinde cum ſp. vini ſolvatur, filtretur, digeratur.

4. Aurum prius cum antimonio miſceatur.

31. ℞. Ol. vitrioli à capite mortuo aliquoties abſtractum, abſtrahe ab hoc oleo ſpir. vini tartariſat. aliquoties, & fiat dulce, in hujus olei ℥iß ſolve ʒj auri.

Spir. vini tartariſatus fit h. m. tartari calcinat, affunde ſp. vini, extrahe tinct. tinct. ad dimidietatem ſæpius abſtrahe, reaffundendo ſp. vini, tandem fortius pelle & ſal tartari aſcendit ſimul, quando ſpir. vini hunc ſæpius à prædicto oleo abſtrahis, tandem per cucurbitam humilem tranſit ol. vitrioli dulce ad hunc uſum.

32. ℞. Aurum per ſulphur & ſal commun. calcinat. iterum per ſal tartari calcina extrahe tinct. per ſpirit. Saturni.

33. ℞. Spir. vini, ſpir. nitri, ſpir. ammoniaci ana, deſtillat. cum farin. later. aliquoties, rectificentur, ℞. merc. ſublimat. cum aq. forti deſtilla ſpiritum prædictum ab hoc Mercurio toties, ut Mercurius inſtar aquæ tranſeat, in ſpir. vitrioli ſolve aurum, digere per Menſem, abſtrahe ſpir. & manet oleum in fundo.

34. ℞. Aurum per Stannum calcinat. affunde ſp. vini tartariſat. ſequentem & animam extrahet.

℞. Tartarum elue aq. pluviali deſtillata, quinquies, vel donec aciditas non ſentiatur, tum affunde ſp. vini extrahe quantum potes, qui poſtea per retortam deſtilletur.

35. ℞ Tartarum, nitrum, detonentur, extrahe ſalis hujus ℔ ½. deſtilla, ſuper hoc affunde aquam fortem cum pauco phlegmate ad 4 digitorum eminentiam, fiant in frigido loco cryſtalli, ſuper reſiduum iterum aq. fort. deſtilletur, iterum colligantur cryſtalli, hoc itera uſque dum cryſtalli proveniunt, ex his cryſtallis in balneo ſuſpenſis fiat oleum, in hoc oleo ſolve aurum fulminans, ſtent in Mariæ Baln. 14. dies, abſtrahe oleum, aurum reſiduum

miſce cum batitura ferri & ſublimetur igne forti, Aurum hoc ſublimatum ſolve in hoc, quod ſequitur.

℞. Mercurii ſubl. & ſulphuris an. ℔j. miſce & tere, deſtilla per retortam, intra 6. hor. fieri poteſt. Hunc ſpirit. funde ſuper aurum, ſtent per noctem, poſtea deſtilla per alembicum & aurum ſimul tranſit. ℞. Spiritus hujus ſolis tincti ℥viij. Mercurii depurati ℥iiij. ſic ſpiritus Mercurii apprehendit & aurum ad fundum dimittit, decanta vel abſtrahe & collige aurum in omni liquore ſolubile.

36. ℞. Stanni & Mercurii à ℔. fac Amalgama, adde Mercurii ſublimati ℔ij, pone in cellam & dabit aquam quam per retortam deſtilla, caput mortuum aëri exponi poteſt & iterum deſtillari, hæc aqua ſolvit aurum, ſi per aliquot ſeptimanas in calore ſtet aurum, volatiliſatur & per ſp. vini tartariſatum tinctura extrahenda.

37. ℞. Cryſtal. Martis & Veneris per ol. Vitrioli fact. affunde ſpir. ſalis in quo p. ij. butyri antimonii ſolut. tunc ſolvantur cryſtalli, in alio vaſe ſolve aurum in ſp. ſalis, ſolutionem auri guttatim funde in ſolutionem cryſtallorum, hanc mixturam retortæ inde & prodibunt animæ Solis, Martis & Veneris.

Capiti mortuo affunde ſp. ſalis recent. in quo pars tertia butyri antimonii ſtet per noctem, iterum deſtillentur per retortam, iterum prodibunt ſpiritus flavi, tertia vice prodibit albus, ſi iterum deſtillatio repetatur, nam tinctura in priori deſtillatione jam tranſcendit. Caput mortuum per Saturnum cupellatum dat corpus album. Spir. hic deſtillatus ſolvit aurum intra 8. dies in digeſtione.

38. ℞. Aurum fulminans, fiant ex eo flores per retortam tubulatam, injiciendo ſemper gut. ij. vel iij. ſp. vini rectificatiſſ. ſuper pulverem accende & flores in campana vitrea recipe, ſuper flores hos funde ſpiritum mannæ & tingetur, imò ſi ſpir. vini ſæpius ſuper ſal Cornu Cervi rectificetur, idem facit.

39. Solve aurum cum ſp. ſalis à phlegmate tantum liberato, non totaliter rectificato, ne ſeparetur ſal eſſentialis, abſtrahe menſtruum per Mariæ Balneum affunde recens menſtruum, iterumque abſtrahe, idque quater, vel dum videas aurum ad latera cucurbitæ elevari, tum iterum adde tantum de ſp. ſalis, ut diſſolvatur, & pone in retorta, deſtilla ut aurum tranſeat: menſtruum abſtrahe in Mariæ Balneo, ut liquor craſſus remaneat, cui inſtillabis ſp. vini, ſp. urinæ acuatum, & præcipitabitur calx auri alba, quando nihil amplius cadit, ſine calcem reſidere, ut per inclinationem liquorem decantare poſſis, ab hoc ſpir. vini leniter deſtilla, & novum ſp. vini animatum liquori inſtilla, ut & reſiduum corpus ſolare præcipitetur, tunc ſeparata calce præcipitata, inde

liquo-

liquorem cucurbitæ vitreæ, & calore cinerum ſeu arenæ leniſſimo deſtilla, donec ſtriæ ſp vini ad latera cucurbitæ appareant rubicundæ, nam ſignum eſt, ſp. vini eſſe ſatiatum ſulphure ſalis, ſicque tinctura ſive eſſentia ſolis in fundo cucurbitæ rubicundiſſima apparebit. Doſis iij. vel iiij. gut. in vino vel alio liquore.

40. ℞. Solis per Antimonium purgati ℥j. vel q. v. affunde ſp. ſalis rectif. quoad totaliter ſolutum ſit, ſolutione affunde guttatim ſp. urinæ vel ſal. urinæ, quouſque ſtrepitus audiatur, deinde humiditatem per Mar. Balneum extrahe, reſiduum pone in arena & ſublima, Pulverem ſublimatum ſerva. Reſiduo in cucurbita affunde iterum ſp. ſalis iterum præcipita ſp. urinæ & ut prius abſtrahe & ſublima, hoc toties itera, dum totum fe re aurum ſublimatum ſit, hic ſublimatus ſal omnis aq. deſtillata ſolvetur & pulvis fundum petit, quem edulcora, ex hoc pulvere ſp. vini qui ſp. urinæ animalis eſt, extrahe tincturam tincti ſpiritus ad oleum abſtrahe & utere. Poteſt & aurum liquore inſipido è Marcaſita Solis facto ſolvi, imo liquore è rubicunda auri minera, quæ potius argenti minera eſt, facto nempe ex ſublimato illius pulvere, imo liquore è Sole Nativo in Gvinea, deſtillato, ſed de his vide recentiores alios.

41. Spir. urinæ ℔j. ſp. vini ℔iij. deſtillentur & ſublimabitur ℔ß. ſalis & prodibit ſpiritus ignei ℥j.

℞. Hujus ſalis ſublimati & ſpir. ignei & adde de novo ſpir. vini ℔iij. & habebis liquoris ignei ℥iß & ſalis ſublimati ℥viß. adde his iterum ſp. vini ℔iij. & repete hunc laborem duodecies, uſquedum omne ſal reductum in liquorem igneum. Hic ſpiritus igneus reſolvit aurum præparatum & per alembicum ducit.

Porro ℞. Mercurii per ſublimationem depurati & revivificati q. v. fiat cum arena ſicca per alembicum aqua, hanc aquam funde ſuper Mercurium purificatum, digere per 30. dies & Mercurius redigetur in viſcoſam ſubſtantiam, abſtrahe phlegma & manebit oleum, infunde, ſuper hoc oleum funde ſpiritum tuum igneum, & ſpiritus reſolvet oleum, deſtilla hæc duo per alembicum, & habes menſtruum cœlicum. Hoc menſtruum ſi ter ſuper mel deſtilletur, fit fortius & ultimo rectificetur ſuper ſal tartari. ℞. Menſtrui hujus ℥vj. aurũ præpar. digerantur & deſtillentur per retortam & toties cohobentur uſque dum aurum tranſeat, deinde per alembicum deſtillentur, & manet oleum auri in fundo, odorem ambræ & muſci ſpirans.

42. ℞. Sal tartari, ſolve in aëre, coagula in calore ſicco arenæ, calcina 6. horas, hanc ſolutionem, calcinationem, coagulationem repete decies, deinde ſolve in aceto deſtillato. Acetum autem hoc deſtillatum hoc modo eſt faciendum. ℞. Aceti vini Hiſpan. vel Francici, deſtilla in Mariæ Balneo ut phleg-

phlegma ſeparetur, mutetur recipiens & deſtilletur acetum, ut octo numerare poſſitis inter guttas cadentes, deſtillate ad ſyrupi conſiſtentiam, mutetur recipiens, continuetur deſtillatio, ultimum hoc rectificetur, miſce cum priori aceto deſtillato & iterum deſtillentur. ℞. Salis tartari ſuperioris & ſolve in hoc acet. diſtillatũ, ſtent, ut impuritas reſideat, filtrentur, coagulentur, calcinentur, hor. j. in igne ſeu potius igniantur, & non fortè calcinentur, hoc facite octies; deinde huic ſali tartari ita præparato ſuperfunde ſp. vini, ut inſtar pultis liquidi fiat, ſtent 24. hor. in calido temperato, inſtar ſanguinis humani, deſtilletur phlegma, & ſpirituoſa pars ſeu ſalina manet apud ſal tartari, hoc toties reiterate, uſque dum ſp. vini tàm fortis prodeat, uti ſuperfuſus eſt. Tandem ſolv. in phlegmate aceti ſuperius reſervati, vel in debili ſpiritu vini filtrentur, deſtillentur & ſublimentur, & aſcendit ſal tartari volatile, quod liquidum, ſolvit folia Solis in oleitatem.

43. Vel ℞. Salis tartari decem & octo vicibus ſolutum & calcinatum, uſque dum nullas impuritates deponat. Superfunde ſp. vini ut fiat inſtar pultis craſſioris, deſtilla cohoba 10. vel 12. nam prima vice ſp. vini totus tranſcendit, tandem verò decima vice ſp. vini apud ſe retinet, ut phlegma ſp. vini modò egrediatur, hoc novo ſp. vini reiterandum, uſque dum bona quantitas ſalis de ſp. vini apud ſal tartari remanſerit, hoc miſce cum tribus partibus boli Armenæ (ego mallem terram ſigillatam) inde retortæ, & prodibit ſpiritus flavus, rectifica, hic ſpiritus ſolvit tantum tincturam auri, manente corpore ſolis albo. Doſis hujus ſpiritus gut iij. in vino.

Aurum ad hanc tincturam ita præparatur ℞. Aurum, ſolve in Aq. regis adde Mercur. & aurum cum Mercurio præcipitatur. Lava hoc amalgama, miſce cum triplo ſalis, præpara & deſtilla per retortam, pulv. in retorta remanentem edulcora, hunc cum triplo cinabari miſce & calcina lentè per gradus ignis, hoc bis in die, uſque dum 12. calcinatum ſit.

44. ℞. Aceti vini menſur 60, extrahetur 4. pars tanquam phlegma, reliqvum deſtilletur, & ſuper feces bis rectificetur. Deinde ℞. lithargij ℔j. in diverſis vitris, ſuper quamlibet funde 6. ℔. Aceti deſtillati, ſolvantur, ſolutiones omnes confunde, & deſtillentur tres partes, vel ad ſyrupi conſiſtentiam, ſuper hunc ſyrupum iterum funde ℔vj. Aceti deſtillati iterum deſtilletur & hoc reiteretur uſquedum Acet. deſtill. tam fortè redeat, quam affuſum eſt. Syrupum hunc ſive hoc reſiduum ex diverſis retortis deſtilla, prius autem per menſem in Mariæ balneo putrefiat, ſed quatuor partes maneant vacuæ, quando phlegma abiit & fumi prodeunt mutetur recipiens, & prodibit oleum rubrum, ex fecibus in retorta reſiduis extrahatur ſal cum aceto deſtill. & procede uti in lithargyrio feciſti, hoc ſal deſtill. & adde priori oleo & li-

quori,

quori, iterum ex reſiduo extrahe ſal, & deſtilla, deſtillatum adde priori. Omne deſtillatum funde in cucurbitam longam, ſuper quam tegatur papyrus oleo intincta & ſpiritus aëreus prodibit per papyrum, & phlegma remaneat, reſtantem liquorem deſtilla ad ſyrupi conſiſtentiam, quem ſyrupum pone in cella & prodibunt cryſtalli, quos phlegmate lava, & ſicca, reſiduo ſyrupo affunde phlegma, deſtilla, & in cella iterum collige cryſtallos, ſuper hos cryſtallos funde ſpir. aëreum ad 4. digit. eminentiam, & cohoba quater, & prodibit cum ſpiritu ol. album, quod eſt verum ſolvens auri.

℞. Calcem auri benè attenuatum inſtar ſpongiæ, ſuperfunde hoc oleum ad digiti eminentiam, digere per diem & noctes duas, decanta oleum, & ſuperfunde ſpiritum, & ſpir. ex calce extrahet tincturam, iterum digere oleum, iterum extrahe tinct. ſolis cum ſpiritu, uſque dum omnis tinctura extracta. Tinctura hæc in pelicano circuletur, per 30. dies & Spiritus abſtrahatur, manebit in fundo verum aurum potabile ad 3. gutt. in vino vel ad 4. præſtantius erit, ſi ſpiritus VIII. cohobetur.

45. Super proceſſum N. 22. deſcriptum Digby ita commentatur, præſtantius fieri aurum potabile, ſi ſp. vini hoc modo auro tinctus præcipitetur, non cum ol. tartari, quod non præcipitabit, ſed per ſpir. viridis aeris, vel ſp. mellis, cum parte aliqua ſpiritus vini, poſtea præcipitato affundatur Aq. & parum Mercurii, ſic omne aurum recuperabitur admodum volatile, ſuper hoc aurum affunde ſp. vini qui ſuper ſp. urinæ ana aliquoties rectificatus. Deinde pelicanentur & oleum auri ſupernatabit.

46. Solve aurum in aq. regis; deſtilla aq. regis tertiam partem, affunde ſp. vini tartariſati juſtam quantitatem guttatim, pone in cellam & prodibunt cryſtalli, quas exime, iterum abſtrahe aq. regis & cum ſp. vini tartariſato, iterum fac ut antè, & pone in cellam & cryſtallos collige quamdiu prodibunt; cryſtallos omnes ſicca leni igne, affunde his ſpir. vini tartariſat. & digerantur per Menſem, poſtea deſtilla ex cucurbita & prodibit auri oleum, & verum potabile.

47. Quando flor. Sulphuris ſublimantur per ignem lentum, antequam flores ſublimantur, prodit aqua inſipida, volatilior quam ſp. vini, quæ licet inſipida, aurum ſolvit.

48. Fac Amalgama cum auro & Mercurio, exprime per corium, reſtitantem globum in corio tere, & in phiala, quæ aliâ phialâ tegatur & lutetur, pone ad lentum ignem per horam dimidiam, iterum terantur & digerantur inter illas duas phialas, hoc repete, uſque dum aurum in pulverem impalpabilem abeat. Hic pulvis cum recenti Mercurio miſceatur, terantur, digerantur lento igne, hic labor additione, tritione & digeſtione novo Mercurio

curio toties repetatur, uſquedum totum aurum in Mercurium ſit reductum, & omnia per corium tranſeant, hoc facto, Mercurius hic aureus digeratur in tigillo tecto in lento calore tamdiu, ut cuticula aurea ſupernatet, quam collige, & iterum digeratur, iterum cuticula colligatur, repete, quamdiu cuticula prodit, hæc eſt ſulphur ſolis, ſuper quod funde ſp. vini tartariſat. vel ſp. vini ab urina deſtillata vel ſal. cornu cervi deſtillat. & habebis aurum potabile.

49. ℞. Vitrioli leniter calcinati, deſtilla ſpirit. ex capite mortuo cum proprio phlegmate ſal extrahe, hoc ſal proprio ſpiritu impregnetur, fixum fiat volatile & fiat ignis adeptus.

2. ℞. Spirit. aceti, hunc impragna proprio ſale aceti, ſive ſuo tartaro, fiatque ignis adeptus.

3. ℞. Ignis adepti ex Vitriolo ignis adepti ex aceto, miſce & circulentur, adde Mercurium ſolis per Vitriolum Veneris ſublimatum, digerantur, adde calcem ſolis ſubtiliſſime præparat. ℥ß. digerantur.

50. Ol. Solis quo Pariſiis cancer exulceratus, item ulcera Gallica aliquoties curata ſunt, citante Digby in experimentis ſelectis chymicis Germanicè in 8. editis Hamburg;

℞. Sp. ſalis part. ij. ſpir. nitri p. 1. ſolve in illis aurum, humiditatem lentè deſtilla in Mariæ Balneo, uſquedum aurum inſtar ſalis remaneat, deinde aëri expoſitum in liquorem ſolvatur, deſtilletur & ſolvatur novo menſtruo ſæpius, dum non amplius in ſal ſed forma olei ſeu liquoris conſiſtat.

In hoc liquore tingatur penna & cancer circa labra ulceris illinatur, quo Monſieur Belieur aliquot cancros deſperatos ab aliis Chymicis derelictos, intra 15. dies ſanavit, p. 210. libr. citat.

51. Ol. Vitrioli à ſacchar. Saturni minio, lithargyr, ceruſſa vel Saturno factum & deſtillatum dat ol. vitrioli dulce ſolem & lunam ſolvens p. 524. Bech. ☾.

52. Willis p. 59. liquor ex fuligine calcem ſolis in tincturam reducit.

53. ℞. Pulv. Vitri Antimonii ſubtiliſſimè pulveriſatum affunde ſuccum ex immaturis uvis, digere per dies aliquot in alembico bene forti, luto mutato, deſtilla ſuccum, & adde duplum ſacchari, irrorentur ſpiritu aceti, & deſtilla per retortam, ol. rubicundum, quod cum ſp. vini clarificetur.

Huic oleo adde parum de ſp. ſalis & habes liquorem, qui ſulphur auri extrahit, manente corpore albo; Aurum prius per aq. regis eſt ſubtiliandum & per alembicum trahendum, ſeu ut aſcendat cum aq. regis per alembicum. Vid. Baſil. in curru triumphali p. 37.

54 ℞. Amalgama Jovis ex p. iij. Jovis & Mercurii p. v. Merc. præcipitati quantum priora duo ponderent, terantur, pone in retortam & deſtilla in recipien-

pientem, qui in Aqua ventre ſuo decumbit, per gradus ignis deſtilla & prodit liquor, & deinde ſpiritus fumans, qui ſpiritus cum auro præpar. deſtillatus, aurum ſecum trahit, cum quo parum totum vitrum aquæ in lapidem cryſtallinum mutatur. Vid. Autor. ſol ſine veſte p. 33.

55. ℞. Sachari, quantum placet, adde folia ſolis, quantum vis, tere per aliquot horas, affunde ſp. vini & extrahet tinct. quæ verum aurum potabile.

56. Fol. auri in mortario chalybeato per menſem trita continuò, & poſtea per retortam deſtillata, dant liquorem, qui cum ſp. vini extractus, dat aurum potabile.

57. Aurum odore plumbi teritur, poſteà calcinatur & tinctura extrahitur.

58. ℞. Spir. ſalis ℥j. vel q. v. adde olei Saturni deſtillati guttas aliquot & folia auri ſolvantur in vola manus, deſtilla ad tertiam partem, abſtrahe ad medias, iterum affunde aquam, & deſtilla ut prius, donec liquor remaneat inſipidus, qui erit aurum potabile.

59. Vitrioli Martis & Veneris facti cum oleo vitrioli, affunde ſpir. ſalis cum 2. part. butyr. Antimonii, & ſolvuntur cryſtalli, in hoc ſpir. ſalis, etiam ſolve aurum, conjunge ſenſim & affunde ſpir. ſalis hunc ſolarem guttatim, poſteà deſtilla. Hic ſpir. ſolvit aurum radicaliter vid 806. Becher.

60. Spir. è ſilicibus deſtillatus, facit verum aurum potabile, ſolutio prima eſt viridis. Aurum primo ſolvendum ſpiritu nitri & ſalis.

61. Mercurius carbonum tritorum beneficio in Aq. facile redigitur, quæ certo artificio auri animum extrahit 304. Hecat. Chym. Vol. 4.

Dn. D. JOHANNIS BAPTISTÆ WENCKH,

Com. Pal. Cæſar. Incl. Statuum Ducatus Styriæ Medici & Phyſici Græcenſis, Acad. Nat. Cur.

DISSERTATIO PHYSICA:

An in Concavitatibus corporis noſtri ſit Lux, an Tenebræ?

AD PERILLUSTRES VIROS,

Academiæ Leopoldino-Cæſareæ Nat. Cur. Præſidem, & Ephemeridum Directorem.

VIx in ampliſſima theatralis mundi ârea eſt vel nobilitate illuſtrius vel antiquitate celebrius monumentum, quod aſpicientis oculi ſuſpendat aciem violentius, illiciat pupillam vehementius, affigat palpebram ſtabilius, quam radioſa coruſcæ lucis facies, emblema Deitatis. Eſt primum inchoabundæ Univerſitatis exordium, quid eſt vetuſtius? immaculatum divini vultus ſpeculum, quid eſt lucidius? pulcherrima Creatricis Omnipotentiæ Porphyrogenita, quid eſt fælicius? perpetuum tenebrarum exilium, quid eſt utilius? ſi hujus genitorem indagas filiæ, eſt Dei uterus; ſi primam ſororis parvulæ nutricem inveſtigas, eſt uber Providentiæ, ſi prima cunarum inquiris incunabula, eſt nitidiſſimus aquarum thalamus, quo ſuper ferebatur ſpiritus Domini, quando Pſalmographi teſtimonio tenebroſa aqua in nubibus aeris incumbebat montibus (Pſal. 17.) Dixitque Deus Gen: 1. Fiat lux & ocyus ad primum oris ac verbi ſonum, ad primordiale eloquentis Patris effati Verbi, & reſonantis ſpiritûs proloquium, dicenti Triadi clariſſima à concavis æternitatis montibus reſpondit Echo, facta eſt lux in qua ignara mali bonitas ut reluceret, diviſit lucem à tenebris tridigitalis dextera, ne cryſtallinus intemeratæ lucis candor in ipſa dierum omnium Aurora Eclipſin pateretur. Telam dixeris vel virginalem potius gignendæ univerſitatis αμνίον & χορίον, non alijs quam Creatricis omnipotentiæ manibus in fæcundato latentis,

tis, nihilo utero extenſam, in qua divinus Conditor vivaciſſimis coloribus ſuæmet umbram pulchritudinis idæavit; & putabisnè ultra idæatam à delineato Numine humanæ molis imaginem, ſic delineatam à foris ut inter abdita, recluſi corporis cubilia caliget? an leviter ſuſpicaberis hanc nobiliſſimam inanimati orbis gratiam, animantium Principi, animato mortalium corpori aut denegatam penitus, aut parco nimium infuſam halitu, externam membrorum ſeriem aſpergere, interiorem ſimetriam non adornare? coruſca fax! præclara lex! ſucciſa vox! avita lux! & fulget in nocte ut tenebras pellat, & ſplendet in die ut nubes diſſolvat, & claret in ſtellis ut cœlum illuſtret, & nitet in aquis ut fluctus demergat, & hæret in terris ut campos fœcundet, & viret in ramis ut fructus evellat, & calet in membris ut venas illuſtret, in opaco concluſi corporis concavo fulget ut umbras diſperdat, hæc in occultis coagmentati ſanguinis fibris illuſtrat ſanguinem, irradiat ſpirituum voraginem, & interiorem hominis oculat rempublicam ne caliget. Inſpice, ſi curioſo libet animo, ſi ſtudioſo genio arridet; Inſpice, ſed Aquilinâ oculatæ mentis acie, non cæcutiente caligantis ignorantiæ pupillâ radioſam ſereniſſimæ lucis faciem; vel ſi experiri ambis medicum, totam vaſtiſſimæ regionis amplitudinem, univerſam tenuiſſimæ molis ſtatuam, anatomicâ ſubtilioris intellectus indagine exenteremus. Videbis non radios, ſed radiorum umbras, nam illi ſubtiliſſimis ſuæmet claritatis fulgoribus, defixos corporum oculos excæcant; adeo ſcilicet inimicantur corpori, ut quidquid eſt corporeum, dum penetrare neſciunt, declinent. Adeo præclara hæc radiorum puerpera, lux corporea, corporeis incluſa finibus, ſuum vix non quandoque excedit confinium, ut ſpiritum accedere à corpore recedere videatur. Putas ſine myſterio effatur ſapiens in Proverbijs: ***Lux Oculorum lætificat animam*** Prov. 15. v. 30. ut vetuſtiſſimam ſereniſſimi luminis Parentelam cum ſpiritu violentum exoſæ affinitatis nexum cum corpore manifeſtet; eſt lux (nec enim diffiteri licet) eſt corporis illicium, ſed animæ delicium illius area, iſtius orbita, illius advena, iſtius incola, illius hoſpita, iſtius hoſtia, illius fimbria, iſtius faſcia, illius gratia, iſtius gloria, illius infula, iſtius laurea, illius purpura, iſtius regia, illius transfuga, iſtius pronuba; eſt lux oculo oſtium, animæ organum, oculo faſcium, animæ oſculum, oculo debitum, animæ prœmium, oculo vinculum, animæ ſymbolum, oculo labium, animæ baſium. Illuminat ſed oculum, lætificat ſed animam, corroborat, ſed oculum, exhilarat ſed animam; exſatiat ſed oculum, exſtimulat ſed animam, conciliat ſed oculum, nobilitat, ſed animam Et adhuc ambigis lucem ſpiritibus conjungi, quæ carni jungitur; adhuc ne dubitas inter abdita viſcerum concava, inter condenſata coagmentantis cerebri cubilia, illuminari à luce ſpiritum, quæ

neque corpori ſuam ſurripit pulchritudinem, aut ſuam ſubtrahit claritatem. Putas, ſine principio ſapientiſſimus intonuit Siracides, obſcurum de lumine proloquium, clariſſimum lucis elogium, irrefragabile æternaturæ veritatis argumentum, *Lux DEI Veſtigium Ejus Eſt* (Eccl. 50. v. 31.) pedem ſi cernis in veſtigio, videbis DEUM pariter in lucis iconiſmo; ſi veſtigium eſt ambulantis indicium, eſt lux non diſſimiliter latentis DEI velamentum; ſi veſtigio patet calcaneus, in venuſtiſſimo lucis umbraculo DEUS abſconditum ſe manifeſtat. Sed dices forſan in puncto non coarctatur linea, in palmo non conſumatur ſtatua, in umbra phœbus non volitat, in nube Auroræ machina non coruſcat; lux hæc corporea non eſt divinæ lucis anima; ſed tamen æmula: Lux hæc corporea non eſt divinæ lucis unigena, ſed tamen filia: Lux hæc corporea non eſt divinæ lucis ſemita, ſed tamen eſt pediſſequa; Lux hæc corporea non eſt divinæ lucis amaſia, ſed tamen ſatrapa; Lux hæc corporea non eſt divinæ lucis ſyngrapha, ſed tamen ſyllaba. Habitat DEUS non diffiteor lucem, ſed penitus inacceſſibilem, quid enim corpori cum ſpiritu, quid limiti cum finis neſcio, quid creaturæ cum ſuo Numine, quid luci ſyderum, cum ſole Juſtitiæ extra analogiam nominis eſt commune? hoc planè quod Ideæ cum imagine, quod effigiato cum effigie, quod DEO cum Deitatis indice, quod corpori cum umbra corporis, quod animæ cum animarum ſimilitudine eſt commune. Lux non eſt ſpiritus ſed ſpiritum accedit; Lux non eſt anima, ſed animæ ſuccedit, cur ergo animalem ſpiritum non illuminet, in obſcuratam illius faciem ad inſtar primi luminis, ſuæ lucis ſpiraculum non inſufflet? Concludite Philoſophi ex ſimilitudinum enthimemate, veritatis conſequentiam, ſtatuite Celebres medici ex præambulis delineatæ lucis laudibus, perennitatis aphoriſmum; deſumite elogium à ſymbolis, ſubſcribite epigraphen infallibilitatis; Dum ego interim ut luci luceam validioribus argumentorum radiis prælucebo.

Eſt igitur ſed non exiguum inter Philoſophos & Medicos diſcutientis ingenij argumentum, ſuo non deſtitutum argumentorum molimine, ſua fundatum baſe, num inter abſcondita humanorum corporum concava, inter abditas pulmonum alas, in deciduis oculorum ſcrobibus, in remotiſſimo cordis gremio, in ſinu hepatis, in cerebri ventriculis ſuam ſerena lux accendat lampadem & ſuæ inimicas claritati tenebras expellat? Adhæret Lumini Illuſtris Avicenna lib. de vir. Cord. cum Galeno Principe non ſine aſſeclis, quorũ hæc eſt ſententia. Cum Author luminis, Deus Conditor, & fida hujus Numinis pediſſequa ſubſimilis natura concavitates has exſtruxerit, videtur certè injurium ordinatrici iſtius Providentiæ, easdem vacuas in tenebris, quæ privativa ſolùm ſunt vacuitas, derelinquere. Hinc ſcribit Avicenna Deum ſiniſtram cor-

dis

dis concavitatem fabricaſſe, ut foret ſpiritûs armarium ſuæque alvearium generationis. Infer Philoſophe ergo primum proſilientis ſpiritus principium, originalis ejusdem regio, illuſtris hujus accolæ patria eſt ſiniſter cordis ventriculus, exinde velut è domo ſyderum hæ luminoſæ ab igne ſphærulæ inter præcipuos humani microcoſmi circulos diſperguntur, à quorum flammulis tota totius corporis regia accenditur ut ardeat, illuminatur ut clareſcat. Sic fermè diſſerit citatus Protomedicus Cap. 2. de vir. cord. & concludit ſpiritus eſſe ſubſtantiam luminoſam; quid clarius niſi cæcutias? quid viſibilius, ni viſu careas ad videndum? proſequitur à viſivo ſpiritu deſumens paritatem, dum eum lucis radium compellat, quem ſi ſpectanti immittas animæ, exultat velut oculus ad auream orientis Auroræ faciem, ſi ſubtrahas illi conſimilis velut ad deciduum diei obitum contriſtatur.

Reſpice qui huic diffidis ſimilitudini proſpicientem ex animalium oculis latentem animum, & naturalem aſſertæ veritatis indicem videbis, volve hiſtoriarum Tomos & leges parem in homine conditionem. Prælegent auſcultanti ſi legere gravaris Svetonius &c. adeo perſpicacem Tiberii Imperatoris oculum, adeo Marci Antonii pupillam fuiſſe lynceam, ut ſingula quæ luderet in tenebris nocturnis hyſtrio, diſtinctè cerneret, diſcerneret accuratè, Dic obſecro ſi credis atteſtanti, an ſine luce obſcura viderint in tenebris an noctem ſine vicaria diei luce potuerint fugare vel fugere? ſplendentem videbant ad lampadem, ſed cui alius niſi in corporis concavo modius non ſuppetebat, quam alia niſi ſpirituum claritas non illuſtrabat. Exhilarat hujus ſecreti luminis candor ad affabilem amicæ converſationis hilaritatem quo copioſior eo jucundius, quo moderatior eo ſedatius; dum è contrario ſuâ cum tenebroſâ nigredine atra bilis totam hilaritatis obfuſcat faciem, omnem exultantis animi proſcribit amœnitatem. Intuere ſi lubet terrificam hypocondriaci Morionis faciem, & in tetra execrandi vultus imagine aſpicies tenebroſam caliginem, exilium ſerenitatis.

Adſtipulatur Galenus Princeps lib. 2. &c. de ſympt. cauſis cap. 7. lib. 3. de locis affect. cap. 7. dum mœroris originem omnem, timoris ſcaturiginem quæ crudeli nimium tyrannide invaſam torquet animam, in ſpurium atræ bilis uterum refundit; quæ univerſam mentis & corporis aciem ſic hebetat, ut diem in noctem vertens, clariſſima vix videat, invideat videnti, terretur umbris in meridie infœlix animus, fingit in luce tenebras, licet quid timeat ignoret. Sed jam ad ſolidiora inquilinæ lucis veſtibula procedamus.

1. Illud evadit lucidum, quod ſuam à lucido habet progeniem; illud lumine ſum conſtituitur, quod à conſtituente lumine procedit, ſed humanum corpus inhabitantes ſpiritus conſtituuntur à lumine, ergo evadunt luminoſi. Minorem

norem Sagax Sennertus docet dum ſpiritum ex aere & puriori ſanguine demonſtrat generari; Subſume Philoſophe, ſed aer eſt participium luminis; concludе neceſſariò, ergo & aerei ſpiritus à lumine conſtituuntur, ſecundum ut probes argumentum, ſuppone medium à ſuo ſpecificari termino, illud ſuam ab iſto eſſentiam emendicare, hoc ſic ſuppoſito argumentor. Vitales & animales ſpiritus ſunt lucis medium ergo & lucidi. Si antecedens negas, probo evidenter lux lucidiſſima eſt vitalis anima, ſed hæc mediante vitali ac animali ſpiritu nectitur ac invehitur corpori, ergo hi ſpiritus ſunt lucis ſeu medium ſeu vehiculum.

Ad Tertium procedo. Sicut ſuperius in macrocoſmo eſt, ſic eſt inferius in microcoſmo, ſed illud ſemper eſt lucidum, ergo & iſtud eſt luminoſum. Major irrefragabilis Hermetis eſt ſententia, quam ſuâ in Smaragdinâ tabula demonſtrat; ſed tu ſi ambigis attende rationem. Non minus quod eſt ſuperius in macrocoſmo quam quod inferius eſt in microcoſmo rotatur circulo & per continuum continuæ circulationis motum conſervatur; gradatim vero per ſubtiliſationis energiam donec ſcilicet ſubtiliſentur attenuati ſpiritus in lucem quemadmodū informis aër â primâ regione attenuatur ſubtilius, donec in tertiam evadens evadat aer, non diſſimiliter poſt chylum ſucceſſivâ graduatione in purum ſanguinem, ex ſanguine in maſſam luminis evadit ſpiritus.

Quarto. Adjunge, quod hi ſpiritus conicidant cum aere vitali, ſed iſtum non negabis lucidum, ergo & illos aſſere luminoſos. Primæ propoſitionis ſi negas veritatem, ſimpathiam inſpice, ne in lumine caliges; alioquin unde tam mutuus conſpirantium cum aere ſpirituum conſenſus? ut dum iſte denſâ obducentis nebulæ involvitur ſpiſſitudine, iſti evadant turbidi & penè temulenti. Eſt ſcilicet irrefragabile Ariſtotelis aſſertum, ſimile ſibi ſimile in natura parturit, & natura naturam conſervat.

Quod ſi Philoſophorum teſtimonio forma nunquam conſtituit informe vel difforme, attende vitalium ſpirituum formalem propaginem & à pulcherrima lucis forma non niſi lucidos fateberis emanare. Humor cryſtallinus hanc format ſobolem, ſed nunquid diaphanus iſte uterus effundet tenebrionem? nunquid hæc ſereniſſima candoris puerpera caliginoſam progerminabit faciem, vel ſpuriam ſobolem enitetur? Adde quod ſæpe citati ſpiritus proprietatibus lucis polleant, ſed proprietas participat naturam eſſentiæ, ergo ſi lux eſt lucida (quod niſi tenebrarum filij negare nequeunt) hi ſpiritus ſint lucidi eſt neceſſe. Si revocas in dubium, num lucis proprietas ſit in vitali & animali ſpiritu, puriſſimum trutina ſanguinem, ex quo conficitur, & hunc lucem imbibere, claritatem ſapere, ſpirare radios invenies, quod quia proprium eſt lumini cruorem eſſe lucidum & inde exſilientes ſpiritus luminoſos evadere

infer-

infertur. Sed amabo anne lucem igni negandum judicas, an flammam eſſe fulgidam ignoras? ignorat ſolus ille, qui cœcutiens in caligine quid ignis quidque lumen ſit, non aſpexit; ſed dic ulterius cur ignem dicis lucidum cur aſſeris fulgentem? nonne quia ſubtilitate præeminet, aſſurgit levitate? quid enim ſalit in altum citius quam ignis flammula, quid evaneſcit levius in auram? hâc planè prærogativa vitalis animaliſque gaudet ſpiritus, quo nihil agilius, nil ſubtilius reperitur; tenuiores invadunt arterias, penetrant venulas, poros tranſiliunt chylum involant, corpus pervolant, ubique permeant, & evadunt.

Quid ſi celebrioris Stagyritæ teſtimonio actiones in ſuppoſitis lucidis & activis ſunt, reſponde ambigens Philoſophe, ubinam vitales & animales ſpiritus activiores ſunt quam in ſuppoſitis in ſubjectato corpore quod calefaciunt ut æſtuet, inflammant ut ferveſcat? Certè ſi concentrante tenebrarum occludentur carcere, forent tunc mortui, non activi.

Adjungam aliud forſan vivacius argumentum. Illud eſt lucidum quo poſito lux exſilit, ſed hæc appoſito exſilit ſpiritu, ergo hic lucidus eſt. Si de minori dubitas, indubiam majorem judicans, dic, nunquid poſito vitali ſpiritu ponitur animatio & ocularis viſio, deficiente ſpiritu hæc quoque defuit, vide quid inferas dum hoc fateri cogeris, & tenere?

Confirmat eorundem ſpirituum ſubtilitas, nam ſubtiliſſimæ qualitates in corpore ſunt lucidæ, cum lux extra ſubtilitatis ſphæram evaneſcat. Præterea hi ſpiritus ſunt reſolubiles in lucida principia, ſunt ergo lucida progenies, quam evaporationes Diaphanæ exhalationes perſpicuæ eorundem Principia componunt.

Sed ſolve dubium, reſolve quæſtionem adverſarie, nunquid cui connaturalis eſt ignitio ejusdem naturæ competit eſſe lucidum cum ignis ſuapte natura eluceſcat? eſt autem vitali ſpiritui ignitio connaturalis, ergo & eſſe lucidum eſt naturale.

Eſt tritum canæ antiquitatis, eſt antiquiſſimum tenellæ juventutis elementum; Nemo dat quod non hat; cum ergo vitales & animales ſpiritus humano corpori dent eſſe lucidum, hoc prius habeant eſt neceſſe. Dant certò lucem corpori dum graduatione mirabili chylum in lucidam convertunt materiam, ut ſubtiliſatus luceat & ardeat inflammatus.

Et undè quæſo denominatur vitalis ſpiritus, niſi à vita quam poſſidet, ſed hæc eſt lucida, ergo & ſpiritus hac vita vivens lucidus ſit oportet. Vitam ſi dubitas eſſe lucidam, Sennertus ſuâ probabit authoritate, probat & ratio; Principium vitæ in homine eſt anima, hanc eſſe lucidam ſi rationali animâ

es præditus non negabis, nam quod immateriales effectus parturit, quod intellectuales partus edit eſt lucidum, eſt luminoſum.

Cur adamas eſt lucidus, vel undè nanciſcitur fulgorem? non niſi à ſole lucido, cur lucent mineralia inter obſcura latentis terræ concava niſi quia lucem ſolis participant; quam quia magis vitales ſpiritus imbibunt magis hos eſſe lucidos, eſt aſſerendum.

Sed age, Experientiæ magiſterio ſubſcribamus, cur vel quid deficit dum corruis deliquio enervatus? quod deficit eſt ſpiritus, cur deficiat iſta eſt ratio, quia lucere deſinit, ardere intermittit, quo rurſus radiante vitæ ſplendor irradiat & coruſcat.

Quod ſi ignis ſubtilitas vel lucem indigitat vel cauſat, cur ſimilem effectum neges ſpiritui, qui igne eſt ſubtilior? Si ignis ideo eſt lucidus, quia eſt calidus, cur ferveſcentem ſpiritum pariter eſſe lucidum negemus.

Quamdiu calor æſtuat in corpore tamdiu inhæret anima & vitam tribuit; Calorem auferens, lucem aufers; ergo quod calere corpus facit, lucere facit; ſed ſpiritus dat corpori quod caleat, ergo quod luceat, procurat. Et nunquid continuus circumcurſitantium motus ſyderum lucere facit ſidera, quorum ſi plura cogis ſiſtere, cogis & lucem perdere? quid autem humani corporis circulationem agitat niſi vitalis ſpiritus, cur igitur non ſit lucidus, cum motus non tantùm circularis ſit ſed etiam vitalis.

Verum diſcutias (ſi lubet antagoniſtam agere) per quid influxus ſiderum ad animales ſpiritus terminatur? ſi luculentius inveſtigaveris, reperies, id fieri per claritatem luminis, per influentis radij fulgorem; cur ergo iſte non irradiet ſpiritum in quem influet cur non capacem luminis illuſtret?

Hinc eſt quod Clariſſimus Maur. Hofmannus hos ſpiritus vitales flammas, nuncupet, quæ radiando æſtuant, irradiant æſtuando; Eſt virtualis in igne lucido potentia incinerare ſtipulas; eſt virtus vitalis ſpiritus conſumere humores, igne & lumine, ardore & fulgore.

Helmontius, formam vitalis ſpiritus vitalem lucem nominat, quæ quia luci vitam ſociat, luce eſt luminoſior vel ſaltem nobilior lumine inanimato.

Appone lampadi digitos & intueberis lucidos ob Diaphaneitatis excellentiam quæ ſuam à vitali ſpiritu trahit originem, continuat fulgorem.

Igneus radioſi ſolis uterus eſt vitalium matrix ſpirituum, qui accedente aeris flamine per inſpirationem ſenſibilem & inſenſibilem generatur. Proinde quid

quid vetet eſſe lucidos, luminoſos aeris filios, & primi in aſtrorum republica Principis ſoboles?

Quod ſi ad fœcunditatis efficaciam non ſola ſufficit anima, ſed etiam in ſeminis vehiculo illuminati requirantur ſpiritus; cur ergo non ſint lucidi? hinc vivacioris luminis defectus in ſenibus nimium humidis, ſterilitatem protrudit, & impedit fœcunditatem.

Certè ſi in humani corporis republica lux radiat, hæc nobiliorem irradiabit partem, quæ quia vitales & animales ſpiritus ſunt, hi ſuo non privabuntur lumine, ne ſibi debita deſtituantur proprietate.

Sed nunc à radioſo argumentorum meridie ad occiduam concluſionis veſperam divinum commendatæ lucis enchyridion inclinat; non tamen ita ut inter umbras non luceat, inter opaca humani corporis concava non ferveat, non fulgeat, non candeat, non clareſcat. Iſtam non ſtudioſam nimium lucidiſſimæ veritatis concinnavi Apologiam; ſic adverſarios virginea lucis lampade invadens, ut ſapientum monſtraverim ſententiam, non adverſariam diſſentientium ingeniorum offenderim eruditionem. Et quia ſapientibus ſcribo, non præſcribo, ipſos Illuſtres lucis æmulos, meæ ſi non aſſenſuros, ſaltem ariſuros opinioni confido. Unum illud à meis defenſæ veritatis æmulis efflagito, ut oblata rationum pondera in pacatæ rationis trutina appendant, veritatis ſtateram trutinent, & appenſam cum tenebris lucem æqua librantes lance diſcutiant, nec iſtius excellentiam cum viliſſima illarum inanitate confundant. Videbunt certè (ni intuentium oculus caliget) in vena ſanguinem, ignem in ſanguine, ardorem in ſpiritu, fulgorem in ardore, videbunt in vita radium, in cruore ſpiritum, & lucem in calore.

Sed ulteriùs me explicare liceat, cum inſolens paradoxum Quæſtio hæc videatur: An in corpore humano ſit lux, vel tenebræ? quis enim mortalium ſuo eouſque introſpexit viſu, ut hanc terræ molem ſuis oculis luſtrare valuerit? hic certè Argus cœcutit, perſpicax quantumvis Aquila, noctua eſt, Lynx ipſe exoculatur, ſoli intellectuali oculo hic microcoſmus pervius eſt, cujus proindè intellectus curioſitate (curioſa enim delectant, curioſis ſcientia medica excolitur, exculta mirè perficitur) huic dubio reſolvendo me accinxi, & indubitatè præhabita matura deliberatione concludo: In corpore humano, in partibus ſcilicet principalioribus, eſt lux, quæ conſiſtit & oritur ex irradiatione ſpirituum: Quod ut eo perſuadeatur efficacius, certò ſuponendum eſt, ſpiritus eſſe corpora lucida; hinc à doctiſſimo Helmontio de aura

ſpirituali pag. 728. Luces iſtæ ac formæ vitalium ab Hoffmanno Viro de re medica optimè merito, Flamma vitalis vocantur: & non ſine fundamento, eſt enim lux paſſio & affectio neceſſariò annexa vitæ & ſanitati ſpirituum, undè ſicut paſſio neceſſario annexa eſſentiæ, non poteſt tolli ab illa manente eſſentia etiam per divinam omnipotentiam, ut patet in anima rationali quam Deus non poteſt creare ſine viſibilitate, ita etiam ſpiritus non poſſunt eſſe ſine luce, undè debilitata hac luce, ſpiritus infirmantur, illaque membra vel partes, in quibus anima mediantibus his ſpiritibus ſuas exercet actiones vel ſenſationes extincta verò omnino hac luce, evaneſcunt ſpiritus, & cum ipſis vita. Hoc ſuppoſito, probatur,

I. Ex naturali antipathia & contrarietate lucis ad tenebras juxta illud, quæ cohabitatio lucis ad tenebras: enim verò de intrinſeca & conſtitutiva ratione contrariè oppoſitorum eſt, quod ſe ab eodem ſubjecto mutuo expellant, ſed lux & tenebræ opponuntur contrarie privative, ergo ab eodem ſubjecto ſe mutuo expellunt, conſequenter ſubjectum in quo ſubjectatur, vel cui ineſt lux, non poteſt eſſe tenebroſum: ſubſumo, ſed ſpiritus ut ſupponitur, ſunt corpora eſſentialiter lucida, & inſunt corpori humano, ergo in corpore humano datur lux orta ex irradiatione ſpirituum, cui haud ineptè optima abſconditorum propalatrix & probatrix natura ipſa, naturali infallibilique ſuo dictamine ſuffragatur, ex cujus proinde inclinatone

Secunda probatio deſumitur; nam omnis homo ſanus naturali inſtinctu tenebras horret, averſatur, & propterea homini tenebræ ſunt pœna, maximè enim dolet & ægerrime fert dum carceri tenebroſo includitur, diem e contra, dulcemque lucis uſuram, tanquam rem nobiliſſimam, amabiliſſimam, jucundiſſimamque (cujus beneficio vivit) amat, calidiſque in votis tenet. Item omnes homines, maximè pueri, tenebras & ſpectra, quæ ſpiritus ſunt tenebrarum, horrent offenduntur, & Epileptici fiunt, ſed hoc non ex alia cauſa, quam ob mutuam actionem & antipathiam lucis & tenebrarum vi primævæ ſeparationis ab invicem & ſpirituum qui habent luciditatem, ergo ſignum eſt quod ſpiritus per ſibi connaturalem lucem illuminent corpus: quod autem homo melancholicus tenebras amet, tenebroſa quærat & ſolitaria, & in cryptas & ſepulchra anguloſve abſtruſos ſeſe proripiat, oritur ex tenebroſitate ſpirituum, qui præter naturam ſuam atris obducuntur variarum imaginationum, affectionumque nubibus, non tamen omnino obſcurantur, ſed eorum lux debilitatur parum vel multum, pro intenſione vel remiſſione melancho-

liæ

liæ, ſpiritus enim, approbante optima omnium magiſtra experienta infirmi ſunt, qui melancholici plerumque languidi, debiles & in omnibus actionibus tædioſi ſunt, nam ſpiritus condenſantur & paulatim extrema deſerentes ad interiora ſe proripiunt, ſeſeque ibi concentrant, haud ſecus ac ſpiritus vini in dolio vini frigore congelati ſe contrahit & in medio ſe concentrat.

Tertiò: Ex admirabili harmonia quæ eſt in tota rerum natura, & inter creaturas, quam non minus ingenioſè quam ſubtiliter Hermes in tabula ſua Smaragdina nobis adumbrat, dicens; Superius eſt ſicut inferius, & inferius ſicut ſuperius: & non immerito, omnia enim naturalia ſuperiora cognoſcuntur per inferiora, & hæc per illa diſcernuntur, illisque quantum ad effectus ſuos adaptantur, dummodo totum quod habent ab illis acquiſiverunt, cum ergo ſpiritus in corpore noſtro exiſtentes ſint quædam quodammodo ſcintillæ, quidam partus & effectus ſpirituum corporum ſuperiorum & cæleſtium, illique his ſuum imprimant & influant effectum proportione tamen ſervata & attenta uniuscujusque natura, ſignum manifeſtum eſt, quod ſpiritus noſtri, qui capaces ſunt effectus primarij ipſorum ſcilicet lucis, hanc diffundant, & diſpergant per corpus cui inſunt, cum ergo radij aſtrales neceſſariò corpus quod contingunt irradient, illuminent, etiam ſpiritus noſtri corpus noſtrum irradiabunt & illuminabunt.

Quartò: Ex fine ſpirituum noſtrorum, qui eſt quod ſint vinculum animæ, & corporis, illaque duo extrema & maximè inter ſe diſſita, totoque cœlo diſtincta ita conjungant, unumque alteri ita adaptent & proportionatum reddant, ut ad inſtar gratioſiſſimorum hoſpitum & amicorum ad invicem commorentur, quod autem præſtari nunquam poteſt, niſi irradiatione & luce ſpirituum, cum in hoc conſiſtat ſanitas & vita illorum, ex quo, luce clarius, meo exiguo videri patet, quod ſpiritus noſtri irradient corpus, & conſequenter quod ſit lucidum, alias ſpiritus eſſent fruſtra; quidquid enim caret fine ſuo ad quem ordinatum eſt, fruſtra eſt; DEUS autem & natura nihil faciunt fruſtra: Nec refert contra objicias hanc lucem non videri, conſequenter non dari, Reſpondeo, nego conſequentiam; ſic enim de nocte vident quadrupedes, & tamen nos non videmus ex indiſpoſitione noſtri ſenſorij ad capiendam iſtam lucem, nos enim de nocte lucem non videmus, vident tamen noctuæ, feles, Canes, Equi &c.; Item ſunt homines qui ad lucem candelæ non autem ſolis cœcutiunt, adde quod lux ſpirituum noſtrorum etiam quandoque videatur, ut patet in iſta contagioſa flammula exiens ex ore aut corpore contagioſi (de hoc vide Doctiſſimum P. Kircherum) quæ

non eſt aliud niſi ſpiritus contagioſo vapore circumdatus, item in fricatione oculorum & quando candela ponitur retro digitos &c.

En! Paucis probatam habetis Concluſionem meam, quam non parum confirmare & ſtabilire videtur congruentia partis affirmantis, & inconcinna incongruentia partis negantis, inconveniens quippe eſt & ferè imperceptibile, quod Benigniſſimus DEUS, in cujus operibus prælucet Clementia, nobiliſſimum ſui luminis & perfectionis Ectypon, animam ſcilicet rationalem, quæ poſt hanc vitam lucem ſecum inhabitabit inacceſſibilem, tam rigidè tenebroſo corporis ergaſtulo, tetroque carceri incluſerit, eamque per hoc vitæ tempus habitaculum tam obſcurum inhabitare decreverit. Quare Veſtro judicio hæc cuncta ſubjicio, ut ſi quid rationi conſonum judicaveritis, Veſtro quoque id calculo adprobare faveatis. Valete.

Dn.

Dn. D. CONRADI BARTHOLDI BEHRENS, PNEUMATOLOGIÆ MEDICÆ

PARS PRIMA

De *Spirituum finitorum exiſtentia.*

CUrioſa obſervatio *Dn. Vicarii* de quatuor viris à ſpectro interemptis memoriam promiſſæ alias Pneumatologiæ medicæ mihi revocat, cujus proin caput, de ſpirituum finitorum exiſtentia communicabo cum integrum tractatum digne abſolvere, alia impedimenta prohibeant, & magni viri conſultius judicent, per partes publice doctrinam hanc exponere, quæ tractatio erit morborum, qui à cauſis ſupernaturalibus exiſtunt ac foventur. Agnoverunt cauſas ejuſmodi in morborum productionibus omnino prudentiores medici, reſpexitque eò *Hippocrates in prænot. ab init.* dum conſiderandum ſemper monuit, an etiam divini quid in morbis ſubſit, id eſt an à ſpiritu aliquo morbus producatur, illatuſque ſit, ceu omnium optime vox hæc *à Zacchia Quæſt. leg. l. 4. p. 360.* ac *Conringio Epiſt. 29. de var. Doctrin.* explicatur. Neque enim cum *Joh. Heurnio in comm. ad Hipp.* ac *Helmontio tract. Ign. hoſp. morb. p. 498. & in ideis morb. p. 542.* fermentum aliquod ſeu malignum ex aëre communicatum, ſeu aliud naturale, ſenſibus tamen minus obvium, per τὸ θεῖον intelligendum arbitror, cum ſenſui Hippocratico ejuſmodi interpretatio maxime repugnet, utpote qui paulo ante de affectibus naturæ vires ſuperantibus locutus fuerat.

Non tamen de omnibus ejuſmodi cauſis ſupernaturalibus agere inſtitui, ſed iis tantum, qui à ſpirituum finitorum malignorum directione pendent. Hoc ipſum ut ordine ac ſynthetica methodo procedat, unumque caput ex altero quaſi fluat, ac quæ aſſeruntur, firmo nitantur talo, quædam de ſpirituum horum in noſtrâ Athmoſphærâ exiſtentia & operationibus contra Balthaſarem Bekkerum, notiſſimum ſcriptorem præmittenda: Hic enim ſpiritus poſt Lapſum à DEO ex mundo relegatos, inque infernum detruſos, æternisque illic vinculis ligatos detineri ſtatuit, ita ut in orbe amplius nihil agant, aut

effi-

efficiant, quod ipſum ſi ita ſe haberet, fruſtranea eſſet tota hæc inſtitutio. Ante omnia vero prius definiendum, quid ſpirituum nomine intelligatur, qui cum de eſſentia aut accidentibus corporis nihil participent, ceu in ſubſequentibus plenius declarabitur, neceſſe eſt, definiantur per conceptum aliquem, nullo modo in corpus ſeu materiatum quippiam cadentem, idque ex ratione oppoſitorum. Cum vero ejuſmodi conceptus nullus alius eſſe poſſit, quam actus aliquis intelligendi, ſequitur etiam, quod ſpiritus metaphyſici ſint ſubſtantia, actu intelligendi pollentes. Deinde cum quoque requiratur, ut ſpiritus atque corpora per prædicatum utrique commune, utriuſque tamen eſſentiæ ſimul conforme ſint ſubſtantiæ, id ipſum cum *Ill. Leibnizio in Act. Lipſ. ann. 94. p. 111.* non incommode niſum quempiam, vel vim activam vocaveris. Differt autem vis activa à potentia nuda ſcholis cognita, quod potentia activa ſcholaſticorum, ſeu facultas nihil aliud ſit, quam proxima agendi poſſibilitas, quæ tamen alienâ excitatione & velut ſtimulo opus habet, ut in actum transferatur. Vis vero activa actum quendam continet, ſeu ἐντελέχειαν, atque inter facultatem agendi, actionem ipſam media eſt, & conatum involvit, atque ita per ſe ipſam in operationem fertur, nec auxiliis indiget, ſed ſola ſublatione impedimenti. Atque uti dein ex literis ejus humaniſſimis intellexi, ἐντελέχειαν explicat per niſum, ſecurus an Ariſtoteles ſimiliter intellexerit. Corpori quoque niſum ejuſmodi, etiam ante extenſionem competere, ab eodem præclariſſime demonſtratum eſt *in Actis Lipſ. ann. 95. p. 145.* Cogitatio vero quid aliud, quam niſus quidam, & cogitationem quaſi antecedit niſus. Spirituum igitur finitorum eſſentia recte in niſu & intellectu finito collocatur, uti corporum natura in niſu & extenſione.

Ejuſmodi ſpiritus revera dari, quamvis ratio à priori forte demonſtrare nequeant, à poſteriori certe probatur argumentis imprimis quatuor, iiſque ab animæ humanæ exiſtentia, ſpectrorum apparitionibus, obſeſſorum energeia, ac denique oraculorum apud veteres prædictionibus deſumptis.

Animæ humanæ exiſtentia, ſeu quod idem eſt, ſubſtantiam quandam in corpore humano, à corpore tamen diſtinctam, nec corporei quicquam participantem, exiſtere, ex eo concluditur, quod principium illud rationale, quo exiſtentiam originemque noſtram cœleſtem cogitamus, ſcientias ſubtiliſſimas, artes mechanicas, aliaque interdum naturam rerum ipſam ſuperantia ac ſtupenda comprehendimus, corpori ſoli, utpote materiæ adſcribi nullo modo queat, cum hujus eſſentia, ut dictum, in extenſione tantum conſiſtat, nec cogitatio ejuſmodi alijs in corporibus deprehendatur. Spiritibus autem noſtris animalibus ſic dictis, eorumque per nervos ac muſculos determinato motui, occurſioni & colliſioni talem colligendi ac ratiocinandi

vim

vim tribui quoque non poſſe, exin patet, quod eoſdem cum brutis homo communes poſſideat, quæ illorum beneficio automata exiſtunt, id eſt inſtinctui & aſſuefactioni organorum ſenſoriorum parentia, cum è contra in homine ab intellectu dirigantur animales hi ſpiritus; Neceſſe eſt igitur cogitationem & ratiocinationem ejuſmodi ab altiori principio dependere, id quod erit ſubſtantia, à corpore plane diſtincta, ſeu quod idem eſt, ſpiritus aliquis finitus, cum corpore organico hominem vivum conſtituens, anima vulgo ſic dicta rationalis.

Alterum argumentum à ſpectrorum apparitionibus deſumitur. Talia quidem ſubinde fingunt ſibi pueri, ac melancholici, imprimis meticuloſi. Ex timoribus adeo fortiter pavere homines, ut delirent, ac Dæmones quosdam videre ſe putent ipſis infeſtos, quandoque nocte, quamdiu interdiu, jam apud *Hippocratem lib. de reb. ad virgin. ſpect.* occurrit. *Dimerbrokius Diſp. pract. hiſtor. 3.* meminit melancholici cujuſdam, qui dæmonem ſibi continuo à latere adſtare putabat, ejusdemque horrbilem figuram adſtantibus enarrabat ac mirabatur alios illum non videre, cum ſæpe proxime illi adeſſent. Quales illuſiones juvenis quidam hypochondriacus paſſus fuerit ſuperiori anno decuriæ hujus accuratiſſime recenſet *Dn. Merklinus.* Anno 1682. Lugduni Batavorum in Noſocomio Melancholicus quidam nil niſi de parvis nigris viris in ſuperiori hypocauſti tabulato obambulantibus, querebatur, ac ni ipſi conſentiremus, riſu & indignatione nos & Dn. Profeſſorem Schachtium excipiebat, cætera autem ſanus erat. Apud Doctiſſimum *Ettmüllerum in colleg. pract. Tom. 2 p. 952.* exemplum occurrit fœminæ vetulæ, per viginti annos cum dæmone rem ſeſe habuiſſe affirmantis. Enormes alias viſiones ac ſtupendas impreſſiones, in virgine quadam hyſterica narrat *Bauzmannus in miſcell. Curioſ. Dec. 3. Ann. 1. Appendice.* Sed, ut dixi, illuſiones ſunt, haut ſecus ac ebrii quandoque ſancte affirmant, viſa ſibi vel audita quædam, de quibus fidem nemini cordato unquam fecerint, exſtantque exempla hujus farinæ plura apud *Voſſium l. 1. Idolatr. c. 6.* Wierum de *præſtig. Dœmon. c. 8. Delrium l. 2. qu. 27 §. 1. p. 271. Goldſmidium in Morpheo. c. 4. §. 25.* Scilicet fortiſſimæ ipſosque ſenſus vincentis imaginationis is effectus eſt, ut accedente ſimul præconcepta opinione, animus à ſpeciebus rerum præſentium avertatur, tantumque attendat ad illam ſpeciem, quam forti imaginatione ſibi imprimit, eamque habeat pro ſenſu rei alicujus præſentis, ceu tamen non eſt. Accedit in melancholicis ſpirituum animalium craſſities ac ſegnior motus, qui incidentes in veſtigia olim impreſſa à cornibus tauri, pectore leonis, cauda draconis, varia à veſtigiis illis ad mentem reflectunt, unde propter celeritatem cogitationis mens hæc omnia conjungit, unamque ideam format, ut

cogitet ſe videre diabolum, ceu naturalem ejuſmodi repræſentationis in melancholicis modum, acutiſſimus *Waldſmidius in Colleg. pract. ad caſum 15. Timæi* rectiſſime explicat. Interdum etiam umbra propria in aere craſſo & rorido formata, pro ſpectro habetur, ceu exempla apud *Borellum cent. 4. obſ. 90.* docent. Aliquando phænomena aquea, ex vaporibus adſcendentibus combinata, ſpectra repræſentant, talis erat nympha, quæ anno 1615, Marpurgi prope molendinum Eliſabethanum conſpiciebatur, de qua judicium *Libavii in Ciſta Hornungi n. 71.* exſtat.

Spectra tamen, ſeu imagines ejuſmodi revera dari, & conſpicienda ſe offerre, omnino veritati conforme eſt, ut ſummo jure eum, qui fidem tot teſtibus denegat, cum *Dn. Vicario*, impudentem vocaveris. Et profecto, quod nec unius imaginationi, nec aliis rebus naturalibus adſcribi poteſt, ſed à pluribus perſonis deprehenditur, illud ipſum non de nihilo eſſe poteſt. Talia ſunt exempla partim à Doctiſſimo viro ſingulari ſtudio citata obſervatione congeſta, partim *à Lavatero l. 1. ſpectr. c. 12. Laſſenio Atheiſm. triumph. ſerm.* XV. *Goldſmidio in Morph. c. 5. §. 32.* recenſita, quibus addenda recentiora, venator ſcilicet cum cane & cervo, referente *Dn. Gökelio miſcell. Dec. 2. Ann. 4 Obſ. 27.* Uxor ruſtici ante octiduum ſepulta ex obſervatione *Dn. Ledelii in miſcell. Dec. 2. Ann. 6.* Spectrum Annæbergenſe in Miſnia paucos ante annos, quod attrectationibus frigidis, variis tumultuationibus, ignis excitatione, lapidumque projectionibus in ædibus Paſtoris illius Eliæ Zobelii, moleſtum erat, cujuſque ſtupendam hiſtoriam dictus vir publicis literis conſignavit. Spectrum Thetvvortienſe in Anglia, quod anno 1661. à medio Aprilis, ædes Mompeſſonianas importuna Tympanorum inviſibilium pulſatione, vaniſque ludibriis infeſtas longo tempore habuit, quodque anſam dedit *Joſepho Glanvillio* peculiare ſcriptum de eo conſignandi, quod *in Actis Lipſienſ. ann. 83 p. 317.* recenſetur. Spectrum Coburgenſe à laborioſiſſimo *Frommanno l. 3. de faſcin. part. 6. c. 7.* deſcriptum, præfectum quendam ſpecie uxoris ſuæ adhuc viventis deludens, & cum illo ædes ſubinde mutante, quoque emigrans. Spectrum Stokholmienſe in Suecia, mulieris à marito interfectæ, cui caput ſuum ſeu cranium diſciſſum de nocte oſtendenti, nobilis quædam matrona annulum impoſuit, qui dein in cranio cadaveris è ſepulchro extracto iterum repertus eſt. Hiſtoriam plenius tractat *Eraſmus Franciſci* in der Schaubühne *Tom. 1. p. 916.* Spectrum denique Hildeſienſe anno 1659. in ædibus civis cujusdam in anteriori Roſenhagen habitantis ſubinde apparens, in forma mulieris, nivea facie ac manibus, oculis parvis ac ſcintillantibus, modo panem carneſque pauperibus promiſſas, & mantile ad baptiſterium in templo urgens, ceu plures teſtes eo tempore in curia noſtra depoſuerunt.

Reali-

Realitatem porro ſpectrorum arguit, quod ad conſpectum eorum graviſſime plerique conturbentur. Epilepſiam in adultis, affectui huic alias minus obnoxiis ſubſequi, communis opinio eſt, unde & res naturalis, qualis eſt ignis fatuus, aliaque ejusmodi phænomena à ſpectris ita diſcernuntur, ut ad occurſum naturalium rerum non facile vir prudens terreatur, aut horrore vel rigore corripiatur; At ſi verum fuerit ſpectrum, non ſolum præternaturalis horror, ſed & ſumma cordis anguſtia etiam in fortiſſimis viris adſit. Juvencula illa, cujus *Fromannus l. c.* meminit, ſpectri facie & voce perterrita, triſtitiam inſolitam per aliquod temporis ſpatium paſſa fuit. Puer in citata obſervatione *Gôkeliana*, primum perturbatus, dein aphonus factus, convulſionibus graviſſimis per duos integros menſes die nocteque cruciatus fuit. Carolus VI. Galliæ Rex, occurrente ex improviſo & terrifica voce inclamante ſpectro, maniacus evaſit, diſtrictoque enſe in obvios ruit, referente Curioſisſimo *Imhoffio in Geneal. Gallic. p.* 30. Haut abſimile exemplum de ſartore quodam, corpore alias bene habito, nec ad adſpectum melancholico prædito, recenſet *Ingolſtetterus in Ciſta Hornungi. Ep.* 257. Vixit etiam adhuc paucos ante annos Hildeſij honorata matrona, quæ à ſpectri ſenſatione territa derepente cœca evaſit. Nec tantum homines ſed & ipſa animalia quoque commoventur & quaſi mutantur, veluti equus ille cujus meminit *Delrio l. 2. c. 27. ſ. 2. p. 292.* poſt viſionem ejuſmodi ſubito ex manſueto & cicure, ferox ſternax & calcitroſus eſſe cœpit. Idem expertus ipſe ſum, ante annos quindecim, cum medicus caſtrenſis exercitus Brunſuigo Luneburgii cum eodem in Hungariam abirem, & in tranſitu per Bohemiam in vico non ignobili, ſub Dominio Illuſtriſſimorum Comitum Sporkiorum pernoctaremur: Cum enim ſub adventum in iſtum locum ab hoſpitiorum deſignatore noſtrate intelligerem, mihi domum asſignatam eſſe, in qua quod ſpecularer haberem, accidit derepente media nocte, ut tres equi mei, ac ſi ſcuticis adigerentur, capiſtra ſua cum furore quodam abrumpentes, ſpumanteſque ac ſudore madidi ex equili in aream prorumperent, nulliſque blanditiis à ſervis meis iterum in ordinem redigi poſſent, donec demum adventante aurora, quieſcere, & manſuetiores evadere viderentur; cumque altero die noſtratibus hoc referrem, à prædicto officiali reſponſum cum riſu tuli, ſibi pridie ab incolis iſtius loci de ædibus iſtis quædam relata, eaque propter mihi easdem conſulto deſtinaſſe, ut rerum ejusmodi experimenta facerem.

Nec ſolum intra apparitionis ſphæram ſpectra ſe continent, ſed & aliquando omnino nocent, vimque inferunt. Ligna, lintea aliaque à ſpectris contrectata, nigra evadere ac interdum ardere notum, nec vulgo ſolum f[illegible]la eſt. In *Ruſſia* orientali ſpectrum habitu viduæ lugentis ſub meridiem obam-

 bulans,

bulans, meſſoribus brachia ac crura frangit, niſi protinus eo conſpecto in terram proni decidant. *Delrio l. 2. q. 27. ſ. 2. p. 287. Idem l. 6. c. 2. ſ. 1. p. 932.* de Nobili quodam Salmanticenſi refert, quod à ſpectro lorum ingens in manu gerente, in quod gladium aliquoties ille ſtrinxerat, in pectore & tergo adeo verberatus, ut ad quatuor digitorum latitudinem nota contuſionis, rubore ac livore mixta impreſſa remaneret, moxque vibex intumeſceret, cum intolerabili ardore & graviſſimo cruciatu, ex quo tertio die poſt obiit. Libertus quidam apud *Plinium l. 7. Epiſt.* viſus ſibi cernere quendam in foro reſidentem, admoventemque capiti ſuo cultros, atque etiam ex ipſo vertice capillos amputantem, ubi illuxit, libertus circa verticem tonſus, capillique jacentes deprehenſi. B. Meinulpho, Diacono ac Confeſſori barbam omnem à ſpectro in ſomnis avulſam, ex *Gobelino Perſona* adducit eruditus *Henkelius tract. de Energum. p. 84.* Martinus Schoockius, celeberrimus ille polyhiſtor, ſpectrorum tamen negator, in diverſorio à ſpectro lecto ſuo ejectus, eidemque ſuppoſitus eſt, teſte *doctiſſimo Goldſmidio in Morph. c. 5. p. 31.* Quendam noctu in cubili ſuo, veru infixum, & luculento igne probe elixum refert *Delrio l. 3. part. 1. qu. 7. ſ. 2.* Anno 1681. Bolſuarti in Friſia ſpectra hominem actuali igne combuſſiſſe, hiſtoria ſtupenda refert *Blankhardus in collect. cent. 6. obſ. 90.* Quid quatuor illis viris robuſtis acciderit, copioſe citata aliquoties obſervatione explicat *Dn. Vicarius*, ſimulque objectiones omnes ita præoccupat, ut, quo minus cum doctiſſimo viro idem ſentiam, rationem nullam videam.

Imo quod amplius eſt, magi certis ejurationibus ſpectra ad libitum producunt, cujus exemplum lectu digniſſimum *Dn. Vicarius* ibidem ſiſtit, quo ſcilicet aliquis in quodam Trithemii libro noctu legit, & plures homunculi in conſpectum ſe obtulerunt, Similem hiſtoriam de quodam Cornelii Agrippæ librum clam legente, narrat *Delrio l. 2. qu. 29. p. 309.* & de cithariſtria quadam Bononienſi *Peucerus l. 1. de Divinat. p. 19.* quam vita functam magus ad libitum cœtibus hominum ſtitit, fidibus conſueto more canentem, nec à vivis differentem, niſi quod palleret plus nimio.

Quædam etiam ſpectra res futuras præſagiunt, ceu notante *Autore notarum ad Relig. med. p. 186.* ante obitum alicujus ex familia Brandenburgica ſemper mulier quædam apparet, uti ante obitum Electoris Saxonici Dresdæ monachus cernitur. Lubecæ in æde cathedrali pulſationes Abundi (defuncti ante duo ſecula Canonici) mortem alicujus ex Canonicis præſagiunt referente id ipſum *Dn. Imboffio in Notit. procer. Imp. p. 144.* cujus hiſtoriæ origo altius repetitur *in Novis literariis Balthicis. Anni 700. p. 187.*

Ad ſpectra pertinent phænomena illa in metallifodinis teſte *Agricola*

l. 6. voi

l. 6. rei metall. p. 174. apparentia, uti Dæmon truculentus & homicida. Ita virgo pulcherrima in Miſnicis, ſenex in Islebienſibus, equus in Sangerhuſanis, monachus in Italicis conſpici ſolet. Interdum nanorum inſtar, tres dodrantes longi apparent, more metallicorum veſtiti, virunculos metallicos vocant. In fodinis Norvvegicis Dæmon mediocri forma, barba prolixa, ac toto corpore niger metallurgis ſe appropinquat, eoſque non raro ex fodinis pellit, unguibuſque ſauciat, referente *Th. Bartholino in Act. Haffn. Vol 2. obſ. 8.* Quomodo foſſores Labacenſes in Carniola ſpectra ſua montana colant, pluribu commemorat *Athan. Kircherus. mund. ſubt. l. 10. ſ. 4. c. 11.*

Deinde Cobaldi, qui hominibus in ædibus inſerviunt, conclavia ſcopis purgant, orbes ac patinas in culinis mundant, ligna apportant, equos ac jumenta curant, pabulum adminiſtrant. Talis erat Spiritus ille in diœceſi Hildesheimenſi, Bernhardi Epiſcopi tempore, obverſans, dictus Hödken, de quo pluribus agit *Wierus l. 1. præſtig. c. 22.* Ejuſmodi ſpectrum cuidam in nobili ad ſylvam Hercyniam urbe ſe adjungebat ſingulis noctibus, uſque ad auroræ tempus, ut mane veſtigia in lecto ubi jacuerat conſpicerentur, duravitque hoc per aliquot annos, memorante hoc ipſum *Henkelio de Energum. p. 102.*

Tertio Satyri, quorum mentio fit *Levitici* XVII. 7. ubi Iſraëlitæ iisdem ſacrificaſſe dicuntur. Meminit *Plutarchus in vita Syllæ p. 172.* Satyrum ejuſmodi haut procul Apollonia urbe captum, qualem poëtæ & pictores communiter depingunt, quique perductus ad Syllam, vocem aſperam equi præſertim hinnitu, & hirci balatu permiſtam, edens, intelligi tamen non potuit, dimiſſusque eſt. Forte autem ad monſtra hi & ſimilis generis Satyri pertinent. Verum autem ſine dubio ſpectrum fuit Satyrus ille, qui quondam Divo Antonio in deſerto obviam factus, ceu in vita ejus refertur, de cujus tamen hiſtoriæ genuina veritate dubitat Eruditiſſimus *Eccbardus* in den Hannöveriſchen Monatlichen Auszugen *anni 700. p. 392.* ubi copioſe de Satyris agit, & omnino legi meretur.

Denique Nymphæ, quales tempore Lotharii Imp. paſſim in Friſia in ſpecubus ſubterraneis apparuiſſe, nocturnoſque viatores ſæpiſſime in abdita ſua ſubterranea clanculum abduxiſſe *Delrio l. 6. c. 2. ſ. 3. p. 976.* refert. In Dania quædam ſub forma Sirenis apparuit, loquens ſimul ac futura prædicens, ceu ex centuriis Bartholinianis refert *Sachſius quondam* noſter *in Scholiis ad miſcell. Dec. 1. Ann. , obſ. 23.* In forma puellæ magnæ, alba veſte indutæ, quæ abſque inceſſu accedere videbatur, apud *Borellum, cent. 3. obſ. 59.* exſtat. Interdum nymphæ ejuſmodi in forma anus apparent, ceu Condæo principi, rivum cum equitatu tranſeunti accidit, cui in media aqua anus occurrens,

rens, eundem arrepta ipſius ocrea ſtitit, ac attente reſpiciens mortem ipſi prædixit. *Delrio l. 4. c. 3 qu. 6. p. 595.*

Ut vero è Spectrorum apparitionibus ſpirituum finitorum exiſtentiam eo firmius probemus, diſquirendum nunc ulterius quid eadem ſint? Ethnici, teſtibus *Joh. Langio l. 2. Ep. 35.* & *Goldſmidio in Morph. c. 7. §. 51.* pro animis defunctorum habebant, quæ circa monumenta & in aere tamdiu oberrarent, donec corpus aqua luſtrali expiatum, tellure conditum, aut rogo combuſtum, aliaque conſueta parentalia ſoluti eſſent. Ingenioſisſimus *Maxvellus de Medic. Magnet. l. 1. c. 2.* eumque ſecutus Illuſtris quondam Præſes Noſter *Volckamerus in Miſc. Dec. 2. Ann. 2 obſ. 192.* Spiritum vitalem arbitrantur, è corpore poſt obitum dimiſſum, reditumque iterum molientem. Favet huic opinioni obſervatio *Königii in Miſc. Dec. 2. Ann 6. n. 37.* & *Clauderi Dec. 2. Ann. 7. obſ. 163.* quod dum cranium humanum pro ſpiritu eliciendo deſtillaretur, inſignis fragor ac tumultus, quaſi ſpectrorum omnia eſſent plena, excitatus ſit, etiam cum valvarum apertione. Confirmat idem diligentisſimus *Ridlinus Lin. Ann. 2. p. 212.* exemplum recenſens ſpectri, ob retentum dolo cranium, tamdiu per aliquot dies tumultuantis, donec illud iterum cœmiterio committeretur, à quo ſtatim prima nocte nihil amplius auditum eſt.

Verum enimvero, ſi ſpectrorum apparitiones certis interdum temporibus contingentes, futuraque indicantes, ſi ſermocinationes eorundem ac inclamationes, quin violentiam ab ipſis illatam conſideremus, omnino plus arguunt, quam ſpiritum aliquem vitalem, qui, ſi quippiam eſt, non niſi halitus eſſe poteſt, cum tempore in auras ſecedens ac diſſipabilis.

Nec animæ humanæ eſſe poſſunt. Quamvis enim Divina omnipotentia, animæ vel prius quod reliquit, corpus iterum concedere queat, ceu in Lazari aliorum bis mortuorum, ecſtaſin quidem non paſſorum reſuſcitatione accidit, de quibus meus quondam in Bremenſi Athenæo præceptor, Subtiliſſimus *Svvelingius* pluribus commentatus eſt: vel quoque anima aliud per modum creationis ad certum tempus adaptare poſſit; cum tamen anima à corpore poſt mortem ſeparata, ceu vel ſaltim ex hiſtoria Divitis & Lazari *Lucæ* XVI. 13. apparet, ſtatim vel ad locum miſeriarum tranſit, vel in cœlum remeat, ac in manu Domini jugiter permanens, præmioque laborum ſuorum gaudens, requieſcat, nullatenus anima in cenſum hic veniet. Agnoſcit hoc idem *Delrio l. 2. qu. 26. ſ. 3. p. 234.* damnatorumque animas unquam comparere dubitat, adeo ut ne à magis quidem Dæmonum operam ſollicitantibus, oſtendi queant, cum eaſdem ex inferno egredi dæmon non permittat. Eandem

dem opinionem confirmat *dein qu. 28. ſ. 2. p. 303.* pluribus vero hoc ipſum non minus docte & ſolide exſequitur *Goldſmidius in Morph. c. 7. §. 62. 63.* Quod vero ſpectra interdum certam alicujus demortui formam repræſentent, id nullo modo probat eſſe animas hominum demortuorum, quos repræſentant. Namque & perſonarum adhuc viventium ſimulacra interdum ſe ſiſtunt, ceu exempla ejus generis ap. *Wierum l. 5. præſtig. c. 34. Franciſc.* Schaubühne *Tom. 1. p. 912. Fromman. de faſcin. l. 3. p. 787.* occurrunt, quæ ipſa tamen ſimulacra cum corporei nil quicquam contineant, nullatenus quoque anima illorum eſſe poſſunt, niſi ab uno abſurdo ad alterum delabi intentio ſit. Tumultus vero ſub cranii præparatione, ceu ſupra dictum, excitati, pro illuſionibus diabolicis merito habendi.

Reſtat igitur, ut ſpiritibus aliis finitis adſcribantur apparitiones ejuſmodi, hique ipſi modo in ſubſequentibus, ubi de ſpirituum operationibus agitur, plenius explicando, vel aſſumant corpus aliquod verum ſive brutum, ſive inanimatum, aëreumve, vel hujus utriuſque ſpeciem externam ſimulent, vel denique mortuorum cadavera ingrediantur. Aereum certe aſſumere ex eo probatur, quod tam brevi momento ac ſpatio ſpectra creſcere & decreſcere videantur, cum præter ſubſtantiam aeream, nihil æque facile ad dilatandum ſeu rarefaciendum, ſpiſſandumque ac condenſandum aptum ſit.

Quamvis autem Deo graviſſimas ob cauſas ita diſponente etiam boni angeli mortuos repræſentare queant, eo modo, quo eccleſia Hieroſolymitana *Actor.* XII, 25. angelum formam Petri Apoſtoli aſſumpſiſſe ſuſpicabatur, & quædam indubitatæ fidei exempla ex primis ſeculis à *Delrione l. 2. qu. 26. ſ. 5.* collecta docent, quo minus tamen, deſinentibus demum miraculis, ſpectra ſubſequentium ac noſtrorum temporum, quamvis etiam ſanctitatem ſummam præ ſe ferant, inque angelorum ipſorum forma appareant, ſpiritibus malis cum *Goldſmidio c. 7. §. 65.* adſcribantur, rationes nullæ impediunt. Quis enim de hoc dubitaverit, ſi ejuſmodi ſpectra ſignum crucis, nomen JESU, aliaque pia ſymbola fugiant ac deteſtentur, ſi in apparitionibus etiam repetitis ſint importuniores, ſi prætexerint cauſam apparitionibus malam vel falſam, ſi oratio ſpectri ſit ſuperſtitioſa, maleſuada, deſperati, ſuperbi, libidinoſi, vindictæque appetentis. Si appareant forma ſuſpecta, aut horrenda. In forma nigri parvique viri, caput viridi pileo tecti, *ex Miſc. Dec. 3. Ann. 2. obſ. 169.* In forma viri rubro capillitio ac barba præditi, *ex Bierlingii Theſ. pract. p. 359.* Cornuti, oculis flammeis, naribus ad cornu bubuli morem intortis, dentibus oblongis, aprinis non diſſimilibus geniſque felem referentibus ex *Wier l. 2. c. 4.* in manibus harpaginis ſpeciem incurvis, *Delrio p. 178.*

Quin

Quin & in brutorum forma ceu pluribus exemplis *Fromannus p.793.* recenſet. Sub forma murium in citata *ex Miſcell.* obſervatione occurrit. Si denique forma quidem humana, bonive angeli ſpectra appareant, ſemper tamen aliquid inſolitæ nota adſit, aut vocem forment brutalem, & operatio ſimul ſit improba, acceſſum eorum tumultus præcedat, aut comitetur, cum fœtore vero ſtrepitu vel clade ſecedant, ceu pluribus hæc ipſa de ſpiritus maligni, ſpectrum repræſentantis diagnoſi inculcat *Delrio l 2. qu. 26 § 3.*

Atque ita ex ſpectrorum apparitionibus ſpirituum finitorum exiſtentia clariſſime, ut arbitror, probata eſt, pergimus ad tertium probationis locum, obſeſſos nempe, utpote quos talia perpetrare notum eſt, quæ etiam non niſi à poteſtate ſuperiori profecta nemo negaverit. Non quidem me latet multa in corpore humano accidere, quorum ratio non ita in promptu eſt, præſertim cum temperamentum melancholicum ideis variis efformandis ac proin ad divinationem ac futurorum prædictionem maxime aptum ſit; Morbos etiam imprimis chronicos, modo extraordinario & miro affligentes, dæmoni vulgo adſcribi *Wolfius in ſcrutinio Amulet. p. 548.* jam notavit. At vero altiorem & ſupernaturalem cauſam ſubeſſe nemo negaverit. 1. Si ægri nec viſa ante ſibi, nec audita diſtincte loquantur, occulta aliorum dicta ac facta cum exprobratione revelent, ceu dæmoniacus apud *Fernelium l. 2. Abd. c. 16.* etiam medicorum ſecreta detegebat, & puer quidam apud *Bartholinum de morb. Bibl. c. 19.* exprobrabat, quicquid conſcientia occultaverat, adeo ut nemo ex Sacerdotibus inviſere eum auderet, niſi integram vitam traduxiſſet. Simile viri cujusdam exemplum ex Camerario recenſet *Fromman. de Faſcin. l. 3 p. 905.* Si ægri ſubtiliſſime diſputent, indocti alias omniumque artium maxime rudes exiſtentes. Si futura prædicant quæ nec dubia ſint, nec in ſenſum multiplicem torqueri queant. Adſtiti cum alijs philiatris anno 1682. Argentorati puellæ cuidam obſeſſæ, in Noſocomio oppidano moranti, quæ quoties Sacerdos cum Sacramento domo ſua exivit ipſam inviſurus, toties horrendos clamores & jectigationis corporis patiebatur, erat autem domus ſacerdotis à Noſocomio valde longinque diſſita, ut puellæ de adventu ejuſdem nullo modo quippiam conſtare poſſet. Si diverſo vel ignoto hactenus ſibi idiomate concinne reſpondeant diſcurrantque, quâ ratione Conſtantii Imp. miniſter deprehenſus eſt dæmoniacus, *ap. Fromman. l. c.* Pluribus notam hanc urgent. *Joh. Langius. l. 2. Ep. 35. Sennertus prax. l. 1. p. 428. Bierlingius Adverſ. cur. cent. 1 obſ. 82. Langius Pariſienſis in Act. Lipſ. Supplem. T. 2. p. 12. Mayernius prax. Tom. 1. c. 7. Dn. Muraltus in Miſc. German. Dec. 2. Ann. 7. obſ. 103. Henkelius de Energum. p. 119. Goldſmidius in Morph. p. 70.*

From-

Fromannus de faſcin. p. 559. Dn. Wedelius Diſp. de faſcin. p 21. Sunt quidem nonnulli in ea opinione, uti alias in melancholicis, teſte *Dn. Paulino in Diſſ. hiſtoric. p. 75.* imprimis cum febribus ardentibus detinentur, ceu exemplum *Borelli in cent. 2. obſ. 54.* ac *Borrichii in Act. Haffn. Vol. 5. obſ. 67.* probat, nec non epilepticis, notante Dn. *Rommelio, in Miſc. Dec. 2. Ann. 6. obſ. 229.* ejuſmodi linguarum peregrinarum locutio, abſque ulla Dæmoniaca, obſervetur, uti quoque mulier ruſtica apud *Foreſtum l. 10. obſ. 19.* hymnos latinos cantabat, quos nunqam didicerat, & puer tredecim annorum ex vulnere capitis delirans, lingua Germanica optimos Syllogiſmos formabat, quos tamen curatus, poſtea componere neſciebat, & plura hujus generis exempla apud *Blanckardum Coll. cent. 6. obſ. 79. Schenkium Tom. 1. p. 673. Fiſcherum Conſil. Hypochondr. p 57.* occurrant: Ita quoque in maniacis extraordinaria ejuſmodi, ab halitibus bilis atræ effervefcentis, cerebrique ideas explicantis exiſtere cum *Lemnio l. 2 occult. c. 2.* & noviſſimo *Scriptore Bekkero in mund. faſcin. l. 2. c. 27.* ejuſque defenſore *Zachario Webbero* aſſerunt, ex ea imprimis ratione, quod expurgata ejusmodi bile atra, etiam ſymptomata hæc ſtupenda ceſſent. Verum abſque ratione hæc ita aſſeruntur. Quamvis enim melancholicis exaltata cerebri ac ſpirituum energeia iterum incidere poſſint, quæ ante annum & alias aliquando audiverunt, vel quoque ea effutiant, quæ apud ſe metuunt, concinna tamen ejuſmodi linguarum peregrinarum (quas etiam ſaniſſimi & optimæ complexionis homines, non niſi prævia manuductione aſſequi valent) locutio, imo integri diſcurſus modo ex hac modo alia ſcientia formatio, primo à doctrina dependet, linguarum enim peritia ingenita eſſe nequit, quia verba rebus ex arbitrio humano impoſita ſunt, & hinc varia idiomata exiſtunt, quæ memoriæ beneficio addiſcuntur & retinentur, deinde etiam à conſideratione & intellectu, quem quo minus alias inſani poſſident, eo magis hic ab altiori & metaphyſica cauſa directus arguitur, tantumque abeſt, ut halitus bilis atræ caput petant ſpirituſque animales acuant. Illud enim, ſi vel maxime fieret, hi ipſi potius turbarentur & ideæ confunderentur; Præterea obſeſſi loquuntur abſq; motu linguæ & ore clauſo, neſciuntque qualia protulerint, & poſt paroxyſmum linguæ peregrinæ notitia eos ſtatim deſerit, ceu pluribus *Goldſmidius* p. 73. 76. Quod vero purgante exhibito omnia hæc ceſſant, cauſa eſt, quod per medicamentum ejuſmodi fomes, ſeu diſpoſitio Dæmoni amica ſubtrahatur, hoſpitiumque ejuſdem turbetur. Quomodo autem ſuggeſtio ejuſmodi & inſpiratio fiat, ex Pſello optime exponit *Fromman. p. 737.*

Secundum obſeſſorum ſignum eſt, ſi corpus eorum in ſublime raptum in aere diu hæreat, neque pondere ſuo deorſum labatur. *Mayern. T. 1. prax. c. 7.*

c. 7. Fœmina quædam Pariſienſis, quamvis à ſex robuſtis viris contineretur' quatuor tamen pedum ſpatio ſupra capita ipſorum in aerem ſublata, ibique cum ſtupore ſpectantium per aliquod temporis ſpatium detenta, *Thuanus l.* 123. Puer, cujus ſupra ex Bartholino memini, ſubinde etiam per aerem raptus. Moniales Quercetenſes anno 1491. inſtar avium, teſte *Delrio l.* 4. *c.* 1. *qu.* 2. *ſ.* 2. per aerem volabant, ac ſicut feles in arbores repebant, deque ramis pendebant. Pertinent huc motus, quos perficiunt muſculorum ſtructuræ, moli, uſui omnino impares, ipſaſque naturæ vires ſuperantes, nec tamen muſculis, partibuſque membranoſis, mire licet contortis vim inferentes, ceu pluribus tradunt *Henr. ab Heer. obſ. 8. Hagedorn. cent.* 3, *obſ.* 100. *Dn. Muraltus in Miſc. Dec. 2. Ann. 7. obſ. 103.* & *Johannes Francus in Miſc. Dec. 3. Ann. 3. obſ.* 74.

Tertium ſignum eſt, ſi monſtroſa voracitate vexentur, cujus exempla *ap. Fromman. p. 613.* occurrunt, confirmata ac repetita ab *Ill. Præſide Noſtro, Dn. Schrœkkio in Scholiis ad Helvvig. obſ. p.* 247.

Quartum eſt, ſi varia heterogenea evomant, juxta *Henr. ab Heer. obſ.* 8. vitrea feneſtrarum fragmenta, clavos rotis bigarum eductos cultros ferreos, putamina ovorum, conchylia. Quamvis, quod quoque obſervandum, abſentibus aliis prædictis ſignis, ex vomitu ejuſmodi præternatutali exiſtentia dæmonis in corpore concludi nequeat.

Ipſum vero corpus ſubſtantialiter dæmones ingrediuntur interdum per occultum meatum, interdum poros, ceu apud *Fernelium* quidam Dæmon ex obſeſſo loquens, confeſſus eſt, ſe in corpus illud à pedibus in regiam ingreſſum, & à pedibus iterum, cum præſtitutus dies adventârit egreſſurum. Exiſtit autem totus in toto dæmoniaci corpore & totus in qualibet parte. Vidit *Peucerus de Divin. p.* 125. in quadam puella obſeſſa dæmonem ſub ſumma cute, muris figura varie diſcurrentem, qui mox recondens ſe in imum ventrem evaneſcebat ex oculis, mox proſiliens rurſus ſub pectoris aut frontis toroſioribus partibus prorumpebat.

Non autem unus ſemper dæmon eſt, qui corpus affligit. Trium enim in uno corpore mentio fit in citata *Joh. Franci* obſervatione *Miſcell. Curioſ. Dec.* 3. *Ann.* 3. Mariam Magdalenam ſeptem dæmones obſidebant. *Marc.* XVI. 9. *Luc.* VIII. 2. Obſeſſus Gergeſenus ab integra legione affligebatur. *Marc.* V. 9.

Egreſſus eorum apparet inſtar fumi è naribus ægri prorumpentis, ceu ex vita S. Nili adducit *Illuſtriſſimus Archiater, Dn. Franckenavv. in Add. ad Zacchiæ Quæſt. Tom.* 1. *p.* 353. Emigraſſe cum materia aliquâ viſcoſa, per os in forma rotnnda, rejecta, teſte *Thönero obſ. p.* 226. Per urinam interdum exire

exire, aliquoties citata *Johannis Franci* obſervatio docet. Per anum, inſtar muſcæ grandis verſicoloris *in Miſcell. Dec. 2. Ann. 9. obſ. 105. Dn. Hünervvolfius* notat. Inſtar examinis muſcarum magno ſtrepitu perfeneſtras erupiſſe, *Henkelius Noſter ex Fincelio* commemorat, *Energum. p. 58.* Elæaſar Judæus in Exercitu Veſpaſiani Imp. naribus annulum ingerebat, ſub cujus ſymbolo radix quædam magica continebatur, ad cujus olfactum per naſum extrahebatur dæmonium, pluraque alia agebat huc ſpectantia, ceu αὐτόπτης teſtatur *Joſephus l. 8. Antiqu. Judaic. p.* 204.

Eoque modo ſimiliter ſpirituum finitorum exiſtentiam, ex obſeſſorum hiſtoriis probavi, quas concludo exemplo memoratu digno, quod Dantiſci accidit, cujuſdam ſcilicet Dæmonem in obſeſſis negantis, eaque propter ab eodem acerbe tractati ac ſubſannati, ceu plenius recenſetur *à Laſſenio in Atheiſm. triumph. ſerm.* XV. *p. 751.*

Quartum probationis locum ab oraculis veterum deſumo. Sunt quidem nonnulli in ea opinione, reſponſa ejuſmodi partim nil præter Vatum impoſturas fuiſſe, qui cum ſuos emiſſarios paſſim haberent, facile de ſtatu ac fortunis cujusque certiores reddebantur, & in gratiam conſulentis quippiam proferre poterant; partim à peculiari quadam loci illius ex terra exhalatione dependere, quæ fanaticos reddiderit, ut ignota quoque loquerentur. Deficiente autem exhalatione ejuſmodi defeciſſe oracula, ceu pluribus hoc ipſum *Plutarchus l. de oracul. defect. urget.*

Primam objectionem quod attinet, nemo forte negaverit, interdum dolum ſubfuiſſe; omnia tamen reſponſa ejuſmodi ſolis vatum impoſturis adſcribere velle, præfracti certe animi res foret. Quomodo enim tam multis hominibus, plerumque ſimul maxime eruditis, ac inſuper diverſis locis ac temporibus imponi potuiſſet, ut nullis vel paucis fucus ſuboluiſſet, ceu recte reſpondet *Autor Notarum ad Religionem medici p. 180.* Et quod *Cicero l. 1. de Divin. p. 358.* notat, nunquam oraculum illud Delphis tam celebre tamque clarum redditum fuiſſe, neque tantis donis omnium populorum, atque Regum refertum exſtitiſſe, niſi omnis ætas illorum veritatem experta fuiſſet.

Altera vero objectio nil certi infert, & tantum præſumptio eſt. Neque enim omnia oraculorum loca ita comparata ſunt, ut exhalationibus inde emergentibus reſponſa adſcribi queant, cum rationi repugnet, à natura prorſus bruta ſenſuſque, ne dicam rationis, experte cieri ἀναθυμιάσεις, effectrices notitiarum argutiſſime & ſapientiſſime ad veritatis ſpeciem confictarum, & monitrices de futuris & ignotiſſimis rebus, illisque etiam, quarum præſentia expetitur & deſideratur, ceu recte *Peucerus de Divinat. p. 118.* hic reſpon-

I 2 det.

det. Pari modo defectus quoque oraculorum neutiquam exhalationi ejuſmodi deficienti adſcribendus, ſed virtuti Servatoris Noſtri, gentiumque converſioni.

Sequitur igitur oracula à natura quadam intelligente profecta fuiſſe, & quidem ejuſmodi, quæ abdita rerum, intimoſque animorum receſſus vel penitus perſpexerat, vel ex geſtibus externis conjectaverat, quæque maximam partem eorum, quæ denunciat, & præviderat ante, ac geſſerit ſimul gubernaveritque. Quis autem arbitretur, cum oracula plerumque mendacia rectæque rationi minus conſona protulerint, homicidia ſpirârint, eadem à ſpiritu aliquo, cujus non niſi ſumma bonitas eſt, profecta fuiſſe, & non potius à ſpiritu aliquo maligno, qui hominum interitu gaudeat, dependiſſe. Dæmon certe fuit, qui è ſpeluncæ cujuſdam orificio in medio templi, per tripoda, cui mulier inſiſtebat, reſponſa conſulentibus dedit, vatem afflatus exſpectantem, agitavit, & concuſſam in furorem vertit, ceu pluribus *Frommanus l. 1. de faſcin. p. 239.* docet, & quod amplius, quod ſtatuæ, quercus antea, arboresque futura prædixerint, quo ipſo certe ad ſpirituum exiſtentiam probandam non efficacius argumentum arbitror. De annulo loquente Hieronymi Moroni, ſummi aliquando viri in Mediolanenſis Principatus gubernatione, quæ vulgo traduntur, non fabula ſed certa hiſtoria eſt, aſſerente *Joachimo Camerario*, teſte graviſſimo, in *præf. ad lib. Plutarchi de oracul. defect.* Ulmum arborem locutam ex Cyrillo refert *Frommannus*. De quercu Dodonæa res in Scholis nota eſt. Calvarias ſeu capita mortuorum loquentia adducunt *Delrio l. 2. qu. 28. ſ. 3. Frommannus. p. 680. Goldſmidius in Morph. c. 3. p. 83.* Suo tempore interroganti adhuc reſponſum dediſſe, hominis demortui caput poſt certos conſecrationis ritus, autor eſt *Camerarius l. c.* craniumque ejuſmodi, ſeu Theraphin, ut vocant exſtat adhuc in Gazophylacio Ducali Brunſuigo Luneburgio, Wolferbyti.

Atque ita ſpirituum finitorum exiſtentiam argumentis, ab animæ humanæ exiſtentia, ſpectrorum apparitionibus, obſeſſorum energeia, oraculiſque veterum deſumptis, ac ut arbitror, firmiſſimis, demonſtravi, ſequetur proximo anno, ſi Deus volet, tractatio de operationibus eorundem.

Dn.

Dn. D. GEORGII DETHARDINGII *CONTINUATIO PARALLELISMI* Ad MISCELLAN. CURIOSORUM Germ. DECUR. I. ANN. II.

OBSERVATION. XXXVII.

MIRI FULMINUM EFFECTUS.

SI qui rerum naturalium effectus mirabiles dici merentur, fulminum non modo cauſæ, ſed vires quoque imperſcrutabiles ſunt, cujus præter exempla in obſervatione adducta Stralſundenſis civitas teſtis eſt. A. 1670. d. 20. Junij qui ſolis erat; populo in templo congregato, cœlo admodum ſudo ſatiſque ſereno fulminis unicus ictus templum feriens, omnes ferme præ terrore in terram proſtravit, ſed quia hic ictus regionem Altaris feriret, hic pariter diverſi ac ſtupendi, obſervabantur effectus, ſubſellia enim Concionatorum ad utrumque Altaris latus conſidentium in minutiſſima diſſiliebant fructula, inſidentibus illæſis; ſoleæ calceorum ſolvebantur, ac ſi cultro autiſſimo id factum, inſontibus pedibus; panni ac linteamina, quibus Altare ornatus ergo tectum, dilacerabantur. Lanio forte adſtans ac ſi grandine plumbeo minutiſſimo læſus eſſet, ſartis apparebat veſtibus, ipſeque cæteroquin incolumis, Trabs craſsiſſima, qua Crux fulcita erat, in feſtucas abibat. Horologium penitus diſſolvebatur, ac filum ferreum craſſum, crinis flammæ ſe criſpantis ad inſtar erat corrugatum, bini numeri II. & VIII. atro quaſi carbone notati, ex quorum additione plurimi inſecutam poſt decennium Urbis expugnationem colligere voluerunt,

Ad OBSERVAT. LX.

Infimus venter totus ſcirrhoſus.

DVo in obſervatione illa admirationem pariunt ac indagationem, tùm uteri & abdominis ſcirrhoſus ſtatus, cùm viſcerum in infimo ventre ordinarie ſituatorum defectus. An ad hunc explicandum ſuſpicioni locus eſt ſcirrhoſum moléque majorem uterum occultaſſe in profundo latitantia viſcera,

ſcera, prout pulmones aliquando in defuncti pectore obſervavi ſub membrana præternaturali (quam pericardium eſſe ſectio ulterior mox docebat; deliteſcentes, quos primo intuitu ſterno ablato deeſſe omnino omnes mirabamur, incisâ vero membrana dicta, ac eadem ſublatâ tandem in lucem protracti? Aut alias hæc viſcera induiſſe facies dicendum, prout de Ortelio hepate carente annotatum, corpus quoddam glanduloſum inteſtinorum ductibus ſecundum adhæſiſſe? Negat enim Chylificationis negotium cum quo vita pari paſſu ambulat, talem defectum? Committam vero hæc alii, uterum ſcirrhoſum duabus parallelis obſervationibus demonſtraturus. Militis noſtratis uxor, quæ & ſuppreſſis menſibus ac abdominis quotidianâ intumeſcentia ſe imprægnatam credebat, ſed quod vigeſima tertia graviditatis ſuæ ſeptimana elapſa nondum fœtum ſe movere ſentiret, premi potius pubem pondere inſolito, me conſilij ergo accedebat, & jam allatas querelas enarrabat. Dum abdomen tango ſupra dextrum ingven tumorem digitis percipio duriſſimum, oblongum ad pubem protenſum, ibidemque planè rotundum verſus pudenda acuminatum, unde alium latere fœtum durioris cervicis, nec meditandam eſſe hujus excluſionem, ſcirrhum nempe uteri eſſe dixi; quod prognoſticon eventus comprobavit, dum lento tandem morbo confecta diem obiit. Spem tamen meam reſerando cadaver haud vanas de ſcirrho conjecturas confirmandi, illuſit amicorum, agnatorumve religioſior moroſitas. Felicioribus avibus, in virgine quadam deſponſata, quæ phtiſi obierat, uterum offendi naturalis equidem magnitudinis, ſed duritiei inſolitæ, ut acutisſimo cultro illum ſolvere vix potuerim.

Ad OBSERVAT. LXXIV. *ejuſque Scholion.*

PRoh! quantæ de viis ſeu acuum, ſeu oſſium deglutitorum in locis remotisſimis (ſi tamen ſemper credere fas eſt) prodeuntium conjecturæ; Feliciora horum fata, qui inconſueta deglutita vel *ἄνω*, vel *κάτω* reddunt, ac facilior harum viarum demonſtratio. Novi tales quos ſcholio citato addam. Acum fortuitò deglutitam, quæ ſuæ in ſtomacho hæſionis ſignum infallibile, dolorem procreavit continuum, quinquennio demum elapſo cum vomitu rejecit deglutitor, globulo fibroſo tamen circumdatam. Magnas quoque moleſtias ex acu deglutita ſenſit ancilla quædam frequentiori avenæ decorticatæ lacte coctæ uſu tandem ſopitas, acu *κάτω* prodeunte. Feliciori Lucina virgo nummum argenteum valoris tertiæ partis Imperalis joco deglutitum, item puer fibulam orichalceam ad calceos firmandos paratam excluſerunt vomitu.

Ad OBSERVAT. LXXXIX.

Lapillorum copia per alvum excreta.

MEnſtruam lapidis per anum non ſine graviſſimis & partus æmulis conatibus excluſionem obſervavi in conjuge Chirurgi celeberrimi Michaëlis Schultzii, quæ quinquageſimum quamvis jam annum ſuperaverat, tributi ad inſtar, quovis menſe tamen talem fœtum enitebatur, lapides excreti longitudinis unciæ unius, latitudinis dimidiæ erant, quorum duos mihi eadem dono dederat, in obſidione Sundenſi cum plurimis aliis curioſoribus, ut fieri aſſolet in his anguſtiis, deperditi.

Ad OBSERVAT. XCV.

Epilepſia Periodica.

IVngam binis in obſervatione recenſitis tertiam, epilepſia periodica qui eorum ad inſtar fuit vexatus. Curator hic erat pagi Gerdeshagen, diu malo dicto defatigatus quotidie poſt cœnam, ſimul ac lectum intraret recurrente, ſuaſi tentaminis ergo ante cœnam, quam frugalem juſſi, doſin largam pulveris ſtomachalis Birkmanni, addito tantillo Elæoſacchari fœniculi, lectum petiturus ol. ſuccini & Coryli mixti, gt. v. cum cereviſia fervidiori caperet, adſtantibuſque ut in paroxiſmo antepileptici mei, raro ſine felici eventu propinati infunderent cochlear unum injungeret. His per breve tempus & opinione citius diuturnum fugatum eſt malum, ac patiens à malo liberatus, incolumis obambulat.

Ad OBSERVAT. XCVII.

Pillulæ poſt annum adhuc integræ rejectæ.

ASſumta in Ventriculo diu quandoque hærere poſſe, non omnibus fortean videbitur probabile. Evincunt id tamen in obſervat. allata exempla, quibus & ego aliud adere poſſum Vir quidam literatus, ad nuptias Amici ſui ſerius accedens, aſſato vervecino præpingui famem, vini Rhenani largiori hauſtu ſitim ſat cito compeſcuit, ſed dolore ventriculi ſubito irruente, ac perdurante, ingurgitationis pœnas luit. Tentaverat equidem variis & à Medicis & à Medicaſtris oblatis pharmacis hunc moleſtum pomeridianis maxime horis hoſpitem hoſtemve oppugnare, ſed moroſiorem & cedere neſcium

um

um continuus dolor teſtabatur. Conſilio tandem Clariſſimi dum viveret, Sed & poſt fata notiſſimi Medici D. Hornii, Archiatri in Pomerania Regii quotidie in juſculo certam olei Olivarum quantitatem hauriendo, ſepitis primo doloribus ſebum, ovi columbini magnitudine, quod ante triennium in dictis nuptiis comederat, vomitu excluſit ac omnis poſtea exhinc doloris expers vixit.

Ad OBSERVAT. CXXIX.

Uſus Catechu in urinæ profluvio continuo.

QVod de terra Catechu, ſeu divino in urinæ profluvio diutino auxilio in Obſervat. affertur, dum omnium opinione citius malum diuturnum & obſtinatum ſuſtulit, & ego pariter affirmare de illa poſſum, aliisque uſum ejus ſalutarem confirmantibus hiſtoriis omiſſis, tantum hac vice, quid in diabete ſatis difficili Viri quondam Conſultiſſimi præſtiterit, adducam. Jamdum eruditiſſimus hic patiens non modo mea, ſed & aliorum Medicorum hic alibi commorantium ad moleſtiſſimum hunc fluxum debellandum imploploraverat conſilia, & haud ſine certiſſima ſalutis ſpe varia nauſeoſa ſatis medicamenta abliguriverat, effectu autem nullo, vel momentanèo, inſequente, ut tandem morbo & medicamentorum nimio uſu defatigatus in morte verum quærendum fore pharmacum, invitus quamvis, cogitare cœperit. Hæc inter dum mente affectum hunc adeo ſingularem volvo, en! opportune ſatis animo oculisque ſe ſiſtit tinctura terræ Catechu, in aliis corporis excretionibus nimiis mihi ſat familiaris; arrepto vitro ad ægrotum ultima expectantem advolo ac vehiculo cereviſiæ calide guttulas dictæ tincturæ propino feliciſſimo & vix ſperato eventu. Perit diabetes, reficitur Patientis animus, omniaque in meliora ſubito vergunt, ac ſpem mox recuperandæ ſanitatis haud vanam pariunt; ſi ſomniis quædam certitudo foret, doctiſſimum hunc patientem ſomno leviori abreptum, obſervaſſe virum guttulas ſalutis in vitro afferentem ex relatione ejuſdem addere poſſem, non levem tamen hoc inſomnium decumbentis animum addidiſſe ſufficiat dixiſſe.

Ad OBSERVATION. CXXXIX.

Calculus monſtroſus in fœmina Vidua.

SIngularis & lepida forma eſt calculi in obſervatione deſcripti, & in adjecta tabula conſpicui, ſed contemplationem quoque meretur, is, quem poſt

ſævi[ſ-]

ſæviſſimos & immanes dolores nephriticos me præſente excluſit civis hujus loci,  talis formæ & magnitudinis, cujus capitellum epiphyſis eſt oſſea, cruore t. t. tincta, ex quo hunc calculum in parte corporis hæſiſſe ſatis colligebam, de loco quamvis dubius.

Ad OBSERVAT. CCXXXI.
Paralyſis Univerſalis.

HAud abſonum erit Paralyſi in Obſervat. memoratæ, quæ ut uno ictu univerſalis facta; ſic medicamentorum appropriatorum uſu tandem in particularem abiit, & demum omnino ablata eſt, addere aliam quæ primo quidem particularis fuit, temporis vero tractu univerſalis facta, nec niſi morte ſublata eſt. Obſervavi hanc in ſutore ſexagenario, primitus vini pro poſſe helluone ſtrenuo, hic ante aliquot ſeptimanas primo ſiniſtri lateris ſenſit membra torpidiora, & ad motum inepta, mox dextrum latus pariter immobile experiebatur, accedebat ſalivæ ſpontaneus ex ore fluxus, ultimo reſpiratio cum ſtertore graviſſimo mortem ſatis oportunam & optatam indicabat.

Dn. D. GEORGII DETHARDINGII
CONTINUATIO PARALLELISMI
Ad
MISCELLAN. CURIOSORUM
Germ.
DECUR. I. ANN. III.
OBSERVATION. IV.
Eryſipelas Zonale.

QVod rarior hic affectus, nec Celeberrimo, & ſi quis alius diffuſiſſimo Sennerto haud viſus eſt, haud ingratum fore exiſtimo, ſi binas adduxero hoc morbi genere vexatas. Leviori modo illo corripiebatur militis cujuſdam filiola quinquennis, quando tumor rubeus, ſplendenſque primo pudendorum partem dextram, mox clunes occupa-

re, tandem os ſacrum ſcandere, & ſiniſtrum pariter latus deformare, & in pudendorum ſiniſtra parte exſpirare viſus eſt, magna equidem cum virium proſtratione; ſed graviſſima inde perpetiebatur Generoſi Vidua, dum prægreſſa horripilatione, dolores in hypochondrio ſiniſtro illam cruciabant accedente rubore & tenſione, & comitibus hiſce dextrum latus pares experiebatur dolores majores tamen, quod ex Zonâ hac in puſtulas ſe elevante ac exulcerata pus manabat acerrimum, cuticulam proximam mire defœdans. Frequentiſſimo huic incommodo, plurimis aliis incaſſum adhibitis ſudorifera & fonticuli in utroque crure excitati, obex, DEO auxiliante fuere.

OBSERVATIO LX.

Ἀναυδία ex Potu frigido.

ANαυδίαν ſive vocis privationem quam obſervatio ex hauſtu cereviſiæ frigidioris, corpore incaleſcente, affert, experiebatur miles quidam ex gregariis, cœteroquin bene valens; qui cereviſia generoſiori hujus loci (Knieſenack vulgo audit) ad ambas uſque aures ſeſe opplens, noctem ſomno ac cereviſiâ ſepultus duxerat; ſummo mane ad aquam profluentem ſibi vicinam properat, & manus frigida lavat, redeundo levem lypothymiam ſenſit quam ἀναυδία excipit. Vocor & mentem ſanam & linguam mobilem ſatis, (in omnem enim partem vibrare illam potis erat) ſed ſine ſono decumbentem anxiumque offendo, ad quæſita ſignis reſpondebat. Jubeo venam ſecari in cubito, ex quo & ſermo & ſanitas rediit.

OBSERVATIO LXXV.

Capitis dolor Periodicus.

DOlores capitis graviſſimos in binis obſervare mihi funeſto tamen illorum exitu licuit. Alter ſcala vitim præſcindere tentans, ab hac retrocedente in regione claviculæ ſiniſtræ fortiter læditur, ſed ſine oſſis fractura ullâ, Dolores tamen acutiſſimi caſum illum excipiebant, quos tantum abeſt, ut Emplaſtra generoſiſſima ſopire vel ad breve tempus potuerint, quin dolores capitis illis ſeſe jungentes, typum ſuum, i. e. à duodecima meridiei ad 12. noctis moleſti, ſervantes, per menſes tres ægrum magis magisque excruciaverint. Nullum equidem remedii genus ad dolores compeſcendos fuit intermiſſum, ſed fruſtraneo ſemper ſucceſſu. Accedens tandem agyrta, catarrhos falſos accuſans, ac ſe hos ei corpore provocare noſſe, (Er könne die Flüſſe ab-

ſe abzäpffen/) multis verbis ſeſquipedalibus *blaterans*, oblato ptarmico, lympham copioſiſſimam non modo ex ore, ſed auribus, naribus oculis eduxit, ſed eheu! animam ſimul obtemperantis ægroti provocavit. Alter febriculâ præviâ, cephalalgiam ab hora 12. meridiana ad 9. veſpertinam experiebatur acerrimam, tandem cum nulla remedia prodeſſent, poſt octiduum funeſtam.

OBSERVAT. CXXXI.
Plumbi Noxa.

PArilia ſymptomata, quæ in Obſervatione allata à plumbi fumo excitata Excellentiſſimus Author infert, plumbum aſſumptum quondam produxit. An. 1686. vocor ad figulum t. t. inter multos primarium, & non modo Herum vel Heram, ſed omnes ſervos ſervaſque, imo omnes domeſticos graviter decumbentes & de anxietate præcordiorum maxima, lancinantibus abdominis doloribus, querulantes offendo. Subit animum noxium ſi non toxicum cum cibo vel potu fuiſſe aſſumptum (duabus enim horis poſt prandium hæc Tragœdia cœperat) & poſt varia quæſita, ipſe cibos in prandio appoſitos viſo, cereviſiam deguſto, nec quicquam deleterii obſervo. Opportune ſatis, microſcopio portatili inſtructus, panem oculis armatis contemplor, & ſtatim micantes quaſdam particulas conſpicio, quas dum cultro effodio & accuratius examino, ramenta eſſe plumbi, apprehendo. Facto examine, unde hoc peregrinum pani acceſſerit, famulus pariter graviter decumbens, tandem confitebatur, ſe vas illud, quo in cineres plumbi, pro vitrificandis terris figulinis aſſervari aſſolent, auferre voluiſſe, ſed per incuriam quandam plumbi partem in proximum, quod illi adſtabat farinæ receptaculum cecidiſſe, quam, ne inde vapularet, aptè farinæ commiſcuiſſet. Cognita ergo lachrymarum talium cauſa felicius remedia dare licuit, ac DEO ſint grates, omnes penitus convaluere.

OBSERVAT. CLVII.
Amentia Melancholica ex faſtu orta.

SIt ſolamen miſeris, ſocios malorum habuiſſe. Fœmina Civi Salſamentario, (Haacken hic vocant) juncta, placidè cum illo plures annos conſumpſerat, quando, (neſcio cujus ex ore) audiens, Parentes Mariti de plebe infimâ eſſe natos, ægre hæc ferre, profundius meditari & rimari incipiebat, ſeſeque tandem in delirium melancholicum præcipitabat, obvios quoſcunque

ſine honoris diſcrimine interrogando, num & illi noſſent Parentes Mariti de plebe fuiſſe, vel talia affirmarent? Cum ejus cura mihi committeretur quæſtione tali ſatis defatigatus, cum inſuper omne medicamenti genus reſpueret, infuſo tandem purgante in ſanam mentem, DEO propitio, reduxi.

OBSERVAT. CLXXX. *ejusque Scholion.*

Acidulas in diſpoſitis Hydropem accelerare poſſe.

EXemplum regulæ ſit Nobilis quidam Sexagenarius, chyloſi vitiata, ſanguine ſcorbutico, abdominis intumeſcentia, poſt paſtum imprimis laborans; Hic cum plurimos ſcorbuto & nephritide vexatos ex frequentiori hauſtu aquæ ſoteriæ Keutzenſis, (quæ in Pommerania citeriori, haud longe à Stralesunda urbe propullulat,) cum ſanitate in gratiam redire obſervaret, ſibi pariter illam ſalutarem fore perſuadens, advolat, & aquas per biduum, neglecto Medici conſilio, avidè ſatis haurit, ſed obortâ iſchuriâ, diſtento nimium quantum aqualiculo, intempeſtivi remedii uſum deteſtatur, cum tunc temporis illic eſſem, in conſilium & auxilium vocatus, prævia ſeria adhortatione non illotis manibus hæc ſacra tractanda eſſe, exhibui Salis mei diuretici, ex Sal. Ammoniac. & Salis Tartari anatica proportione parati, ℥j, quo profluente lotio abdomen ſubſiſtere ac patiens lares ſuos repetere cœpit.

OBSERVAT. CLIII.

Raucedinis remedium.

MEretur Syrupus de Eryſimo Lobelii laudem in tollenda raucedine, quam Author expertus illi tribuit, efficaciſſimum enim quam ſæpiſſime offendi, maximè ſi calidam ſuperbibant ægroti; verum ſi fateri velim, quod experientia docuit, illo efficaciores ſunt Trochiſci, quos Platerus in obſervationibus ſuis ſequentem in modum deſcribit. ℞. Myrrh. Thur. Sachar. cand. ana, cum mucilag. Tragacanthi parentur trochiſci.

OBSERVAT. CC.

Febrium remedium novum.

VIx crediderim morbum eſſe tot evporiſtis, tot arcanis, tot ſuperſtitioſis remediis obnoxium ac quidem febrim tertianam, & ſi alibi de hoc morbo vulgares verſus: Fingunt ſe medicos &c. valeant. Ipſi certè Medici, Patien-

tientes nacti minimè patientes & moroſos, cogitent, oportet, nova ac ſingularia medicamenta, id quod & mihi in cura puellæ tenerioris contigit, quæ interna ac externa reſpuens medicamenta, cum tandem carpis manuum, maſſam ex telis aranearum, Sale, fuligine cum aceto paratam, ſæpius applicari concederet, à febri tertiana liberata eſt. Piſcatorem novi, qui primo in ſe ipſo, mox in aliis quam plurimis tertiana laborantibus, radices nympheæ albæ, in longum fiſſas & pedum plantis alligatas, febrifugum eſſe experientiâ didicerat.

OBSERVAT. CCCVIII.
Pareſis ex Colica.

COlicam morbum, tum quidem facillime in Pareſin degenerare, quando opiata juſto citius & in majori doſi exhibentur, hac vice doceat Exemplum Pictoris quondam Stralſundenſis, artis ſuæ gnari admodum quem cum atrocisſimi ventris dolores corriperent, & præſens inde remedium quæreret, (quod qui in chamomilla quærunt, vix falluntur) Medicus præſens pillulam unam ex Laudano opiato illi offert. Placantur dolores ac ſomnus placidus ægrum demulcet. Aſt expergiſcens, utramque manum ſibi ſolutam & paralyticam eſſe, ſentit, quam nullis remediis à Medicis & medicaſtris oblatis tollere potuit, ſolatio tantum erat, quod ſuffultis aptè manibus exercere artem ſuam & panem ſuum lucrari aliquomodo potis erat. Alebat hic ipſe pullorum variegatorum numeroſam prolem, qui quamdiu ſputum ſuum abliguriebant, paralytici quandoque proſternebantur, à ferculo vero arciti ſani poſtea adoleſcebant.

OBSERVAT. CCXIIX.
Partus poſt mortem.

FUneſtum & tragicum talem caſum pariter in Fœmina Cantori quæ nupſerat, obſervavi, quæ doloribus partus ſuccumbens ſemihorula poſt mortem, puellam enixa eſt ſanam ac haud deformem.

Dn. D. MICHAELIS BERNHARDI VALENTINI

Hiſtoriæ Litterariæ S. R. I. Academiæ Nat. Curioſ.

CONTINUATIO VIII.

* * *

D. GUNTHERI CHRISTOPHORI SCHEL-HAMERI,

EPISTOLA

De Motu ☿ in Tubo Torricelliano.

Acceſſit ALTERA ejuſd. argument.

D. BERNHARDI RAMAZZINI, Prof. Mutin.

Itemque Tertia.

Ejuſdem SCHELHAMERI ſc. Reſponſio ad Objectiones RAMAZZINI.

KILONI, Sumptibus Riechelii.

NOtiſſima non minus, quam Noviſſima eſt Controverſia, quæ inter binos Academiæ Noſtræ Collegas Celeberrimos, D. Ramazzini & D. Schelhamerum hactenus ventilata eſt, de cujus occaſione pauca in *Præfatione* hujus Scripti præmittuntur. Poſtquam ſc. Dn Ramazzini experimenta ſua, circa Mercurii in barometro motum anno 1696. ad Illuſtrem Dn. Schrœckium Præſidem Acad. Cæſareo-Leopoldinæ N. C. Meritiſſimum tranſmiſerat, inibique in peculiari diſcurſu rationem dederat, cur Mercurius ſerenô ac ſudô cœlo in fiſtula aſcendat, pluviosô vero tempore aut imminente aut præſente decidat? hocque rejectis aliorum ſententiis nitro

aereo

aëreo (aëris aliàs gravitatem, ut putat, augente) à pluviis nubibuſque imminentibus ad imum præcipitato adſcripſerat: Hæc ipſa ſententia minus probabilis videbatur Authori Noſtro Dn. Schelhamero; adeoque non dubitavit Epiſtola quadam ad Illuſtrem Dn. Præſidem ſimiliter directa & anno ſuperiori 97. *Appendici Anni IV. Dec. III. Miſcellan. Acad. Nat. Cur. pag.* 54. *adjectâ* diſſenſum ſuum conteſtari, cujus Inſcriptio erat:

SOLUTIO PROBLEMATIS.

Cur ☿. in Tubo Torricelliano ſeu Barometro pluvioſo tempore deſcendat, cum deberet adſcendere

G. C. SCHELHAMERI

AD

Magnif. D. LUCAM SCHRöCKIUM Acad. Cæſareo-Leop. Præſidem.

IN hoc ſc. ſcripto totus eſt in eo, ut demonſtret prolatam à D. Ramazzini, cauſam de præcipitatione Nitri aërei (cui effectum illum adſcripſerat) exinde applauſum non mereri, quòd non tantum pro non ente habeatur nitrum illud aereum, ſed & ſi concedatur, è Chymicis tamen conſtet ſalia, adeoque & nitrum in aqua ſoluta non tam præcipitari & deſcendere, ſed potius adſcendere, cum particulæ, in quas ſolvantur, leviores fiant menſtruo ſolvente, in cujus poros recipiantur; ut adeoque Nitrum illud in ſummitate aeris hærendo hujus gravitatem augeret & conſequenter inſtantibus aut præſentibus, pluviis Merc. potius in tubo altius elevare deberet. Cum verò contrarium obſervetur, hinc aliam ille viam ingreditur, adeoque ex principiis hydroſtraticis ibidem præmiſſis concludit Mercurium in vaſculo barometrum excipiente in aere pluvioso & revera graviori, inſtar aliorum, in fluidis gravioribus redditis natantium, quodammodò elevari, unde non poſſet non relabi & deſcendere Mercur. in Tubo contentus, prout fusè in Epiſtola ipſa videre licet.

Quamprimùm igitur hæc ad Celeb. Ramazzinum delata fuit, is alia & heic ordine

II. EPI-

II. EPISTOLA

Ad

Illuſtrem & Celeberrim. Præſidem

Dn. LUCAM SCHRöCKIUM

Anno 1698.

PErſcripta, ſententiam ſuam contra Dn. Schelhamerum ſuſtinere ſategit, cùm hujus ſolutio vel exinde cum principiis hygroſtaticis, pro fundamento primo locatis, ipſi non cohærere videatur, quòd Mercurius vaſculo inſidens aerique expoſitus neutiquam corpus ſit in fluido conſiſtens, cum ea, quæ in fluido poſita neque merguntur, neque emergunt, data molis paritate eadem gravitate gaudere & in tota ſui libertate conſtituta eſſe debeant, ne ab ulla vi externa impediantur quin deſcendant; quod de Barometro ad parietem ſuſpenso affirmari nequeat. Sicut ergò falſum eſſe putat, Mercur. eſſe talis naturæ, ita falſum quoque eſſe ſtatuit, non poſſe Mercur. è Tubo deſcendere, niſi quia altius aſcendat in aerem, qui in ſubjecto vaſculo illi ſuppoſitus eſt; hic enim elenchum non cauſæ ut cauſæ committi putat, cum Mercur. è tubo non deſcendat, quia altius aſcendit in vaſculo, ſed vice verſa altius aſcendat in vaſculo, quia è tubo deſcendit. Principium enim motus Mercur. cum pluvioſo tempore à ſua ſtatione decedit, fieri ad parte ſuperiori non inferiori, probat obſervatione Curioſiſſimi Torti, qui, dum, in tranſitu à ſereno ſtatu ad pluvioſum aſſurgit Mercur. in tubo recurvo, ubi aeri expoſitus eſt, bullulam efformari vidit: In tranſitu verò à pluvioſo ad ſerenum in eadem parte in Mercur. cavitatem quandam, ad lancis formam obſervavit, quod fieri exiſtimat, quod in tranſitu à ſerenitate ad pluviam, diminuto aeris pondere Mercur. ſuperior premit inferiorem: In permutatione verò à pluvia ad ſerenitatem aeris ſpira fortior & gravior reddita premit ſuperficiem Mercur. in tubo recurvo, ſed magis in centro, ubi minor reſiſtentia, quàm in circumferentia.

Ut verò ad oculum quaſi oſtenderet, qua ratione elevatio hæc Mercurii in vaſculo D. Schelhamero impoſuerit, non tantùm barometrum cum Siphone recurvo, ſed & alteram Barometri Speciem, ratione φαινομένων cum vulgari coincidentem, in medium adfert & in fig. ænea ſiſtit cujus fiſtula anguſtiſ-

guſtiſſima non eſt immerſa vaſculo Mercur pleno, ſed hic per lineam perpendicularem hæret in fiſtula recta, nec effluit, quærens ſimul, cur in utroque barometro aer, particulis aqueis refertus & craſſior, quam ſerenus, Mercur. per lineam rectam ſurſum non propellat, ſicut aqua marina navim altius attollit, quàm fluviatilis? Licet E. fateatur ſententiam ſuam, qua ob partium nitroſarum præcipitationem imminente pluvia aerem leviorem fieri aſſerebat, nervosè atque validè à Dn. Schelhamero impugnatum eſſe, non tamen eam ipſam ita dejectam arbitratur, ut reſtitui, nequeat. Dum enim particulas ſalinas ab aqueis vaporibus non deprimi, ſed abripi ac in ſublime elevari ſtatuit: Reſpondet, id non æquè in aere, ut in aqua, procedere, cum experientia conſtet, nimboſa & humida tempeſtate Sal marinum ab aere non abſorberi, ſed liquari, diffundi & è ſalitis carnibus liquatum in terram depluere, ita quidem, ut Salſamentarii carnes Sale conditas ab auſtralium ventorum afflatu ac pluvioſo aere cuſtodiant ventiſque Borealibus, partium nitroſarum vectoribus, exponant. Provocat & ad Chymicorum enchireſin, qua ut Spir. Sulphur. per campanam eliciant, dies eligunt nebuloſos, aere humidiori ac magis roſcido fuſos illos ſales præcipitante.

Viſa hâc Apologia, non potuit non in

III. EPISTOLA
Ad
Illuſtrem & Magnif.
Dn. LUCAM SCHRöCKIUM
Dn. SCHELHAMERUS.

MEntem ſuam à D. Ramazzino fortè non ritè perceptam ulterius explicare. Dum enim Mercur. non poſſe è tubo deſcendere ſtatuit, niſi quia altius aſcendat in aerem, qui in vaſculo eſt, hanc particulam QUIA neutiquam ſtrictiſſimè, quà efficientem notat, ſe ſumpſiſſe aſſerit, ſed quatenus & cauſam ſine qua non complectitur. Neque enim in ea ſe ſententia hærere dicit, Mercurii in vaſculo, vel breviore tubi brachio aſcenſum eſſe cauſam efficientem, ut è longiore tubo alter deſcendat, eumque qſ. funiculo extrahat; ſed id ſe tantùm voluiſſe teſtatur, iſtum, quia remittat incumbentis, aeris gra-

vitas, altius in eum immergi hincque ſequi alterum, non motus principium, occaſionem & ordinem indicando: adeoque accuſatione fallaciæ non cauſæ, ut cauſæ, non ſe falli ſed Adverſarium. Adhæc neque ſe ſtatuere addit, neq; ab alio poſtulare, ut credat Mercur. abſolute rigidoque adeò ſenſu eſſe corpus, in fluido ita conſiſtens, ut lignum quoddam gravius in media aqua, ſed id ſibi concedi poſtulat, Mercur. aut comparandum eſſe iis corporibus, quæ in fluidis neque mergantur, neque emergunt, aut eorum rationem habere, etſi non in tota ſua libertate conſtitutus, & in circumfluo undique liquido medius natet, cùm omne ſimile etiam ſit diſſimile. Ad dubium ergò, quod D. Ramazzini movet: Talia debere in tota ſua libertate eſſe conſtituta, nec" ab ulla vi externa impediri, quin deſcendant, quod de Barometro ad pa-" rietem affixo dici nequeat; Reſpondet duplici ratione in medio fluido" ipſo quid poſſe conſiſtere primum, ut à fluido ſuſtineatur, quod illis evenit, qui eadem molis paritate prædita & eodem pondere gaudent. Deinde ab appenſo pondere (Gallis *Contrepoix* dicto) quod illis contingat, quæ ſunt graviora, licèt non minus in liquido graviori facto adſcendant, ut experimento quodam ex hydroſtaticis, in fig. ænea, ob oculos ponit & authoritate *Boylei Paradox. hydr. IV.* confirmat; adeoque & alterum, quod deficere dicitur, nimirum debuere data molis paritate eſſe e-" jusdem gravitatis, pari facilitate ita excuſari, cùm hæc tantùm in iis, quæ in" fluido ſtricta acceptione conſiſtunt, obtineant, non verò in hoc exemplo, eo modo, quo fecit, propoſito. Quia igitur Mercur. incumbens in ſuperficiem imaginariam Mercur. brachii reflexi, æquiponderat aeris externi incumbentis columnæ, perſtat ille immotus & habet rationem corporis in medio fluido librati, etſi non æquet eadem mole aeris pondus, ſed ſuperet: Et quia Mercur. in Barometro ſaltim quoad inferiorem, ut corpus in fluido conſiſtens (etſi tale propriè non ſit) conſiderari poteſt, hinc inferre licere: Sicut corpus aliquod in medio alicujus fluidi conſiſtens, ſi fluidum illud alteretur & fiat gravius, neceſſum eſt altius attolli, ita & Mercur. & barometro pluvioſo tempore fluido graviore facto, in recurvo ejus brachio in ſublime elevabitur, etſi non utrobique adſit molis & gravitatis æqualitas.

Hiſce præmiſſis ad alterum Experimentum, Barometrum ſc. novum (quod tamen in *Georg. de Sancto Claro Lib. I. Dial.* 22. jam deſcriptum vidit) in quo Mercur. in tubo vaſculo non immerſo ſuſpenſus hærere & pluvioſo tempore pariter deſcendere dicitur: Reſpondet illud cum hypotheſi ſua benè cohærere fierique, quia atmoſphæræ pondus humido interveniente ejuſ-

que

que partem ſuſtinente imminuatur frangaturque, ut tam graviter, ut antea ſuperficiei Mercur. in vaſculo incumbere illumque in tubum vitreum pellere nequeat. Cur verò craſſius hoc fluidum eundem non altius propellat, ſicut aqua marina navim magis, quàm fluviatilis? ut Dn. Ramazzini objecerat: Reſpondet hoc inde fieri, quòd Mercur. non innatet aeris ſummo, ut navis aquæ; ſed hæreat, in medio inter Mercur. & aerem, ubi ſibi ipſi eſt ſubditi fluidi loco, unde proprio pondere illius, qui incumbat, in ſuperficiem imaginariam imæ partis, in craſſius illud jam factum fluidum altius ſe inſinuet; mirumque non eſſe idem non fieri in re diſſimili, ex parte altera, qua ſibi ſimilis eſt, etſi inverſo modo, cum etiam Oceanus aereus inverſus ſit. Ut adeoque adhuc hypotheſin hanc magis, quàm Dn. Ramazzini, probabile eſſe ſtatuat, quam per Regulas, Poſtulata & Propoſitiones ulterius Mathematicè demonſtrare ſatagit.

Tandem ad Experimenta, quibus D. Ramazzini ſententiam ſuam ſtabiliverat & Salia in aere non æquè ac in aqua retineri, ſed depluere adſtruxerat, excipit, inde opinioni eique nihil præſidii relinqui, cum non merum Sal decidat, ſed ſimul aqueæ particulæ, quæ eundem ſolverant. Quod idem quoque in deſtill. Sulphur per Campanam obſervetur, adeò quidem, ut ſub ejus deſtillatione aqua recipienti quoque infundenda ſit, quò Sal excipiat, provocando ad *Scripta Wedelii*; Adeoque hic fallaciam non cauſæ ut cauſæ commiſſam eſſe, putat; neque concedit Ventum Borealem (ut D. Ramazzini aſſeruerat) partium nitroſarum eſſe Vectorem aut Polum Septentrionalem exſpirare aliquid, quod aeri robur addat, ſive particulæ nitroſæ ſint, ſive aliud nobis incognitum. Hoc enim aliquid ipſe omnino nihil eſſe credit, cum nihil de Nitro nativo in Septentrione reperiatur, ſed in Aſia, Ægypto &c. illudque quod tempore hyberno advehit Boreas, non tam nitrum ſit, quàm particulæ glaciales, frigorificæ, utut non ubivis terrarum ejuſdem qualitatis ſit.

Et cum Polus nihil realis dicat, hinc eundem nihil quoque exſpirare poſſe credit. Coronidis autem loco Obſervationes ſuas de Tempeſtatum ratione, hic forte non incongruas addit, quibus ipſi conſtat non eandem in omnibus Regionibus Ventorum naturam eſſe. Dum enim in Regionibus Ciſalpinis auſter humidus eſt ac mollis, Aquilo verò ſiccus & ſerenus, idem in Tranſalpinis perpetuum non eſſe putat, ita ut licet illud in Germania prope Alpes ſæpè etiam obtineat, in meditullio tamen ejus Auſter aliquando

pluvium quidem cœlum inferat, plerumque tamen ſerenus ſit non ſecus ac ventus Septentrionalis. In Saxonia Inferiori autem Auſter gratiſſimus obſervatur ut rariſſimè pluat, Zephyro perpetuis imbribus moleſto. Imo & Boreas nubilum exhibet, ita tamen ut aliquando ſiccus ſit. Eurum (qui in Italia aliquando humidus) illic conſtantiſſimam ſerenitatem inducere vidit, prout in Holſatia ſua Aquilo non raro pluvias, Auſter è contra ſerenitatem adferat, quibus omnia judicio Illuſtr. Dn. Præſidis ſubmittens Epiſtolæ colophonem imponit.

HISTORIA EPIDEMICA GERMANIÆ.

CONSTITUTIO EPIDEMICA AUGUSTANA

Anni 1699. & 1700.

Dn. D. LUCÆ SCHRöCKII,

Academiæ Cæſareo-Leopoldinæ Naturæ Curioſorum Præſidis.

UTi Anni proxime præcedentis exitum Zephyri, pluvioſi & tepidi, vehementia comitata fuit, ita præſens Annus 1699. ſimili cum auſtrina temperie incepit, atque tam conſtans venti hujus, cum Auſtro tamen & Africa ſubinde reciprocantis, ferocia uſque ad Solis in Aquarii ſignum acceſſum notabatur, ut Incolarum nemo tam diu horum impetum continuaſſe recordaretur, & rariora ac breviora hyemis indicia intercurrerent. Et quamvis auſtrina conſtitutio aliàs peſſime Medicis, ipſi etiam Hippocrati Sect. 3. aph. 5. non bene audire ſoleat, hic tamen vires exſerere ſuas non valuit, ventorum potentia atomos morbificos, quæ in putredinem proclives, & aerem inquinare aptæ fuerant, feliciter ubique diſcutiente; impedire tamen eadem non prorſus poterat, quò minùs ex collectis jam antea, & porrò hucuſque coacervatis lymphæ ſuperfluitatibus, aereque interdum frigido intenſibilem tranſpirationem retardante, Pleuritide aliqui corriperentur; Catarrhi autem in prægreſſo Decembri faucibus infeſti, nunc magnam Incolarum partem, gravius mitiusve, & modò fauces ſolas, ſed rarius, modo ſimul & frequentius pectus, ſive glanduloſam aſperæ arteriæ texturam ex improviſo, cum horrore occuparent, concomitante utplurimum capitis dolore, & febrili intenſo calore ſubſequente (ſed diaphoretico ſumto paucas intra horas denuo recedente,) nec non diuturniore, dum reconvaleſcentes aeri citius quàm decebat ſe exponebant, tuſſi humida ſuperſtite qua multum craſſi ſputi expellebatur. Et hæc anginæ nothæ ſpecies hyemali tempore quod epidemica evaſerit, quæ aliàs inter vernales morbos ab Hippocrate Sect. 3. aph. 20. refertur, minus mirari licuit, cum præſens hyems naturam primi veris induerit, ſicque prægreſſum menſibus prioribus frigus viſcoſi ſeri collectioni anſam cum dediſſet, mitior illa ſuccedens temperies fluxionem ejuſdem ſive liquationem promoverit. In ipſa morbi invaſione, quæ ſuffocationis metum ſæpe incutiebat, aliquot olei amygdalorum dulcium, aut oliva-

olivarum cochlearia præſentaneo cum emolumento fuere propinata, reli-quum autem curæ blandis diaphoreticis, cephalicis temperatis, expectorationem promoventibus, aliiſque pro circumſtantiarum & ſymptomatum diverſitate, externis etiam, emplaſtro de meliloto, malactico ſimplici, & Officinis noſtris dicto filij Zachariæ, non inanes ſuppetias ferentibus, abſolutum fuit. Qui ipſi Catarrhi, faucibus, pectori, dentibus infenſi, in vernum uſque tempus, mitiores tamen utplurimum, epidemice graſſari continuaverunt. Præter hos Morbilli quoque plurimos in puerili imprimis ætate, licet nec adultioribus parcerent, invaſerant, & per aliquot, vernales etiam, menſes ſe exſeruerant; benigni tamen & facilè iterum diſſipati, quamvis intenſo utplurimum calore incipientes, quin & capitis Eryſipelas in multis notabatur, moleſta quidem febrili incaleſcentia, tumore & pruritu periodum ſuam decurrens, aſt cum cuticulæ deſquamatione, moderatoque ſub caloris externi regimine non difficulter admodum iterum eveneſcens.

Erant eodem, & ſubſequo tempore, quibus febricula, hecticæ fere æmula, & quotidie calore quodam præternaturali, vel præcordiorum, circa ventriculi ſuperius orificium compreſſione, incerta periodo recurrens, cum adpetitu imminuto, ſiti vel nulla vel tolerabili, & virium laſſitudine, infeſta fuerat, Tinctura autem bezoardica bis in die, ſine ſudoris coactione, ſumta, interpoſitoque pilularum noſtratibus Immanuelis nomine venientium uſu, citiori vel tardiori circuitu, prout cauſa morbifica, viſcoſa, in glandulis fortaſſe minoribus ventriculi vicinarumque partium hærens, incuneata magis vel minus erat, ſine periculo finita. Licet & hecticæ febriculæ puerili ætati infeſtæ eſſent, à collectis viſcidis acidiſque in ſanguine particulis, & glanduloſas in primis viis partes obſtruentibus oriri à me creditæ, Eſſentijſque alcalicis & abſorbentibus terreſtribus medicamentis, poſt laxativorum uſum, maturè propinatis, non admodum difficulter abigendæ.

Dehinc Eurus penetrante quidem frigore, ſerenos tamen dies comitante, nos aliquamdiu infeſtabat, cum ſol in Aquarij ſigno eſſet conſtitutus; quo tamen dimidio emenſo, novas Zephyri, ab Africo ſæpius intercurrente adjuti, impetus ingruebat, ac nives plures ſpargebat, quæ vero brevi, cum aeris temperies utplurimum ad temperatiorem ſtatum inclinaret, iterum liqueſcebant; uſque dum aer non multum amplius à ventis agitatus, aliquot ante Æquinoctium vernale diebus copioſam nivem demitteret, atque exin frigoris inclementia per longum tempus nos adficeret, ſub potiori Zephyri dominio, qui poſt Calendas Majales vehementia ſua vernalium deliciarum proventum tardabat, tandemque in longiores pluvias reſolvebatur; cui cum circa Solis in Geminos ingreſſum Eurus ſuccedens ſerenitate grataque calidiore

tempe-

temperie nos refeciſſet, lætior terræ facies vernantes ſuas amœnitates eò liberalius protruſerat. Sub vario deinde, modò pluvioſo, modò ſereno Jove, præter reliquorum ventorum reciprocationes, Zephyri potiſſimum nova violentia concuti aër cepit, uſque dum Euro leniori ſpirante, calor æſtivus menſe Julio conſtantior ingrueret, Siriuſque campos exſiccaret, meſſem quidem ita maturiorem nec illaudabilem reddens, ſuccum tamen granis cerealibus, ut juſtò macriora exiſterent, ſubduceret. Interea febres continuæ petechiales, quandoque inſuper puſtulis miliaribus aquoſis ſtipatæ, interdum verò malignitate equidem non carentes, ſine tamen iſtiusmodi efflorescentijs periodum ſuam abſolventes, cum horrore, virium proſtratione, cephalalgia, dorſi dolore quandoque & ſiti non admodum moleſta, nec adpetitu prorſus proſtrato incipientes, per urbem, uſque dum Virginem ſol accederet, notabantur; non paucis, inter ſuccedentia in morbi progreſſu deliria & faucium ariditates, exitiales factæ, ubi vel ab imperitis tractatæ, vel per initia neglectæ, aut etiam decumbentes immorigeri monitis Medicorum fuerant; quam ipſam ob cauſam habitantibus in pagis viciniæ noſtræ Hebræis non levem cladem in Majo attulerant; Laniorum etiam familias in Urbe, quas præ alijs invaſerant, crebris funeribus contriſtaverant; aſt in principio ubi ex arte tractabantur, non admodum refractarias eas notare licuit, ita ut etiam in prima, quod dicitur, herba oppreſſas, paucoque alixipharmacorum, tincturæ bezoardicæ, theriacæ cœleſtis cum chinchinæ extracto &c. uſu abactas non una vice notaverim; ſicut etiam reliqui ſub tepidiori per morbi decurſum corporis cuſtodia, per continuatum diaphoreticorum uſum haud difficulter evaſerant. Alvus in nonnullis obſtructa per plures dies nullum incommodum attuliſſe, nec ſomnolentia in morbi decremento diutius inſtans nocuiſſe obſervabatur.

Sole in Virgine verſante, cælum, Euro crebrius perflatum, humidius & frigidiuſculum primò, poſtea conſtanti radiorum ſolarium præſentia animatum, denuo excalefactum cum eſſet, Diarrhææ ſimplices, paucioribus cruentæ tenellam præſertim puerilem ætatem, imò vixdum in lucem editos fœtus, hoc æſtivo tempore infeſtarunt, excretione aquoſa, pituitoſa, acidum redolente; quorum ægrotulorum magnam partem, ob parentum & qui curam puerorum agebant, negligentiam, remediorumque intermiſſionem trucidarunt; quibus enim medicæ manus prudenter adhibitæ, non infeliciter evaſiſſe, atque coraliorum inprimis aut terræ ſignatæ pulverem, cum theriacæ cœleſtis tantillo maritatum, aliaque ſtomachi fibras roborantia conduxiſſe notavi: cauſam vix aliam fuiſſe ſuſpicatus ſum, quàm pulmentorum ex farina cum lacte coctorum eſum, quæ ipſa farina ex tritico ante annum tempore humido col-

do collecto, atque exactam maturitatem non adepto parata, plurimas crudiores particulas abſconditas, non infrequenter mucidam, quod ſapor odorque teſtabatur, corruptionem expertas habuit, quæ dein tenero in puſionum ventriculo in liquorem acido-viſcidum abeuntes, digeſtionem vitiarunt.

Interea etiam magna illa Solis Eclipſis d. 23. Septembr. comparuit, quam multi noſtratum ex plebe, vana perſuaſione ſeducti, licet multum reformidaſſent, ut ſanitatis inde jacturam ſi feciſſent, haud mirari quis potuiſſet; quamvis nec tunc temporis, nec poſtea ullos morboſos effectus obſervare datum fuerit; quæ enim in Octobri & Novembri lymphæ ſtagnationes in plurimis odontalgias & Catarrhos leviores produxerant, aeris potius, quæ Eclipſin à d. 27. Septembris uſque ad d. 23. Octobris inſecuta fuit, inclementiæ, nebulis crebris, pruinis, pluvijs, frigore horridæ debebantur. Ipſa Solis obumbratio, quam cælo prius admodum ſereno nubium ſparſarum ab orientali plaga progreſſus anteceſſerat, cum ſenſim increſceret, remiſſioremque caliginem induceret, Eurus ſubito exoriens, non tamen impetuoſus, horridiuſculam auram reddidit, campique, ex nonnullorum relatione, quaſi rore maduerunt; quæ tamen cuncta tum obnubilatione ceſſante & ipſa receſſerunt.

Sol in Scorpionis ſignum ubi pervenerat, & Eurus præſertim, ad meridionalem tamen plagam quandoque inclinans ſpirabat, plures ſerenos frigidiuſculos numeravimus dies, matutinis tamen crebris nebulis turbatos; Novembre autem ineunte Zephyrus (qui altero poſt Solis in Sagittarium ingreſſum die vehementiſſimus erat,) temperatiores eos, varieque conſtitutos, utplurimum tamen ſerenos reddidit, & tandem ſub multivaria in Decembri aëris alteratione, atque cum reliquis ventis, videlicet primùm cum Euro frigido, circa medium menſem Auſtro temperato, & tandem Borea frigido alternatione, in nives & frigus deſpumabat. Nec ſingulares morbi notabantur, niſi quod in dicto menſe ultimo puerilem ætatem, non quidem admodum multos, Variolæ benigniſſimæ, quas noſtrates aureas dicunt, quibus verò majores puſtulæ, longiori quàm priores decurſu finitæ, in nonnullis interſperſæ fuerant, occuparent, omnes tamen abſque ſingulari periculo paucis temperatioribus remediis, & blando externo regimine facilè abigerentur; inſuperque Febres quotidianæ, quales jam circa Anni principium infeſtæ fuerant, repullulaſcerent, quæ majori cum calore, ſine horroris utplurimum ſenſu ingruebant, & facilè in hecticam declinabant, difficilioremque in multis curam reddebant, tandem tamen, cum interpolato laxativorum uſu, pulveribus abſorbentibus, nitratis, chinchinatis, martialibus medicamentis cedebant.

Princi-

Principium Anni 1700. ſerenitate, frigori junctâ, cum ſe commendaſſet, paulò poſt varia cœli facies, nebuloſa, nubila, nivoſa, pluvioſa, ſerena, frigida, temperata comparuit, quin & d. 28. Januarij tonitru ac fulgure tempeſtuoſa exſtitit, cum per aliquot dies Zephyrus, hucuſque ſemper, niſi quòd ad ſemimeridionalem plagam ſæpius inclinaret, ſe exſerens, aerem multum priùs concuſſiſſet; qui etiam venti M. Februario continuarunt, & hyemale frigus conſtans inter nives ſæpius delapſas, induxerunt; quod circa Solis in Piſces ingreſſum ab Euro incrementum ſumſit, niveſque, in M. Martio ſenſim liquatas, ſubinde ſpargere non intermiſit. Interea Januarius febres quotidianas in fine præcedentis Anni memoratas producere non prorſus ceſſabat; & nonnullos Apoplexia, diverſo fato terminata, alios Rheumatiſmo artuum ſuperiorum, qui uſque in Aprilem, juxta cum febribus nominatis notabatur, atque à repetitis ſudoribus, præcipuè quos Laconicum coriariorum proliciebat, ſoluto, infeſtabat; Infantes autem in glandulis faucium ipſiſque pulmonum veſiculis, non ſine febrili incaleſcentia invadens, atque grave aſthma inducens ſtagnatio periculo non levi expoſuit, multoſque eorum, præſertim aut ſeriùs, aut negligentiùs curæ commiſſos in ſepulchrum præcipitavit, cum reliqui orgaſmum iſtum refrenantium abſorbentium, & viſcoſam colluviem blandè per alvum ſputumque educentium uſum ſalutarem experirentur: Quæ cuncta ſicut inæqualitati aëris, lympham modò incraſſantis, modò in fluorem iterum eliquantis deberi arbitror, ita ejuſdem etiam aeris effectum fuiſſe non dubito, quòd diverſas puerperas abdominis, præcipuè in hypogaſtrica regione tormina corriperent, eaque lochiorum evacuationem non ad votum ſuccedentem, & hinc ex ſanguinis ſtagnatione nervoſam fibrarum tenſionem inducentem comitem haberent; quæ ipſa medicamentis caſtorinis, alijſque fluorem ſanguini debitum blandè reſtituentibus, ac viſcoſas impuritates unà per alvum eliminantibus ideò cedebant. Ab eadem aeris inæqualitate etiam, antequam Æquinoctium vernum adveniſſet, Icteri, Martialibus remedijs debellati, & Febres petechiales continuæ, cum cephalalgia ingruentes, in quibusdam Pleuritide comitatæ cæterùm nihil ſingulare oſtendentes, nec admodum letales, uſque in Aprilem, frigidum & primò quidem ab Euro ſerenum, poſtea ſuccedente Zephyro, cum ſemimeridionali vento alternante pluvioſum, ſparſim ut vix epidemicos inter morbos referri mererentur, notabantur, ſed Majus, crebros Zephyri flatus expertus gratiori cœli amœnitate illuxit, in fine tamen frigidus evaſit, morborumque ſeminia (præter Variolarum, nunquam uti hactenus, ita per totum reliquum Anni decurſum planè ceſſantium,) prorſus ſuppreſſiſſe viſus eſt; quos nec poſtea repullulare variorum ven-

torum, aerea, ſi quæ ingruerent, inquinamenta ex omni mundi plaga diſſipantium viciſſitudo, ſub grata calidioris, nec non temperatioris auræ alternatione, permiſerat. Quamvis poſtea per æſtatem Febres quotidianæ & Rheumatiſmi ſubinde denuo caput extollere conarentur, inque Menſe Auguſto Dyſenteriæ aliqua veſtigia notarentur, vix tamen memorari hìc merentur. Poſt caniculares dies primò frigidiuſcula aura ſpirabat, poſtea longior aëris ſerenitas non levem terræ ſiccitatem inducebat, uſque dum poſt Æquinoctium autumnale Zephyri vehementia, ab alijs ventis ſæpe interrupta, crebras pluvias ſuſcitaret, tepidioremque utplurimum auram redderet; quæ auſtrina conſtitutio paulò poſt non tantùm Variolas in plures infantes diffuderat, ſed etiam Tuſſes contumaces in multis, & Febres petechiales in quibuſdam produxerat; & has quidem non ſine contagij nota, ut integræ etiam domus alicubi inficerentur, & non pauci ſuccumberent, quos tamen non tam morbi violentia quàm quòd negligenter & imperitè, præſertim à ſtupida fœdi carnificis temeritate, quæ neſcio quo infortunio plures dementaverat, tractarentur, mortis prædam fecerat; cum alij ritè & maturè curati, paucis aſſumtis alexipharmcis, primos morbi impetus prorſus, vel intra biduum, retunderent, vel ſalvi tandem evaderent. Omnes præcedaneo horrore, ſubitam virium proſtrationem & præcordiorum oppreſſionem patiebantur; nonnulli cephalalgiâ per initia torquebantur, deliria verò & inquietudines interdum ſubſequebantur, ſitis rariùs urgebat, nec caloris præternaturalis externa indicia aderant, urina utplurimum & pulſus non multùm à naturali ſtatu recedebant. Talia etiam Civis cujuſdam uxorem cum filio 17. annorum invaſerant, qui empiricæ etiam illius imperitiæ expoſiti mortui ſunt; filia autem 19. annorum eodem malo correpta, in morbi augmento vermem duas ſpithamas longum mortuum vomitu excreverat, motibuſque membrorum convulſivis & continuis delirijs agitata, nil cibi & medicamentorum ulterius aſſumere voluerat, quin & potum omnem, quamvis fauces aridæ eſſent & muco viſcidiſſimo incruſtarentur, per biduum reſpuerat; quæ tamen, cum utrique humero veſicatoria adplicare curaſſem, tumque ipſa deglutire iterum aliquid inciperet, ſicque cephalica alexipharmacis mixta admitteret, mentem paulatim & membrorum tranquillitatem reſumſerat, & circa tertiæ hebdomadis à decubitu finem ſubortâ diarrhœâ evaſerat: altera filia duodecennis tertio & quarto morbi die vomitu crebro agitata, nil cibi, potus vel medicamentorum retinere poterat, datâ verò theriacâ cœleſti cum chinchinæ extracto motus ille ventriculi perverſus ſedatus eſt, die autem decimo caput intumeſcere & immenſum dolere cepit, ſed propinatis ibidem cephalicis & alexipharmacis, nec

non

non veſicatoriis utrique humero impoſitis, parotidiſque ſiniſtræ tumore ſub-orto, poſtquam ille à cataplaſmatis uſu diſcuſſus fuiſſet, atque diarrhœa ſu-perveniſſet convaluit. Filia 14. annos nata, & filius undecennis cum pa-rem morbi inſultum paſſi, intra octiduum ſanitatem recuperarunt. In omni-bus his ſudor ferè nullus prolici poterat, maculæ etiam puncticulares lentè nec ſatis ad votum prodierant: Pater prima morbi indicia ſentiens, ſumtâ bis Tincturâ bezoardica ejus violentiam eliſit, inter medicamenta etiam Pulveris noſtri alexipharmaci officinalis, qui ex terr. ſigill. C. C. phil. præp. rad. an-gel. Zedoar. cort. citr. & myrrh. componitur, repetitum uſum inprimis pro-ficuum expertus ſum; qui non tantùm lymphæ viſciditatem corrigere, ejuſ-que coagulum reſolvere, ſicque ad diaphoreſin diſponere, ſed etiam balſami-cis ſuis partibus ſanguinem à corruptione præſervare valuit. Tuſſes magnâ vehementiâ adultis æquè ac pueris infeſtæ, convulſivi aliquid alere viſæ fue-runt, & magnam humoris viſcidi copiam excreverunt; quibus verò, ut alia taceam, continuatum herbæ thee vel veronicæ, cum radice liquiritiæ infuſæ uſum præcipuam medelam attuliſſe obſervavi. Quo ſub Morbonæ domi-nio reliquum anni, varias cæli mutationes, temperatiorem imprimis auram producens, tranſegimus.

M 3 CON-

CONSTITUTIO EPIDEMICA BEROLINENSIS Anni 1699. Dn. D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP von der Müllen.

JAnuarii 1mâ dies tota pluvioſa, veſpertino tonitru ſexies ſatis vehementer reboante inſolito & hoc ſaltem tempore raro phænomeno tremendum edidit oſtentum. 2da inconſtans manè ex parte ſerena & ſicca, reliquo nimbis ingrata. 3tia manè pluviis moleſta in Caurum à meridie valdè impetuoſum deſiit. Sequentes ad decimum varii utplurimum pluviis, quandoque nivium flocculis mixti, nonnunquam frigore temperato in grave tandem gelu degenerante diſtincti, ſuccedente demum nive, hisque pluvijs, vernam ferè cum ſudo temperiem ad 19num uſque reducentes, Cælo nimirum de die ſereno, noctu verò gelido, revertente ſic paulatim fortiori gelu, triduum durante; tum verò rurſus in pluvias ac temperiem aëris leniorem per quatriduum declinante, ac ſuccedente denuo 28vo gelu ſatis acri ſed ephemero, in nebuloſum & pluvioſum quatriduum unâ cum menſe terminante.

Februarius eodem typo cœpit, mox verò 2do, ſuccedente gelu ad 11mũ uſque continuavit, in pluviolam veſperi ſolutum, ſed 12mus manè rurſus gelidus, cælo quidem obſcuro & flocculos ſubinde niveos ſpargente, octiduum continuavit, 19nus tandem remiſſior toto biduo pluvioſus ac nimboſus. Verum 22do poſt mane obſcurum ſequens 23us ſereno cælo pluvias ac grandinem miſcuit, ſuccedente poſt pacatiori 24to, rurſuſque nimboſo ac nivoſo 25to, tandem à modico manè gelu in amœnum triduum 28vo & ultimo tranſiit.

Martius à pauca nive, ſereno mox rurſus cœlo exorſus variis & inter ſe alternantibus tempeſtatum viciſſitudinibus, Aprilem potius referens, nivibus pluvias, gelu deliquia miſcens ad 12mum uſque perrexit. Conſtantiori poſtmodum frigore, ſereno utplurimum cœlo, nivibus, nonnunquam parvis interpellato ad 24tum uſque continuavit. Inde remittens, poſt biduum pluviolis quibusdam aſperſum, veſperam verſus clareſcens, 27mo in amœ-

nam

nam ſerenitatem, ſequenti tamen 28vo turbida tempeſtate, nimbis, pluviis ac grandine fœdâ interceptam, mox verò tolerabiliori biduo redditam, 31mo una cum trimeſtri hoc primo in vernam amœnitatem deſiit.

Morbi hujus trimeſtris initiò frequentiores ac Epidemicæ fuerunt præcipuè febres peculiares catarrhales, malignitatis non expertes, difficiles, periculoſæ & quibuſdam exitioſæ, cui ardentes poſtea ſucceſsere, pleuritide ut plurimum comitatæ, eaque acuta quandoque & maligna, nonnullis lethali, tandem & variolæ. His ob varium adeò cælum Februario menſe ſubſtitutæ febres acutæ ardentes & continuæ intermittentes, aut ſubinde potius exacerbatæ, malignitate ac petechiis infames, aliæque paulò mitiores quidem, ſed variis exanthematis, purpura, morbillis malignitatis latentis indicibus fœtæ, quæ & ſequenti Martio, totoque adeo trimeſtri & ultra durarunt ac haud paucos & plures miſerunt.

Aprilis primus cœptam ſub finem menſis præcedentis amœnitatem vernam, quibuſdam 4to præſertim, 6to & 8vo cum æſtivis de ſerenitate & æſtu certantibus, ad nonum uſque ſerie vix interrupta, niſi nubilum, utut rarius, horis potiſſimùm pomeridianis intercedens, cœlum variationis inſimulaveris, continuavit. Sequens quatriduum à nono ad 10mum ſerenitati pluvias induxit leves ac fœcundas. Inde ad 18vum Euro in Aquilonem paulatim deviante, aer quandoque ſerenus, utplurimum turbidus, ſiccus tamen, ſimulque frigidus, nonnunquam ventoſus. 18vus ſerenus ferè totus, circa veſperam fœcundam ſparſit pluviam. Succedente hinc cum ſudo temperato & amœno octiduo, 21mum procelloſum & ſub frigidum ſi exceperis, ad vigeſimum ſeptimum uſque, qui varius, manè turbidus à meridie tonitru, pluvia ac grandine horridus, circa veſperam demum ſerenus, triduo comitatus, turbido tandem in pluviolam ſub ipſo menſis exordio delicuit.

Majus totâ & amœna ſerenitate ver initiavit, ſed à ſucceſſore paulò aſperiore, Aquilone nimirum afflante, deſtitutus, Zephyro tandem ſubeunte in pluvioſum tranſiit quatriduum, à biduo ſereno denuò exceptum, ſed 10mo ſub veſpera pauca aſperſum pluvia. 11mus manè ſerenus à meridie udus, ſucceſſore 12mo ſereno ac ſicco interſerto, pluvium & circa veſperam tempeſtuoſum ſubſtituit triduum. Cui biduum æquè turbidum, ſed præcedenti ternario ſiccius acceſſit, donec 18vus ſerenus & amœnus vernam gratiam ac jucunditatem, quindecim dierum continua ſerie ad ipſum uſque menſis terminum durantem redintegravit.

Junius eodem quidem tenore inchoavit ac biduo ad veſperam uſque ſereno continuavit, in pluviam verò ſatis grandem aut imbrem potius & tonitru circa hanc defecit. 4tus nubiloſus & frigidulus, ſiccus tamen ſucceſſorem

tota

tota die Cauro impetuoſius flante nimboſum habuit, triduum tamen ſerenius & amœnius accerſentem, ad nonæ (quæ Pentecoſtes prima erat) uſque meridiem in pluvias fatiſcentem. 10mo ſuccedenti vario, turbido ac ſubinde madido, 11mo manè nubiloſo à meridie claro 12mo ſereno amœno ac temperato toto. Huic 13us manè ſerenus ac ventoſus, à meridie pluvioſus, Iride bis apparente, ac biduanam ſerenitatem nunciante, notabilis ſucceſſit. Quæ tamen à biduo inconſtante excepta, quatriduum addidit paulò conſtantius, mox tamen in biduum è ſudo & pluviis mixtum deſciſcens 21mum totum pluvioſum ad meridiem uſque 22di à meridie clareſcentis ſuccedaneum habuit. 23tius ſudo & æſtivo calore gratus. 24tum ejusdem amœnitatis ad occaſum uſque ſolis imbre degenerem, ſocium ſibi aſcivit, ut & triduum ſequens, pluviolis tamen quandoque madens, 28vus pluvioſus à 29no ſicco & à meridie ſereno correctus, cum 30mo toto æſtu ac ſudo acceptiſſimo ultimum ſecundæ hujus anni quadræ menſem clauſit. Trimeſtre hoc ſecundum morbos haud adeò frequentes aluit præter ſcorbuticos nonnullos aliis utplurimum complicatos, utpote Arthritidi vagæ, Nephritidi, Colicæ. Febres quasdam Catarrhales, quandoque, utut rariùs malignas. Majus ſcorbuticis prædictis hypochondriacos quoſdam &, at rarò maniacos junxit. Hiſque Epilepſias infantum præſertim & puerorum diarrhœas, ſubinde & dyſenterias hoc anni tempore aliàs inſolitas, febres quaſdam cum colica ſcorbutica aut hyſtericis paſſionibus combinatas accenſuit. Junius his malignas nonnullas cum pleuritide, quandoque & in peripneumoniam degenerante concurrentes, exanthematum quoque miliarium peculiari quodam genere, ut & petechijs, iiſque periculoſis ac quibuſdam lethalibus, infames ſuperaddidit.

Julii primus dies ſudum ultimo Junii inchoatum per quatriduum ad 5tum uſque propagavit, cujus veſpera pluviolam ſparſit raram. Sextus manè ſerenus, rorantibus ſubinde tamen pluviarum guttulis, aſperſus, à meridie imbrem fudit valdè largum, ſequentes ſeptem nubilo, aliquando & imbribus & nimbis turbato cœlo varii fuerunt. 14tus æſtivum redintegravit ſudum, ac excepto 19no tonitru & pluviis circa veſperam turbido, & 21mo pluvia veſpertina madente, ad 28vum uſque jugi ſudo & æſtu gaviſus eſt; Hic tandem ſerenitati huic ſatis durabili triduum tonitruoſum, pluvioſum ac quandoque grandinoſum ſuccenturiavit, ac 31mo demum ſereno & amœno finiit.

Auguſtus à triduo ſic ſatis ſereno, pluviis tamen quandoque interpellato exorſus, 4to ſudum produxit amœnum, ad veſperam uſque ſequentis durans, tum verò tonitru horrendo ac imbre valdè largo turbatum, 6to, ſudo ſubinde pluvias miſcuit, 7mo tonitru ſuperaddidit, ſubſequente va-

rio quandoque ventoſo, turbido ac pluvioſo ad 20mum uſque cœlo; poſtea verò ſereniori ac tranquilliori, non tamen omninò à pluviis immuni ætheri abblandivit ad 28vum uſque; una cum triduo ſereno toto, ac æſtivo calore amœno, menſem hunc claudentem.

September ſudum æſtivo fervore jucundum primo die continuavit, 2do à meridie pluviolas quaſdam miſcuit, ſequens nubibus id ſubinde temperavit. 5tus idem reparavit, à meridie pluviolam aſperſit, 6tus à pluviis immunis, 7mus & 8vus raras ſereno pluvias intercalavit; A nono ad 18vum æther æſtivum, ſudo rurſus & temperato calore amœnum affulſit, 18vus pluviæ pauxillo aſperſo, 19no & 20mo redintegratum ſed frigidulum, 21mo & ſubſequente biduo paulò mitius, 24to nebuloſum, ſed mox rurſus ſerenum cum ſucceſſore toto 26to ſudum pluvia matutina modica ac nubilo poſtea interpellatum ad 30mum uſque adeoque poſtremum reduxit, ſicque trimeſtri huic tertio gratum reddidit terminum.

Tertii hujus trimeſtris â priori haud multùm abludentis Julius hypochondriacas nonnullas & ſcorbuticas affectiones variis comitatas ſymptomatis, & hæc inter præcordiorum præcipuè oppreſſionibus & angoribus moleſtas; febres continuas ardentes, aliaſque paroxyſmis ſubinde vehementibus graves, nec omni malignitate vacantes, ſymptomata pericoloſa, pleuritides, hæmoptoes, deliria, ad phreneſin durantia, inducentes, Epilepticos inſultus; frequentiſſimè adeoque Epidemicè diarrhoeas nonnunquam & dyſenterias periculoſas, à tergo trahentes. Auguſtus eodem fere tenore tranſiit, niſi quod febres continuæ ardentes, malignæ admodum, frequentiores adhuc ac petechiis quoque ſtipatæ ſucceſſerint, atque Septembri quoque continuarint, in hecticam haud raro, tuſſes contumaciſſimas, colicas quoque paſſiones, diarrhœas & dyſenterias tranſeuntes, periculoſas, raro tamen lethales, purpura ſæpius, variolis raro, morbillis frequentiùs notatas.

October autumno congener à primo ad 19num uſque vario cœlo ſæpius pluvio, raro ſereno, ſemper horridulo tranſiit; Hic Serenus, præter parum pluviæ 23tio ſparſæ octiduum adduxit ſerenum & 25to præſertim æſtivo ſudo ferè compari, à biduo paulò nebuloſiori exceptum, 29no nebuloſo turbido ac pluviis raris tamen interpolatum, biduo alio ſereniori ſed Euro afflante frigidulo ſurrogata compenſavit, tandem poſtremo biduo in primam glaciem ſub ipſo exitu diriguit.

Novembris primus, ejuſdem cum prædictis poſtremis genii, ſerenus nimirum & gelidus, 2dus gelidus adhuc, ſed nubiloſus ac turbidus ſequenti nocte primas ſparſit nives, remittente parum gelu; noctu rurſus pruinam, tum

manè nebulam in pluviolam deliqueſcentem tulit. Subſequente 5to ſicco, mitiori æthere grato, tum pluvioſa nocte ad meridiem uſque ſequentis interſerta, inde clareſcente rurſus aere poſt turbidum 7mum, triduum ſubſecutum ſudo temperato valdè amœnum ad veſperam uſque 11mi pluvia rorantem, cui quatriduum rurſus ſerenum ſucceſſit, ac 18vum manè pluviolam ſpargentem, ſi exceperis, ad 21. uſque à meridie pluvia quoque rara cum ſequentibus duobus madentem. 24tus ejuſque ſucceſſor nimboſi aſſeclas habuere turbidos ac pluvioſos, ſolo 30mo menſis nimirum ultimo ſereno ac temperato excepto.

Decembris primus & ſecundus alternatim pluvias ſerenitati, ille manè, hic veſperi ſubordinarunt, 3tius in gelu pronus à nocte gelida, meridie nivoſo, reliquo ſereno in triduum brumali frigore rigens tranſiit; 7mus mitior, cum 8vo toto nives addidit; 9nus temperato gelu ſerenus; 10mus totus nivoſus à procelloſa nocte in ſerenum ac temperatum gelu migravit, quod 11mo fortius; 12mo ſubturbido cœlo per triduum ſubſequens ſatis rigoroſum, in gelicidium tandem deſiit, 16to nebuloſo cum ſequente, cœlo etiam ſereno paululum remittens, biduum ſubſtituit penitus degelaſcens, ſed redintegrato 20ma gelu ad meridiem uſque mitiorem, 21mo & 22do nebuloſis ac pluvioſis, 23. à nocte ſerena gelicidium à meridie adduxit ad 24ti uſque ſequentis meridiem, in pluviam tandem fatiſcentem. 25tus nebuloſus ac nubiloſus totus mite reſtituit gelu, cœlo ſereno cum nivibus quandoque alternante, ad 31mum uſque & poſtremum hujus ut trimeſtris ſic anni totius, robur ſucceſſivè validius acquirens.

Poſtremum hoc trimeſtre, perinde uti priora, febres obtulit varias ſatis frequentes ſatiſque vehementes, acutas & ardentes nonnullas ſimulque malignas pleuritide, & peripneumonia quandoque, utplurimùm funeſtis, diarrhœa, cholera, Ictero, Catarrhis cum defluxionibus moleſtis in dentes, tonſillas, guttur, pulmones &c. depluentibus contumacibus; Cephalæa, cardialgia, palpitationibus cordis intenſis, purpura ſubinde, morbillis, variolis & haud rarò petechiis ſtipatas. Præcipuè autem Colica quædam ſcorbutica valdè frequens fuit, prima facie levis, ac haud magni momenti viſa, mox verò nunc diarrhœæ, nunc dyſenteriæ, nunc pleuritidis in peripneumoniam ſæpè degenerantis, contumacis, periculoſæ & haud raro lethalis, Protei inſtar larvas induens.

Dn.

CONSTITUTIO EPIDEMICA BASILEENSIS

Anni 1699.

Dn. D. JOH. JACOBI HARDERI,

PRincipium Januarii fere ad uſque hujus medium, varia tempeſtatis eaque ſubita dyſcraſia ac mutatione, novi anni auſpiciis præluſit: imminente paulatim novilunio cœlum læta ſerenitate, aerque deſiderato Pruinæ incremento ac ſiccitate ad uſque finem hujus menſis favere perrexit: inde vero obſcurior aer ingruit, Februariique initium nunc nebuloſum fuit, nunc pluvioſa cum nive mixtum, ventis per intervalla fortiter ſpirantibus: Pleuritides & pleuropneumoniæ cum febribus continuis jam frequenter homines invadebant: neque catarrhi ferini iiſdem pepercerunt, variolis tenerior infantiæ ſubinde infeſtis.

Martii Principium pluvialis nix ingratum reddidit quæ inſtante Plenilunio, magna & inſolita cohorte, arva monteſque adeo obſedit, ut itinerantibus non parvo fuerint obſtaculo: inde blandiore accedente aere, nix paulatim fundi, & fertilis tempeſtatis ſpes major affulgere cœpit: uſque tamen interpolatæ circa finem hujus, & Aprilis initium nivales pluviæ, eandem rurſum extinguere cœperunt. 8. 9. & 10. April. interdiu calore blando terræ gremium reficiente, noctu vero pluvia cum tantilla nive idem irrigante: febres continuæ hoc tempore ſatis adhuc infeſtabant.

Die 12. April. calidiuſculæ pluviæ fugata in arvis montibuſque adhuc dum hoſpitans nix maxima ſui parte, affulgente deinceps ſerena tempeſtate, cum exoptato calore ſolis, florum fructuumque fœcundo parenre, tantum non prorſus evanuit.

Maji initium multa pluvia comitabatur, in montibus heic illic nive per intervalla interſperſa inde optata tempeſtas ingruit, ſolis deſiderato calore ſingulis terræ fructibus & ſeminibus, in vitam excitatis, cujuſmodi in Junium uſque & ultra fœcundiſſime continuavit; Julius quem canicula promittit fer-

rorem minus largum ſenſit frequentibus pluviis præter votum illum attemperantibus: neque ejus defectum Auguſtus majori calore, quem ab hujus medio ad finem uſque demum experti ſumus ſarcire potuit: unde uvarum maturitas quam Septembri mortales præſtolantur, verſus finem uſque hujus à nobis deſiderata fuit, & quamvis dies calidi interpolatè alluxerint, noctes tamen frigidiuſculæ, eandem non parum ſufflaminarunt; ſub finem Octobris nivalis tempeſtas jam ingruere cœpit, quæ ſubſequentibus hinc Novembri & Decembri menſibus, imprimis circa medium finemque hujus cum multa Brumæ ſævitia, ingravuit; præter febres continuas & in quibuſdam locis ſatis malignas, alii morbi rarius frequentes erant.

Dn. D. RUDOLPHI JACOBI CAMERARII, Academici Naturæ Curioſi,

Schediaſma Tubingâ miſſum ad Hiſtoriam Epidemiam.

Ann. 1699. & 1700.

LAudabile eſt inſtitutum hiſtoriæ epidemiæ Germanicæ, in appendicem Ephemeridum ab annis aliquot referri ſolitæ, quod ex multitudine obſervationum per diverſas provincias collectarum progreſſu temporis acquirendam ſpondet notitiam meliorem & pleniorem de ſubdolis alias & occultè, utut populariter, graſſantibus morbis. Hanc ego collectaneorum ſupellectilem hac quidem vice non venio locupletatum, nec plenam deſcriptionem conſtitutionum utriuſque anni hic inſerere neceſſe duco; Quoniam qui ſuis temporibus graſſari ſolebant catarrhi & inflammatorii pectoris morbi, quæque intercurrebant variolæ, cum alijs levioribus, tanti momenti non videbantur, epidemiarum autem febrium priſtina frequentia & malignitas ab aliquot retro annis per Dei gratiam in urbe dominium non obtinebat: Sed ea fata, quæ per triſtes olim annos communiter plures experiri ſolebant, jam paucis & vel uni atque alteri ſolùm obtingere, idque modo quodam ſporadico potius quàm epidemio, hoc annotare cùm licuerit, communicare etiam operæ pretium viſum fuit.

Exemplum quod huic rei fidem faciat ſingulare pro anno 1699. ſuppetit in

tit in una domo: Scilicet Aprili menſe primus in familia pater, vir robuſtus, idemque hactenus ſanus bibliopegus, febre maligna planè ex improviſo modoque acuto abripitur, hunc poſt breve tempus, liberis interim etiam correptis, ſed evadentibus omnibus, intra menſem ultima ſequitur in familia mater; ſic viduata domus, cùm altum de ſimili malo in urbe eſſet ſilentium, nec per hunc annum antè & pòſt ita acutè abriperetur quisquam. Nihil etiam contagii hinc retulerunt vicini, aut qui aliàs triſtes illas ædes viſitarunt. De cauſa illa manifeſta non conſtabat: Audiebantur quidem tum temporis hinc indè varij pauperum morbi ſub annonæ caritate ob diætæ vitia, vertigines, tormina alvi fluxus, ſed hæc in pagis potiſſimum; minus in urbe; Conſtitutio autem aeris per iſtum menſem, utut ſæpè blanda, mitis, velut æſtiva, hinc & leviter tempeſtuoſa, in principio tamen & fine fuit frigida, humida, cùm & vicinis alpibus diu inhæreret nix, quin nova ſub medium & finem ibi caderet.

Pro anno 1700. duo ſuppetunt exempla, notata in binis ædibus: ubi principium continuæ non communis febris iterum deducendum eſt à menſe Aprili, qua ſub ejus finem correptus fuit ſartoris filius, abſque omni, quantum quidem conſtat, cauſa evidenti, nec ab alio quocunque infectus; Hunc ſequitur ſoror major, hanc minör natu; omnes medico nullo conſulto vel abſque vel cum medicamentis ut ajunt domeſticis evadunt, ita tamen ut ad quinque & ſex ſeptimanas protenderetur apud ſingulos plena convaleſcentia. Quarta in ordine mater demum die ſeptimo vel octavo Junii (non enim ſimul tres priores perſonæ decubuerant, ſed una ferè reſurgente dejecta fuerat altera) cum male habere circa præcordia inciperet, ſumit purgans, neſcio quale aut cujus ſuaſu, & movetur fortiter, ſed abhinc ſtatim lecto affigitur, alvum ad tredecim dies habet clauſam, tunc ſuppoſitoriis & enemate tardè & parcè motam, jacet ſoporoſa, omnium negligens, excitata & interrogata ſibi non malè eſſe dicit, tandem ſubdelira, nullis uſa medicamentis, in tertia demum ſeptimana die vigeſimo quarto Junii moritur, lividè poſt mortem nigricans. Ipſo die ſepulturæ frater defunctæ, lanio robuſtus, quinquagenarius, tabellarius, poſt varios quidem errores diætæ, largos certè in vino exceſſus, ægrotare incipit, ſc. prævio horrore malignè dejicitur die vigeſimo ſexto Junij; Dicitur autem turbatus & veſtibus indutus diu manſiſſe extra lectum, ludens, garriens, cùm pulſus præ ſpaſmis jam explorari vix poſſet, & ut ajunt pleuriticus. Quidquid ſit de ipſo, quem non vidi, moritur ſatis acutè mane diei ſecundi Julij, convulſus. Abhinc terrore perculſa alterius fratris uxor etiam dejicitur, ſed evadit; Cum verò inſuper binæ perſonæ alijs in

ædibus, quibus cum iſta familia nihil interceſſerat commercij, febre, ſed mitiore & remittente, corriperentur, caderetque vir ſanus hactenus ex improviſo apoplecticus lethaliter, imò de ſubitaneis per patriam caſibus triſtes hinc inde advolarent nuncii, magna utique tum pavidorum commotio. Sed redeundum ad ædes ſartoris; Die altero poſt ſepulturum matris, filia annorum ſeptendecim nondum menſtruata, manè circa horam octavam ægrotare incipit, friget, à meridie incaleſcit, atque ita hinc continenter febricitat, ut extra lectum planè non degere, quin ſæpè in eo ne quidem ſe erigere poſſet, pleriſque tamen diebus horas matutinas experiretur meliores, pomeridianis autem ſentiret exacerbationes omnium ſymptomatum, quorum præcipua erant dolor capitis & ut ajebat cordis, cum levi tuſſicula, alvo tarda, pauca, ſiti non nimia, appetitu nunquam plenè abolito, lingua mucoſa, moleſtia quadam deglutitionis, abſque maculis, (uti & priores omnes) abſque ſingulari delirio, mittens urinam nunquam rubram, cum nebula poſt moram craſsa albide pallida: Hæc filia poſt dies quatuordecim evadit feliciter, uſa decocto raſur. corn. cerv. rad. glycyrrhiz. ſem. fœnicul. pulveribus pannonico, alexipharmaco, cervino, (prout hic in officinis juxta deſcriptionem B. Parentis in gratiam pauperum proſtant minus pretioſi) bis in die aut ter, alternis enim noctibus dabantur grana quatuor extracti bezoardici, deſcriptionis ejuſdem, cum vehiculo & mixturâ aquarum meliſſæ, card. bened. ceraſor. tiliæ, Syr. acetoſit. citr. cui addebantur cornu cervi uſtum, antimonium diaphoreticum, & tinctura bezoardica, cum pulveres illos, porrò ſummere recuſaret. Tandem ultimus in domo pater, die duodecimo Julij languere viſus, ſibique metuens, ne ordo jam ipſum tangeret, à deglutitis noctu ſeptem pilulis bezoardicis, & drachma dimidia theriacæ Andromachi mane in vino hauſta, largiter ſudans præſervatur, nilque ultra mali paſſus, finem ita imponit malæ febri, inducias hinc iterum urbi noſtræ (utinam benè longas) concedenti.

Hæc de hac familia; Interim alibi in urbe lotrix, cum prioribus non communicans, circa idem tempus cum iſta muliere, ſc. die octavo Julij, poſt loturam linteorum, ſub horam veſpertinam ſeptimam horrore gravi correpta, hinc ob æſtum, ſitim, acutum capitis dolorem, cardialgiam, tuſſim fruſtraneam, dolores coſtarum pleuritidem æmulantes, die decimo Junij manè venam ſecari jubet in brachio, (unde ſanguis extractus mora temporis nullam contraxit cruſtam, ſed mundam ſervavit ſuperficiem) decurſu dierum mane & meridie melius, à veſpera in noctem ſemper pejus habet, tum dyſpnoica ſubindè & ſubdelira; Die decimo tertio menſis obſervantur in collo ipſius

ſo ipſius & pectore maculæ minutæ rubentes, die decimo octavo per collum efflorescentes veſiculæ milliares; Alvus die decimo quarto ante meridiem ſpontè novies non torminosè ſoluta per morbi decurſum manet lubrica, laxior communiter ſub exacerbationibus; Urina mittitur nunquam tincta, plerumque turbida, cum ſedimento poſt moram laxo, craſſo, pallido. Sic afflicta fœmina ſub uſu prædictorum medicamentorum, quibus hic acceſſerat decoctum pectorale alexipharmacum, electuarium diaſcordium, & cortex Peruvianus evaſit feliciter; equidem in ſexta ſeptimana jam iterum lotricem agens, notabile adhuc ſub declinatione emergens narravit phænomena, pruritum ſc. ferè univerſalem, valdeque moleſtum, quo ad fricandum vehementer corpus urgebatur, unde & in ſquamulas elevata & exſiccata cuticula abſceſſerat paſſim. Cæterum hæc non uti prior, infecit quenquam, ſive nemo ab ea laboravit ſimiliter, niſi quòd filiola annorum quatuor eam videretur ſequi, febricitabat enim per dies quatuordecim continenter, cum exacerbationibus veſpertinis, ſine maculis; convaluit autem abſque medici ope, cùm poſt longam anorexiam & abſtinentiam appetitu ferebatur in lac acidum eoque ſatiaretur.

Hæc ſunt fata familiarum, quas in alta velut pace ſecuras hoſtis improviſus diverſimodè aggreſſus graviter exercuit, modò unam & alteram in domo eligens perſonam, reliquis parcens, aliàs nulla prætermiſſa paucas fataliter abripiens; Ibi in una domo perſiſtens, decurſu intra breve tempus abſoluto, hic extra domum ad conſanguineos & affines ſeſe extendens, diu tamen protracta ſucceſſione in eadem, ad menſem ſc. uſque tertium. Illum aliàs novimus morem talium febrium, quòd cum epidemiam minantur invaſionem, accedentes ſubdolè & ſparſim ſe prodant, & cum finis earum adeſt, recedentes ſubindè tamen, cùm minimè credis recurrant; Hic autem neutrum locum habere, videtur, ſed alia ratione triſtem ſui memoriam renovaſſe malignitas; idque non tam hyberno, quo major olim communiter notabatur, quàm æſtivo potius hac vice tempore, quo Mars apud nos (utinam per Dei gratiam diu) quieſcit, & qua mediocre fuit annonæ pretium. Addendum hac occaſione poſt hyemem inconſtantem, ventoſam, lutulentam & gelidam, non minus varium ſucceſſiſſe vernum tempus, nive iterum alpibus diu, ad finem uſque Aprilis, inhærente; Junium in ſpecie ſæpe, ipſo die ſeptimo, fuiſſe pluvioſum, ad exundationem fluviorum in utraque circa urbem valle. Reſpondebant interim tali conſtitutioni morbi varii, inter quos præcipuæ hybernæ variolæ, vernæ ſcabies, pleuritides, peripneumoniæ, ſub initium

Maji

Maji perquàm frequentes: Abhinc autem inter benignos nec multos morbos obſervabatur ſingularis illa malignitas, ad paucas determinata perſonas. Quibus ſub finem pro declaranda temporum iſtorum de cætero bonitate addi poteſt; quòd à quo tempore fama de nova remedio antidyſenterico pererebuit, nullus obſervatus inter nos fuerit æger, quo cum ejus periculum fieri potuerit.



SCHE-

SERIUS MISSA
Dn. D. AMBROSII STEGMANNI
HISTORIA EPIDEMIA MANNSFELDIACA
Anni 1697.

CUm Temporum inæqualitas, Hippocrate & Experientia teſte, plurimos pariat morbos, nec minima utilitas, judice Per-Illuſtri Domino Præſide ex Epidemica Annorum conſtitutione, diligentique illorum obſervatione reſultet in Rempublicam Medicam, operæ pretium duxi & Ego, ut circa Comitatum Mannsfeldiacum ex epidemica conſtitutione propullulantes morbos, quantum mihi obſervare datum fuit, annotarem & Ephemeridibus adderem, Ab Anno itaque 1697, bono cum DEO, initium faciam: Cujus Menſis JANUARIUS incepit gelu rigoroſo congelare aquas, & nive conſpergere terram ad 5tum uſque diem, quem inconſtans ingruente ultima Lunæ quadra, aëris tempeſtas excepit, & per reliquos hujus menſis dies mox pluvijs, mox nive, mox turbinibus continuavit.

MORBI: Per hunc menſem tumores inſoliti hominum capita occuparunt, ut tertio majores extiterint, quas tamen ſudorifera & veſicatoria optimè diſſiparunt. Sic & Pleuritis notha in gravidas nimium quantum ſævijt. Nec non catarrhi ſuffocativi primæ, mediæ & ultimæ ætatis homines invaſerunt, qui Affectus tamen appropriatis ſuis remediis auſcultarunt.

FEBRUARIUS inconſtante Aeris temperie, multis comitatus nebulis matutinis & veſpertinis ad nonum uſque diem continuavit, quo frigus intenſum ingruit & ad 24. Quatembris ſcil. diem, duravit, reliquos huius menſis dies rursus Aer pluvioſus, udoſus & nebuloſus excepit.

MORBI: Menſe hoc Morbus Hungaricus, ſuperveniente utpl. 7timò die Anginâ, Febreſque Petechiales multis exitiales fuere, Petechiæ in pleriſque abſque ullis datis Medicamentis 2do ſtatim & 3tio die maximâ cum virium proſtratione & malignitate eruperunt. Et licet multi his laborantes ſanis ſimiles viderentur, tamen præter omnium opinionem die 7timo extincti ſunt. Die 5to utpl. in ſexu nobiliori hæmorrhagiæ narium in ſequiori menſtrua cum infallibili lethalitatis indicio, erumpebant. Quibus mox ab initio delirium ſupreveniebat, morbo abſolvebantur ſic & diverſos ex pauperioris ſortis homi-

nibus vidi ſuperſtites, qui negligentius vivebant, in frigore jacebant nec ullam ſui corporis curam habebant. Ex decumbentibus etiam quidam recidivam ſunt paſſi, ità, ut intra menſem bis fuerint petechiis inſigniti, qui tamen omnes vita privati ſunt. In quibusdam febre hac demortuis, facies vivorum ſimillima & ſudore guttatim conſpicua, deprehenſa eſt. Admirationem etiam ſubit, quòd bubones peſtilentiales, in quibusdam peſte, tempore ultimæ contagionis, olim infectis, hoc menſe rurſus intumuerint purulentamque materiam de ſe dederint. Optima Bezoardica lege Artis & ſummo ſtudio adhibita reſpuebat omnia hæc febris. Itidemque vomitoria & Venæ ſect. in principio etiam adminiſtrata erant de nihilo. Sola veſicatoria, quæ tamen plurimi recuſabant, primis ſtatim diebus in diverſis corporis partibus ſimul applicata, multos eripiebant è faucibus mortis.

MARTIUS & APRILIS mox pluviis & tonitru, mox nive, mox turbinibus mutarunt ſuos dies.

MORBI: Catarrhi & tuſſes nimium quantum infeſtarunt Homines, in his Pillul. de Succin. Craton. it. de Cynogloſs. aſſociatis Elixiriis pectoralibus multum profuerunt.

MAJUS inſolito Aeris fervore & tonitru ingruit, & ùſque ad X. diem continuavit. Reliqui hujus menſis dies pluvioſi & ventoſi noctes verò ob flantem Boream ſumme frigidæ extiterunt, ut & exinde fructus & fruges ob glaciem obductam frigore ſint tactæ & læſæ.

MORBI. Hoc menſe Pleuritis, Hæmoptyſis; Arthritis vaga ſcorbutica, & imprimis febres Catarrhales multos infeſtarunt.

JUNIUS intravit rurſus inſolito Aeris fervore, cujus XImum diem Boreas excepit & uſque ad XX. diem duravit, quo rurſus Aeris fervor cum tonitru ingruit & menſem finiit.

MORBI. Hoc Menſe Melancholia multos utriuſque Sexûs homines invaſit, qui truculentas manus ſibi ſuisque intulerunt, ſupervenit & quibusdam Melancholicis Epilepſia paucas poſt horas lethalis.

JULIUS crebrioribus pluviis, flante Borea, per totum menſem ita moeſtus fuit, ut Vulcanus tunc temporis ſuperbiret in noſtris fornacibus.

MORBI: Hoc menſe febres Tertianæ & Quartanæ, it. Partus difficiles ſequiori ſexui periculoſi fuere.

AUGUSTUS, SEPTEMBER & OCTOBER pluvioſi & ventoſi flante Borea & Euro extiterunt.

MORBI. Catarrhi Tuſſes & Pleuritis vagarunt hinc inde.

NOVEMBER & DECEMBER maximè inæquales fuerunt & mox pluviis, mox nive, mox frigore mutarunt ſuos dies.

MORBI

MORBI. His menſibus Icterus in quibuſdam cum diarrhœa, in aliis cum vomitu, in plurimis cum tumore ventris obſervatus eſt & totas familias infecit, paucos tamen intra dies pillulis meis Martialibus & Sale Cachectico Ludovici profligavi hunc morbum. Sic & Arthritis vaga Scorbutica & Podagra multos infeſtavit.

EPIDEMIA MANNSFELDIACA.

Anni 1698.

JANUARIUS frigore intenſo per 4. dies ſpirante Subſolano continuavit, 5to die Aer nebuloſus ingruit. 6to & 7timo Aquilo nivem, d. 12. 13. 14. Zephyrus pluvias protulit, d. 15. 16. 17. 18. 19. 20. Euro-Notus nivem & intenſum frigus redditit. Reliqui menſis dies, flante Zephyro, rurſus pluvioſi extiterunt.

MORBI. Tuſſis, Catarrhi & Pleuritis notha multis moleſti fuere.

FEBRUARIUS pluvioſo & auſtrali aere uſque ad Sextum continuavit diem, 7timo frigus intenſum, ſpirante Euronoto, ingruit & per reliquos hujus menſis duravit.

MORBI. Pleuritis, tumores ſub axillis & morbilli admodum familiares fuere hoc menſe omnis ætatis hominibus.

MARTII primi VI. dies, flante Zephyro, pluvioſi extiterunt, VII. frigus, ſpirante Euro-noto, intenſum rurſus ingruit & uſque ad XX. continuavit, quos reliquos menſis hujus dies aer meridionalis cum pluviis & tonitru abſolvit.

APRILIS totus pluvioſus, ſpirante aere meridionali extitit.

MAJUS eodem aere & pluviis uſque ad 18. diem continuavit, d. 19. Subſolanus radiis Solaribus terram ſiccavit, quam tamen d. 27. pluviæ & grandines rurſus humectarunt, & ad finem uſque hujus menſis perdurarunt.

JUNIUS, JULIUS, AUGUSTUS, SEPTEMBER & OCTOBER mox pluviis, mox radiis Solaribus & aere validiori, mox frigidiori, variante Aquilone & Auſtro admodum moleſti, extiterunt.

MORBI. Licet maxima Aeris inæqualitas per totum fermè Annum extiterit, minimi tamen morbi has oras viſitarunt. Nam præter Melancholiam, Maniam & furorem uterinum planè nullus alius in Comitatu Mannsfeldiaco per Menſem Julium, Junium & Auguſtum obſervatus eſt morbus. Hi autem Affectus permultis familiares fuerunt. Nam XV. Melancholiâ, VII.

mana & octodecim furore uterino laborantes meam ſolummodo implorarunt opem, quibus etiam ad unum omnibus appropriatis ſuis remediis & imprimis veſicatoriis & VenæSect. Deo auxiliante, priſtinam reddidi ſanitatem. Nymphamoniacæ imprimis mira paſſæ ſunt ſymptomata. Quædam nil niſi obſcœna proferebant verba, veneremque intendebant. Quædam inſomnia phantaſtica recitabant, & modò hunc, modò illum Sanctum. l. Principem. l. alium Magnum pro ſponſis habebant. Aliæ cantabant, ſaltabant & modò in caput, modò in pedes ſe conjiciebant, variaque abſurda immiſcebant. Aliæ rythmos componebant, totas paginas è Bibliis recitabant & Chiliaſtas ſe profitebant. Extitit autem, quod mirandum, furor uterinus contagioſus, nam ijſdem in ædibus ſæpè 2. 3. & plures decumbebant mulieres hoc affectu. Vidi etiam meis: Quòd præfecti cujuſdam uxor in paroxyſmo ejuſmodi furente conſtituta, ex adſtantibus mulierculis ruſticam quandam virginem ad oſculandam manibus arriperet, recuſantique colaphum impingeret, ex quo terrore ruſtica hæc, altero die poſt, eodem affectu infecta fuit.

NOVEMBRIS initium frigidum fuit, reliqui verò ejusdem dies mox pluviis, mox nive rurſus moleſti extiterunt.

DECEMBER mox frigore, mox pluvijs, mox nive, mox turbinibus Annum abſolvit.

MORBI. Hiſce menſibus variolæ ſuis maculis primæ, mediæ & ultimæ ætatis homines ſignarunt. Vidi enim vetulam ſeptuagenaria propinquiorem, & virum ſexagenario majorem, variolis abſque vitæ jactura decumbentes. Sic & bruta à variolis non immania fuere, ex quibus pennata, utpote anſeres & gallinæ, tùm domeſticæ, tùm indicæ, hiſce infecta perierunt ferme omnia. Oves & porci verò, quibus expellentia (utpote cineres ex ſtipitibus fabarum, vel frumento ſecalino cum urina humana, vel rob Sambuci &c.) ab Oeconomiis curioſis propinata ſunt, utpl. evaſerunt ſuperſtites.

CON-

CONSTITUTIO EPIDEMICA BEROLINENSIS Anni 1700.

Dn. D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP von der Müllen.

JAnuarii 1mus ſt. Greg. gelu quod annum præcedentem finierat, cum degelaſcente tepore imbribus ac nivibus mixto commutavit, & ad feſtum Apparitionis ſ. ut vulgo vocant trium Regum uſque continuavit, ſequenti feſtum die gelu cælo ſereno vires recuperavit, ac per triduum ſervavit, 10.mo rurſus & ſequentibus; 12mum gelu aliquali & nivibus diverſum, cum 16to, 17mo & 18vo blandum gelu nocturnum cælo nubiloſo à meridie pluviis rorantibus, ſi exceperis ad 25tum uſque remittens, 26tus priorem vigorem reaſſumſit, illique nives ſuperaddidit; eoque tenore ſequentibus, 29no excepto, ad 30mum uſque duravit, tandem 31mo ac ultimo illius menſis, pluvioſo, à meridie vario deſiit æthere.

Februarius temperato quidem frigore cœpit, ſed nivibus quandoque aliàs pluvijs, utut raris, interpolato varias fuit, ad 22dum uſque, à quo redintegrato per triduum brumali rigore, ſereno interdum cœlo, 25to ſenſim remittente, 28vo circa veſperam in pluviam tandem deliquit.

Quam prima Martii ſerenus excepit dies, huncque ſequentibus gelu nocturnum, ſubinde & diurnum, nivibus 3tio & 4to opertum, ſuccedentibus à 5to ad 11mum ſatis rigidum, remittens 12mo ad 25tum uſque Cauro impetuoſius flante noctu valdè gelidum & hujus ſequaces ad finem uſque menſis, Cauro licet ab Aquilone repulſo ac hinc 30mo ſuccedente Euro eodem ferè tenore perdurantes.

Morbi hoc anni quadrante præter ſcorbutum ferè endemium ejuſque aſſeclas, ut & cognatum malum hypochondriacum, fuere frequentiores Catarrhi; tuſſes, febribus, quandoque Catarrhalibus, variis defluxionibus, in genas, dentes, maxillas, guttur, ſcapulas, ipſum quoque pectus & pulmones, pleuritide item tam verâ, quàm ſpuria, indeque utplurimùm pullulante hæmoptoë, hancque nonnunquam excipiente aut Phthiſi aut hectica, haud rarò etiam nephriticis doloribus complicatæ. Præterea febres quoque aliæ variæ, interque illas quædam malignitate non vacantes, morbillis & variolis ut & purpura ſeſe prodentes.

Aprilis primis diebus Euro-noto ſpirante paulò remiſſior, 6to Vernæ amœnitatis prænuntio, variantibus ſubinde ventis & nonnunquam ſatis aſperè flantibus, ſereno tamen plerumque cœlo, rariùs pluvias rorantes ſpargens, ad extremum uſque diem temperatus fuit.

Cui Majus ferè totus reſpondit, frigidior equidem paulo præter 12mum & 17mum ſudo & tepore verno amœnos, ad 22dum in pluvias comite tonitru circa veſperam cum ſequenti toto & 24to manè uvido ſolutum, ſuccedente biduo ſereno ac temperato, poſtque 27mo manè pluvio, tandem ad 31mum adeoque ultimum ſerenus & amœnus.

Junius ſerenitatem & amœnitatem vernam Majo cœptam ad 6ti uſque veſperam cum pluvia tonitru advehentem continuavit, 7mus & 8vus præcedentibus nubiloſiores, circa veſperam rurſus pluvii fuerunt, reliqui ad 12mum obſcuri & frigidi, ſicci tamen; à 12mo verò, 20mo manè pluvioſo, veſperi tonitruoſo excepto, ad 22dum & 23. ſerena & amœna temperie commendabiles, ac hos inter 14tum, 15tum, 16tum & 17mum æſtivo ferè æſtu graves fuerunt, ſubſequentes pluvioſi, quandoque tota die ac nubili ad 30mum uſque & ultimum manè nubilum, poſtea præcedentibus ſereniorem.

Morbos hoc trimeſtre præter prædictum ſcorbutum & ab illo dependentes Cachexiam, dolores, tumores & id genus alia ſymptomata, febres genuit omnis generis, communes, Ephemeras, intermittentes varias, etiam ſeptiduanam, paroxyſmo ſeptimo quoquo die recurrente, rariùs, ſi unquam antehac in praxi occurrentem; continuas, ardentes, cum & ſine exacerbationibus, Catarrhales, malignas haud rarò, pleuritide, arthritide, Catarrhis aliiſque variis defluxionibus tuſſi, doloribus præcordiorum & hypochondriorum, aſthmate, interdum convulſivo infeſtas, purpura, morbillis atque variolis aliiſque exanthematis fœdas, paſſiones item hyſtericas, nephritides, diarrhœas, hæmorrhagias etiam uteri, &c.

Julii prima dies ſerenitatem ultima Junii cœptam continuavit; Verùm ſequentes menſe ferè toto alternis diebus ſudum cum pluviis nunc parcioribus, nunc copioſioribus alternando, æſtivum ſereni cæli æſtum ſic imbribus & pluviis temperarunt.

Auguſtus à primo ad 7mum ferè pluvioſus, triduum ad 10mum uſque ſerenum intercalavit, ſequens triduum manè ſiccum veſperi pluvia maduit; 14tus vento nubes diſſipante ſerenas, 15tum ſucceſſorem habuit totum udum & imbroſum, 16tum manè pluvium, poſtea ſerenum, ſerenitate triduum continuante, biduum rurſus mane nebuloſum poſt rar..s ſpargendo pluvias vida m. Sudo 22do interſerto 23io nubilo, tonitruoſo ac pluvioſo in ſereni-

tatem

tâtem tandem declinanti 24tus ſucceſſit ſerenus & amœnus, atque huic frigidulum pluviis ſubinde madens ad finem uſque menſis ſeptendium.

September facie à primo rorante nonnunquam aliàs ſereno, in ſudum æſtu ſæpiùs grave mutata, ad 13ium uſque manè ſerenum, licet à meridie poſt tonitru grave imbridum, commendabilis, triduum accivit varium pluviis ſerenitati interſperſis, ac frigore, moderato tamen, non uſquequaque gratum; triduo alio ſudo gratiori exceptum, biduo rurſus interpolatum vario, 22do ſicco, 23. toto ferè pluvio ac frigido, 24to manè nebuloſo ac nubilo, â meridie ſereno, ſubſtitui triduum ejuſdem ferè tenoris frigidum tum ſerenitas bidui poſtremi menſem nunc ſimulque trimeſtre hoc abſolvit.

Qua morbos id præcedenti ferè compar, niſi quòd frequentiores adhuc fuerint febres præſertim ardentes & malignæ, petechiales quoque, pleuritides item in phtiſin quandoque declinantes, quædam veræ, quædam etiam nothæ, dyſenteriæ & diarrhæa, æſtui partim & inordinatæ, in potu præſertim & fructuum horariorum ingurgitatione, diætæ originem debentes nonnunquam lethales variæ, febribus interdum comitatæ defluxiones cum tumoribus artuum, præcipuè genarum valdè contumacibus.

October à primo ad 4tum uſque nubilum & à meridie rorantem, indeque ad 8tavi uſque veſpertinam pluviam ſerenus, temperatus ac ſudo ferè jugi veris inſtar amœnus, Noctu inter 8vum & 9num Tonitru horrendo terribilis, nono ſparſis à meridie pluviis paulò horridior; 10mo ſine pluvia nubilus, 11mo ſudum redintegravit, biduo ſuccedente vario ac quandoque pluvio, 16to veſperi pluvia madens, cætera cum ſequentibus quinque ſerenus, 21mo nubilus ſubindeque rorans ac Auſtro flante frigidus, 22do manè pluvius ac nubilus cum ſequentibus quinque ſiccus, 27mo nubilus totus ac imbroſus, 28vo vulturno aſpirante nebuloſus manè, poſtea cum inſequentibus ad 31mum ac menſis hujus poſtremum, paululum rorantem & frigidum, ſerenus atque ſiccus.

Novembris primus durante adhuc Vulturno gelu induxit, & per biduum continuavit, quod tertio rorante manè parumper cælo remiſit, ſuccedente 4to toto pluvioſo; tum biduo turbido ſicco tamen, manè præſertim atque huic ad 12mum uſque varia, quandoque nubila, alias ſerena, ſicca ſubinde, rurſuſque pluvia tempeſtate; tandem Cauro afflante gelu 13tio ſerenum acceſſit ac ſequenti mane turbido & à meridie nive prima comitato, uſque ad 19num à rigore remittentem & pluviis madentem duravit. Tum poſt biduum pluvium, biduum ſucceſſit gelidum procelloſum & grandinoſum; huic demum nix manè pluviis mixta, à meridie ac ſequenti 24to in imbres deli-

que-

queſcens, ſequenti verè nocte Auſtro flante rurſus gelaſcens, diurno ſuccedente per quatriduum ſudo, veſperi vento paulatim ad Eurum regrediente in nivem reſoluto ac biduo ſubſequente toto pluvioſo, nebuloſo ac inamœno menſem terminante.

Decembris primus gelu reduxit ac nives, quod ad 7tum uſque circa veſperam pluvia ſparſa remittentem duravit, hunc ſequens biduum adhuc remiſſius prima die pluvias veſpertinas tulit, altera ſiccius fuit. 8vus manè nebuloſus valdè ac pluvius, poſtea ſiccior, 9nus, totus nebuloſus & Zephyro aſpirante imbroſus, 10mus manè paulo ſerenior, veſperi pluvioſus. 11mus mane turbidus, poſt ſerenior tandem nubilus & udus. 12mus blandum gelu, nonnunquam nivibus nonnunquam gelicidio interpolatum reduxit, ad uſque 20mum, qui rigorem majorem addidit ac quatriduum continuavit, circa veſperam 24ti remittens ac vario cælo, utplurimum tamen uvido, ad 31mum uſque perſeverans, ſicque hoc trimeſtre ſimulque annum ipſum temperato, at ingrato frigore claudens.

Ultimum hoc trimeſtre morbos produxit prioribus nec frequentia, nec varietate nec gravitate cedentes, paſſiones hypochondriacas, Iliacas, Colicas, hyſtericas, nephriticas, Febres varias, præſertim acutas, ardentes continuas, catarrhales, pleuriticas, malignas quoque variolis & petechiis infames & quandoque funeſtas. Defluxiones & Catarrhos, ſuffocativos quoque, in genas, guttur, pulmones &c. depluentes. Aſthmata convulſiva quoque nonnunquam & anginas cauſantes. Diarrhœas & dyſenterias, Cephalalgias, hemicranias, cardialgias, odontalgias, hemiplegias, Apoplexias, Epilepſias, præſertim infantum. Tumores varios & dolores, utplurimùm contumaces, & innumera alia ſcorbuto præſertim & Venereæ lui familiaria ſymptomata, brumali frigori, cælique frigidiori ac humidæ conſtitutioni variabili & inconſtanti ex parte tribuenda.

Joſephi

JOSEPHI LANZONI,
Philoſ. & Medic. Doctor. Ferrarien. in Archi Lyceo Ferrarienſi Profeſſoris ordinarii, & Acad. Nat. Curioſ. Collegæ, dicti *Epicharmi*

DISSERTATIO
DE VITA ET MORTE

Ad

Dn. D. LUCAM SCRöCKIUM,
Medicum Auguſtanum, & Leopoldinæ Imperialis Academiæ digniſſimum Præſidem.

INgens auſum eſt meum, temeritatique affine, quod hanc Diſſertationem de Vita, & Morte ſub tuum conſpectum venire ſinam, Protectorem non habituram, quin potius ſuſtinuerit judicem

quo nil exactius, eruditiusque,
ſed nec candidius, benigniusque;

quamobrem ad hoc tua me coegit humanitas, incitavit virtuti adjuncta nobilitas, & ſtimulavit inſeparabilis à comitate Prudentia

Tu caſtus moribus, innocens pudore,
Velox ingenio, decore felix

Clariſſimi Patris tui virtutes laudabili æmulatione imitaris, & quod de Hercule dictum, aureas ex animo catenas emittis, quibus non aures modo ſed hominum tibi mentes adnectis; Plura me loqui geſtientem pudor exterret, ne quid peccem in hujuſce flammæ innocentiam; Sub auſpicijs

igitur nominis tui, hanc Diſſertatiunculam emitto, orans, ut animum obſequentem ſerena fronte admittas, & faveas; Hinc felix Hygia te ad Neſtoreos annos incolumem ſervet, dum ego uſque ad vitæ terminum permanebo

Tuæ Ill.mæ Dominationis

Ex Muſæo meo Ferrarienſi die 9. Septembris Anni 1700.

Addictiſſimus Famulus
Joſephus Lanzonus, Med. Doct.

DISSERTATIO
DE VITA, ET MORTE.

INgentis ſpeciei Deam tibi, humaniſſimo Lectori, offero undique perluſtrandam Amorum ſcilicet matrem, Venerem ipſam; At cur obſtrepis? quid hic exponere Dearum ſalaciſſimam, ubi de vita, & morte diſceptandum? Forſitan ſepulcrales næniæ commune aliquid habent cum nuptialibus tympanis? Ita ſanè, Veterum enim exquiſitiſſima ingenia Venerem non ſolum natalium Præſidem coluere, verum etiam mortis; ſiquidem in æde Libitinæ quæ ad Vitam pertinent vendere conſueverunt, Libitinam non aliud, quam Venerem eſſe putantes; hoc autem argumento humanæ fragilitatis, ait *Rhodiginus*, unumquemque admonebant, quod una, eademque Dea principium, & finem vitæ in poteſtate habeat, utque ingredientibus vitam, vel decedentibus præſideat; ſic unuſquiſque vitæ dies, & poteſt eſſe ſupremus; alius namque inter materni uteri latebras, & inter fingentis adhuc naturæ manus intercidit; Alius in ipſo ſtatim ævi flore, vix dum percepto vitæ ſenſu, perit, alius dum naſcitur, alius dum vagit in cunis abripitur; imò ex tot hominum millibus, quam paucis datum eſt ad ſenectæ limen, quemadmodum cecinit Homerus, pertingere. Adeamus igitur cum tali prodromo propoſitam de vita & morte diſſertationem, ut de eo ſaltem gloriari poſſimus, Nos hodie, ſi theſin Medico-Phyſicam attingere nequivimus, pro viribus tamen moralem hypotheſin detexiſſe. Aſt accedendo ad inſtitutum, ſtatim ab initio magni Romanæ eloquentiæ Parentis occurrit aſſertum; vitam nempè quâ fruimur, à DEO nobis dari, atque impertiri, quibus

bus autem eadem initatur fundamentis, quoque corruat modo, apud Medicos non ità conſtat, ut nulla ſe prodat dubitatio; examinare igitur conabimur primo loco, quid reverà importet vita; ſecundo cur ut plurimum certum tempus non tranſeat; poſtremò denique in quo mors conſiſtat; & ut primam propoſitæ orationis partem aggrediar enucleandam, oportet ſupponere de Vita tantùm me loqui, non prout ab anima rationali principium ſucceſſivusque operationes ſumit, verum in quantum, anima rationali non conſiderata, animal quodcunque vivit; Quapropter Peripatetici Philoſophi, quos Medici Galeniſtæ ſecuti ſunt, vitam nil aliud eſſe docuerunt, præterquam manſionem vitalis caloris in humido, quod vocant radicale, ac tamdiu vitam conſervari, quouſque humido conſumpto calor ipſe extinguatur; Rem exemplo illuſtrare conantur flammula nimirum in candela, in qua obſervatur, quod ad ejus lumen conſervandum duo requirantur, nempè calor ſeu ignis, & pabulum, ut cera, vel oleum, quod ipſi igni alimenta miniſtret: ſic ajunt in animalis corpore nativus calor exiſtit, qui continuò veſcitur humido quodam, quò corpus ipſum abundat; & quemadmodum quoties oleum debitam proportionem excedit, toties ignem ipſum lucernæ obruit, & quoties maximus ignis pauciori copiæ olei conjungitur, hac breviter abſumpta pariter evaneſcit, ità nimium excedente vel radicali humido, vel calore nativo, animalis vita labitur; Ut autem verum fateamur, hujuſmodi ratiocinium præter adductum exemplum de flamma nihil continere videtur rei tam certæ, aut ſaltem tam veroſimilis, ut veſtrum, *o Academici Curioſi*, mereatur aſſenſum; Intellectus enim concipit quidem, ignem conſervari propter pabulum, ignem deficere propter pabuli immodicam copiam; Difficultas autem eſt, ni fallor, hujuſmodi operationes concipere in animalis corpore, ubi nec flammam exiſtere, nec pabulum miniſtrari eadem ratione, qua fit exteriùs, conſtat; Quare hujuſmodi metaphoram vulgaribus hominibus traditam credamus oportet, Philoſophis verò res ab ovo, ut dici ſolet inquirentibus, intimiùs rem emedullare convenit; negotium enim præ manibus habemus, quod non fictis verborum machinamentis eſt pertractandum, ſed majori, quò fieri poteſt, candore, & certitudine.

Clariùs forſan philoſophantur, qui vitam conſiſtere docent in quadam partium proportione, & harmonia, nempè quod tamdiù vivere dicatur Animal, quamdiù ejus partes ità ſibi mutuò cohærent, atque reſpondent, ut fungi poſſint muneribus illis, quæ maximè vitam conſtituunt nempè quamdiù exercere poſſint motiones omnes, quæ ſunt omninò neceſſariæ, ad hoc, ut anima valeat ſuas edere operationes, quod idem prorsùs eſt aſſerere vitam nil aliud eſſe, quam rectam partium organizationem; Et quamvis hujuſmodi

organizatio, & partium harmonia, conditio tantum prævia, & dipoſitio vulgò dicatur, ut anima corpus ipſum ingrediatur; hoc profectò de Brutis minimè, ni fallor, ſentiendum cum eo inſtanti vivere incipiant, quò primò conformantur; & quidem anima non de novo producta, ſed ſolummodo ex recta fluidorum cum ſpiritibus, & utrorumque cum ſolidis partibus harmonia, reſultante, cum quibus motus omnes, quos vitales appellamus, producunt; & hoc quidem maximè probabilitate non caret, cum experiamur mechanico artificio fieri poſſe volatilia, quæ materiales alas habentia huc, & illuc agitari poſſunt: Porrò ſi quis nunquam hujuſmodi machinam vidiſſet, ſtatim cum viderit illam huc, illuc inſtar veri Animalis moveri, procul dubio pronunciabit verum eſſe animal, nimirum quia potiſſimum Animalis argumentum eſt motus; Neque objiciant, maximum eſſe diſcrimen inter verum, & fictum Animal, utpotè quod præter apparentem motum nihil ulterius poſſidet, quod valeat vitam teſtari, ac proindè longa diverſaque ratione conſtitui vitam in Animalibus; quam partium varia contextura; Huic enim difficultati facilè occurrunt, explicantes miram naturæ ſolertiam, quam Ars non niſi rudi quodam ſtudio valet imitari. Quare licet diligentiſſimus fingatur Tarentinus Architas, hic tamen præter volatum, non potuit aliud Columbis à ſe conſtructis impertiri, ne proinde dicendum eſt natura diverſis ab Arte inſtrumentis in ſuis fœtubus parandis, procedere; Concludendum itaque reor Animal automa quoddam eſſe, cujus vita in partium id componentium proportione, ac harmonia conſiſtit, & in tantum ab illis, quibus ad menſurandum tempus nos utimur diverſificari, in quantum hoc à natura illa ab hoc artificialem conſtructionem recognoſcunt; illa motu deſtituta hoc mediante redeunt in motum, qui eorum vita dicendus, hoc verò nequaquam quia nimirum nequit Ars ſingula aſſequi, atque invicem combinare inſtrumenta, quæ illam conſtituunt, ut ſuperius dictum fuit: Nonne enim artificialia horologia ſola mediante gravitate, motus omnes quibus indigent, exercent? & quonam alio medio noſtrum hoc naturale utitur, niſi illo? An non propter ſanguinis impulſum, qui preſſionem, & pondus importat, in animantibus ſecretiones fiunt, nutritiones peraguntur, & calor conſervatur? An non propter fermentationes in muſculorum fibrillis excitatas motus omnes excitantur, cum tamen fermentatio nil aliud ſit, quam quædam elatio, per quam dum majus ſpatium deſideratur, fibrillæ diſtenduntur, motuſque celebratur. His poſitis, & pro viribus delibatis magna ſupereſt difficultas, quomodo ſcilicet voluntarios motus, hac data hypotheſi, exerceamus; cui difficultati, ut ſatisfacere poſſimus, opere prætium eſt animadvertere, quod quamquam hi motus ſenſibus noſtris percipiantur voluntarii, attamen illa ratione, qua exteriùs in horolo-

rologiis quadam rota tacta immediatè incogitatus motus celebratur, eodem prorsùs modo in Animalis corpore ij motus, qui voluntarii appellantur, peraguntur; ſcilicet, ſi quis citò extenderit manum in noſtros oculos, tanquam nos verberaturus, quamvis ſciamus, eum nobis Amicum, & non niſi joco id facere, vix tamen poſſumus nos cohibere ab illis claudendis, quod oſtendit eos non claudi ſpontanea quadam opera, cum id fiat contra voluntatem noſtram, quæ ſola, aut ſaltem præcipua illius eſt actio, ſed quod machina noſtri corporis, ita ſit compoſita, ut motus illius manus in oculos noſtros excitet alium motum in noſtro cerebro, qui deducit ſpiritus animales in eos muſculos qui palpebras deprimunt; nam nedum reor in ipſo Cerebro ſeparari, & cribrari ſuccum nerveum, & animales ſpiritus, verum & copia aliqua retineri poſſe, ut ad certos uſus adhiberi valeant: Concipere item poſſumus ex diverſis, vel per externos ſenſus, vel per phantaſiam, & memoriam tactionibus in nervorum aliquorum capitibus, ſeu infundibulis, talem dilationem fieri poſſe, ut ſpiritus animales, qui priùs per eorundem ſpatiola deſcendere ab anguſtia prohibebantur, mox qua data porta feliciter & ubertim excurrant. His ita ſtantibus, quis non videt quanta facilitate mechanicè, motuum omnium harmonia peragi poſſit? nam exempli gratia, cum quis ſapidum edulium videt, ex hac viſione fibrillæ quædam cerebri leviter, & cum delectatione tanguntur, ex qua facili negotio conſentientes (quemadmodum in horologijs rotæ cum rotis) aliæ fibrillæ, quæ aliàs hujuſmodi tactionem cum delectatione expertæ ſunt, & in quibus præteritarum quaſi ſulci impreſſi fuere, diſponunt Animal ad porrigendas manus, ad aperiendum os, ad deglutiendum, quia ſucceſſivè ſemper præteritæ delectationis refricatur memoria, & vi præſentis cogitur animal ad continuationem; Unde eleganter non minus, quam doctè Lucretius cecinit, voluntarios corporis motus exemplo navis à vento commotæ patefaciens:

Et facile eſt factu, quoniam conjuncta tenetur
Inde ea proportio, corpus ferit, atque ita tota
Paulatim moles protruditur, atque movetur;
Præterea tum rareſcit quoque corpus, & aer
Scilicet ut debet qui ſemper mobilis extat
Per patefacta venit penetratque foramina largus,
Et diſpergitur ad partes ita quasque minutas
Corporis; hinc igitur rebus fit utrinque duabus
Corpus ut, ac navis velis, ventoque feratur,
Nec tamen illud in his rebus mirabile conſtat
Tantula, quod tantum corpus, corpuſcula poſſunt

P 3 *Contor-*

Contorquere, & onus totum convertere noſtrum;
Quippe etenim ventus ſubtili corpore tenuis
Trudit agens magnam, magno molimine navim,
Et manus una regit quantovis impetu euntem,
Atque Gubernaclum contorquet quolibet unum
Multaque per trochleas, & tympana pondere magno
Commovet, atque levi ſuſtollit machina niſu.

Sufficienter ergo probatam opinor primam hujus orationis partem, quo ſuppoſito devenire opus erit ad ſecundam, cur ſcilicet cujuſcumque animalis vitæ præfixus propriæ ſpeciei terminus nunquam pertranſiri poſſit; quam tamen licet rem maximoperè difficilem agnoſcam, conabor nihilominus breviori, quo potero ſermone extricare; Dico igitur quod cum ſemen ſecundum omnes ſuas partes deſierit ſe extendi, & ut meliori modo me explicem, cum amplius non habeat corpora, quæ optent complexum aliarum ſibi ſimilium particularum, & ſic Animal vegetationi terminum dederit, tunc omnia ad æquilibrium motus omnes gerentia conſiſtentem vitæ ſtatum, ætatem virilem à Medicis appellatam conſtituunt, quæ feliciter perdurat, imò infeliciter, dum timendum ſemper ne cum nequeant in eodem ſtatu remanere, aut quieſcere, in deterius ruant, quemadmodum de Valetudine dixit Hippocrates, & etiam juxtà illud:

„ *Qui l' inopia, e l' affanno ogn'or ſi vede;*
„ *E con il cibo ancor la vita manca*
„ *E della Morte rea creſcon le prede.*

Ea enim corpora, quæ vel in motu ſunt, vel alterius corporis motui reſiſtunt, vel obſecundant, neceſſe eſt ut quotidie diminuantur, & minimarum molecularum jacturam inſenſibiliter experiantur; Audiamus quæſo Philoſophum Poetam ſupradictum ſua Muſa canentem:

Quin etiam multis ſolis redeuntibus annis
Annulus in digito ſupertenuatur habendo;
Stillicidi caſus lapidem cavat; uncus aratri
Ferreus occulte decreſcit vomer in arvis;
Strataque jam vulgi pedibus detrita viarum
Saxea conſpicimus . . . .

Quod ſi igitur lapides, & Metalla longo annorum curſu ſeneſcunt, & tabo conficiuntur, quanto magis Animalia, quæ non modo externis tum aeris, tum

tum aliorum corporum motionibus ſunt obnoxia, verum etiam perpetuo opus eſt fluidorum, & ſpirituum omnium impetus, & detrimenta ſuſtineant, quò fit ut ſolidæ partes, per quas fluida præterfluunt, alterentur, diſcontinuentur, atque figuram propriam tandem amittant; figuram dico, qua omnia peragunt, & à qua vitæ continuatio dependet; figuram dico, qua nimirum cutis cribrum, tranſpirationem tantoperè viventibus neceſſariam molitur, figuram nempe, qua viſcera omnia impenſu glandularum conglomeratarum, conglobatarum & veſiculatarum, nè dum fluidorum cribrationibus, & permixtionibus conſulunt, verum etiam fermentorum energiam conſervant; hac igitur alterata, neceſſariò læditur vitalis Oeconomia, ſeneſcente itaque animali neceſſe eſt ut tandem morti ſuccumbat, quia nempe fluiditates vitæ protrahendæ neceſſariæ ab alteratis organis vitiantur, quæ ut plurimum ſenſim de ſpiritu amittentes vapeſcunt, atque vel ad ſtagnandum in Cerebri concamerationibus evadunt obnoxiæ, undè Rheumaticæ affectiones, & aeris interceptiones, vel alibi lentis paſſibus advenientem Mortem celeriùs accerſunt; Ratio autem cur nonnulla Animalia celeriùs, nonnulla tardiùs morti debitum perſolvant, à duabus cauſis petenda eſt, nimirum à majori fluidorum ſubtilitate, ac energia, quà lenteſcentiæ reſiſtunt, & à robuſtiori viſcerum, aliarumque ſolidarum partium ſtructura, qua mediante annorum tabo vegetius reſiſtunt, nec tam de facili propriam figuram deperdunt, undè annorum ſeries diuturnior evadit, ſin autem è converſo, nec fluiditates ſint admodum ſubtiles, & vegetæ ut ſtagnationi reſiſtere valeant, nec ſolidarum partium ſtructura ſit adeò firma, quæ tum externis, tum internis motionibus obſiſtere poſſit neceſſe eſt, ut brevior Annorum curiculus animantis vitam metiatur, atque pallida Mors Animal invadat; Quarè, ut tandem Diſſertationi huic noſtræ finem imponamus, perquam eruditè incomparabilis Philoſophus *Renatus de Cartes* ſcripſit: corpus hominis viventis differre tantum à corpore hominis mortui, quantum differt horologium, aut aliud automaton, (id eſt alia Machina, quæ ſponte movetur,) cum rectè diſpoſitum eſt, & in ſe habet principium corporale motuum, quorum gratia elaboratum eſt cum omnibus, quæ ad ejus actionem requiſita ſunt, ab eodem horologio, vel alia machina, dum rumpitur, & principium motus ipſius agere ceſſat; quod totum intelligendum, mortem, nil aliud eſſe, quam omnimodam motionum omnium privationem nam cum vita ex dictis, in ordinato quodam motu conſiſtat, mors è diametro vitæ oppoſita nil aliud erit, quam quies. En igitur à primo ad ultimum pro viribus probatum vitam hominis eſſe admodum ſimilem horologio, cujus ſanè Mors in quiete pariter conſiſtit, quemadmodum Vita in motu.

I.N.J.

I. N. J.
PARALLELISMUS
Ad
Ann. VI. & VII. Dec. I. Ephem. Curioſ. collectus
à
ROSINO LENTILIO.
Curioſorum Oribaſio.

Ad OBSERVAT. V.

MUlier quinquagenaria ab inde à longiſſimo tempore menſes non amplius paſſa nos conſulebat, de cardialgia vix tolerabili cum ventris torminibus queſta, cui pauperculæ ſuaſimus levidenſe *baccarum juniperi*, *ſeminiſque carvi* elixandum cum fontis aqua decoctum, de quo cum vix per octiduum calide ad uncias circiter ſex bis in die bibiſſet, menſtrua denuo nil minus cogitanti, ruptis aggeribus cum impetu, quam copioſiſſime fluxerunt, ſanguinis congrumati fruſtis majoribus olidiſſimo fetore comitatis una prodeuntibus. Ab eo tempore menſes ordinaria periodo nunc aliquoties rediere, ceſſantibus omnibus iſtis ſymptomatis, & muliere in vitam ſibi denuo quaſi reddita. Cæterum vide, quæ in PARALLELISMO ad *Ann. III. Dec. I. Ephem. Cur.* ejuſque *Obſ.* 214. commentati ſumus in *App.* ad *Ann.* VI. & VII. *Dec.* III. *Eph. Cur. de fluxu menſium ætatis menſuram e cedente*, quibus addimus, quæ ex *Solenandro* refert *Exc. Raygerus Schol. ad Obſ. 68. Spindleri*, paradigmata nempe mulierum ad 70. 80. immo centeſimum annum iſtiusmodi fluxum patientium, qui, num proptea præternaturalis & ſymptomaticus ſit dicendus, hæreo, cum euphoria quid aliud docere videatur.

Ad OBSERVAT. VI.

QVid? ſi frequenter affectus ventriculi Medicis ſub phthiſeos ſchemate imponerent? Immo, quid? ſi phthiſeos etiam ipſius ortus ventriculo ſæpe deberetur? Plura ſane dantur exempla pulmonum poſt diutiſſimum lethiferumque phthiſici morbi Schema innoxiorum tamen repertorum.

torum. Quod inter alios *Illuſtr.* HOFFMANNUS *Schol ad Obſ.* XXI. *Cent.* III. *Poter. p. m.* 300. confirmat his verbis: *Frequentius phthiſis fit à viſceribus abdominis obſtructis & induratis, nullo vitio principaliter exiſtente in pulmonibus* Loquor autem de phthiſi in genere, ac tuſſi tamen etiam ferina, enormi & cum ejectione pituitæ plurimæ conjunctam, non de ſtricte ſic dicta, quam aliqui proinde pulmonalem non inconcinne vocant. Hinc & ipſe *Clar.* BARBETTE eo devenit, ut in *Praxeos Cap II. tb.* 2. partem in phthiſi affectam primariam ventriculum, glandulas & pancreas; pulmonesque tantum per conſenſum affici aſſeruerit, vapulans licet à Commentatore *DEKKERO*, it. *WALDSCHMIDIO Diſp. de phthiſi* §. 6. & noſtro *DOLÆO Encycl. Med. Pract. p.* 291. Nam, ſi de phthiſi in genere loquamur, ut vulgo fit, & germanicum quoque vocabulum, Schwindſucht / innuit; hoc verum eſſe deprehendimus, contra BARBETTE mentem à ventriculi prava diſpoſitione & glandularum meſentericarum infarctu, ſcirrhoſisque viſcerum abdominis tumoribus, denique & in malo conſummatiſſimo pulmones deſtrui, veriſimillimum eſt. A potu frigido eoque largiori in æſtu ſummo hauſto ſæpe phthiſin oriri toto die comperimus. Id profecto fieri videtur, non tam inde, quod ab iſtiuſmodi potu ſubſtantia pulmonum primario lædatur, ſiquidem, utrum de potu quidquam in trachæam inter potandum illabatur, nondum confectum ſit, quam quod ventriculi (forſan & œſophagi) glandulæ à dicto potu quaſi ſtringantur, indureſcant & liquor fermentalis in illis elaboratus ac contentus in gelatinam denſetur, unde primum omnium vitium, digeſtio depravata, & confectio chyli minus ſubacti, ſed viſcidi, glutinoſi, acris, non ſatis, ut aliqui loquuntur, meteoriſati. Quo pacto ab hoc chylo in meſentericas glandulas tramiſſo, harum quoque infarctus & ſcirrhi oriri queant, haut obſcurum eſt: Minus itidem obſcurum, qua ratione per longam temporis intercapedinem tuſſis primum excitari, & ab hoc tam continuo ſuccuſſu pulmonum ſubſtantia vitiari, horum fibræ laxari, veſiculæ oppleri, poſtremo eorum eroſio fieri poſſit. Quodſi medicamentum inveniri queat ventriculi glandulas dicto ſupra modo temeratas in priſtinum ſtatum reducere quod aptum natum eſſet, huic tam diro & exitiabili malo promptius, ni fallor, mederi poſſemus. Id verò fortaſſe præſtiterint *balſamica temperata, reſolventibus ex aſellis, lumbricis &c.* conſtantibus, forſan etiam *hydrargyrinis* remixta, quibus ſi *aromatici* tantillum additum fuerit, pharmacon effici queat numeris abſolutum. Non tamen negamus à læſione, cumprimis externa, pulmones abſque præexiſtente in corporis humani culina vitio erodi, hincque phthiſin oriri poſſe, ſed quæ aliter, quam illa noſtra, per *balſamica* magis *glutinantia & traumatica* curari amet. CAROLUS

LUS LEIGH in *phthiſiol. Lancaſtr.* vomitoria ſæpe cum utilitate ſe phtiſicis exhibuiſſe aſſeverat, quod in phthiſi à pulmonum ulcere valde ἄτοπον mecum quiſque fatebitur, ſi tamen mali radix in ventriculo hærere comperiatur, oportunum valde ac commodum. Omnis phthiſis, quæ in deſtillatione capitis, ſeu catarrho vulgo oriri dicitur, a nullo alio eſt, niſi à ſanguinis, ſeri, lymphæ, ſimiliumque humorum acrimonia, quæ ſalſedo ſæpiſſimè in digeſtione ventriculi vitiata originem ponit, *ait* ETTMULL. *Oper. edit. Franc. Tom. I. p. m.* 280. Aperuimus aliquando puerum 14. annorum, qui tabem ab hauſtu frigido largiori ſibi contraxerat, cujus ventriculi (licet appetitus non omnino proſterneretur) ſubſtantia tam diſſoluta quaſi reperta, ut vix digitis leviter contrectata rumperetur; pulmonum alter lobus, tametſi non inſons, attamen levius vitium contraxerat, quam ut inde jam mors expectanda fuerit, quin & diu jam ante contabuerat, quam difficulter ſpiraret.

Ad OBSERVAT. IX.

IN *Sereniſſima* quadam *Principe cephalalgia* internecina per 18. & ultra ſeptimanas laborante, exquiſitiſſimis remedijs nil juvantibus eandem *hirudinum* applicationem juviſſe ſcimus. Vid. m. App. ad Ann. V. & VI. Dec. III. Eph. Cur. Auſu tamen ſatis temerario lubricas hirudines linguæ admotas arbitramur; nam, ſi forte manibus elapſæ gulæ imminuiſſent, mortem acceſſere potuiſſent, qua de re vid. *Act. Med. Hafn. Vol. II. Obſ.* 126. Ubi memorabile quoque Coloni *Draxholmenſis* in palude nudis pedibus virgulta ſecturi, hirudinumque ibi nidulantium ſuctu pereuntis exemplum, alio quodam augere poſſum, quod ante annos non ita multos *Nordlingæ* accidit, ubi Vir quidam Veſpere ſero ex urbe domum pedeſter concedens nocturnis erroribus in ſtagnum vetuſtum, adeo juncis obſitum, ut aqua fere nulla conſpectui daretur, deductus, & ex cœno ſponte ſua emergere non potens, ope humana ob loci ab hominum habitaculis diſtantiam deſtitutus, mane mortuus eſt repertus, nullo ſubmerſionis aut ſuffocationis veſtigio, ſed maculis hinc inde, ceu vulnuſculis animalculorum obſitus, adeo, ut *hirudinum* ſuctibus exhauſtum periſſe manifeſtum cenſeam (eo magis, quod ſtagnum ob *hirudinum* myriades, der Egel-See nominari conſueverit. Idem propemodum contigit puellæ *Abraham Stroppianæ in Act. eorund. Vol. III. obſ.* 73. ægre adhuc ſervatæ, ubi curioſum eſt, quod ſcribitur, arte nulla *hirudines* à crure puellæ dimoveri potuiſſe, niſi tactas *cervini cornu ſpiritu*; item alios præ alijs à morſu beſtiolarum, omnium vero maxime fœmininum ſexum & eum magis errores menſium patientem, peti. Quinimmo ſanguinem acido peccantem eis gratiorem experimento doctus obſervationis Auctor ſcribit, quippe in ſpi-

in Spiritum Cornu cervi merſas, extemplo periiſſe, tardius facta in vitrioli ſpiritum alioſve liquores acidos immerſione. Hinc non ineptè concludit Auctor *hirudines* non tantum non exſugere ſanguinem optimum, ſed & ijs cumprimis affectibus prodeſſe, quos melancholiæ veteres, recentiores acidæ dyſcraſiæ acceptos tulerunt. *Hirudines* quoque ſanguinem æque venoſum atque arterioſum ſugere, & nulli non parti corporis utiliter applicari poſſe BELLINVS ſcribit *tr. de ſang. miſſ p. m.* 155. Cautos tamen in harum admotione, Medicos juxta decet atque Chirurgos eſſe, cum fiſtulas ano hinc excitatas *Neapoli* frequenter BARTHOLINVS *de peregrin. Med. p.* 27. notaverit. Hinc & *Excell.* DOLÆO noſtro in hæmorrhoidibus cæcis ſuſpectæ ſunt, eo quod vulnuſculis, quæ fodicant, haut raro ſuperveniat inflammatio, immo gangræna & ſphacelus. *Encycl. Med Pr. l. 7. cap. 10. m.* 532. Quin & alijs per imprudentiam applicitas in anum irrepſiſſe, diraque ſymptomata ſuſcitaſſe ſint obſervatæ. Commode applicantur occultatæ in arundine vel oblonga pyxidula, ſic enim anguillari lævitate mobiles extra digitos elabi non poſſunt, nec in cavitatem quamlibet irreptare. *Hirudinis* anatomen, oſculum trifidum, modum ſanguinem proliciendi &c. curioſe curioſus *ARETÆUS in Clav. Med. p. m.* 579. explicavit.

Ad OBSERVAT. X.

CUm præter adductum ab Excellentiſſimo Auctore *BORRICHII in Act. Med. Hafn. Vol. I. Obſ. 70.* & *ZACUT. lib. III. Obſ. 76. nigri ſudoris* exemplum in Schediaſmatis meis occurrat nullum, ſanguinei tamen Sudoris itidem præter allegata à *MOELENBROCCIO* olim noſtro *Ann. II. Dec. I. Eph. Cur. Obſ.* 19. & *PAULLINI Ann. VI. & VII. Dec. I. Obſ. III.* paradigmata, notabilia plura hinc inde memorata, pede, quod ajunt, ſicco præterire non poſſumus. Cum Anno 1683. peſtifera lues ERFORDIÆ graſſaretur, puer quidam crudeli peſte correptus ſanguinem in fronte ſudavit, quod autem periculoſiſſimum ſymptoma mors fuit inſecuta. *Diſp. de mict. cruent. Veſti habit. Erford.* 1686. *theſ.* 9. Curioſum eſt, quod ex *MONARDE* allegat *Boyle de Utilit. Philoſ. experim. Exerc. V. cap.* 10. *p. m.* 287. Indum nempe quendam in urbe *Poſto* omnis generis morbos curaſſe ſolo cujuſdam plantæ ſucco artubus & parti affectæ illito, ægros deinde ſtragulis egregie texiſſe, ad ſudorem provocandum; ſudorem è partibus perlitis promanantem merum ſanguinem ſuiſſe, quem linteis puris abſterſit, atque ita in curatione perrexit, donec ſatis ſudaſſe putaret optimis interea cibis refectos. Eo remedio multos morbos deploratos curatos, immo ægros juniores & robuſtiores ab ejus uſu fieri viſos; ſed neque pretio neque precibus, neque

minis unquam effectum, ut eam plantam demonſtraret. Videtur hæc fuiſſe *diapedeſis artificialis*, plantæque iſtius ſucco inextitiſſe vim reſerandi arteriolarum capillamenta, atque ſic ſanguinem proliciendi. Guttulæ ſanguinis ſparſim in pectore, brachijs & manibus erumpere viſæ in Juvene ſtudioſo ob patrata ſcelera in carcere detento, timore hinc & anxietate torto, *vid. in Ann. X. Dec. II. Eph. Cur. Obſ.* 179. Sudoris ſanguinei critici ſalutaris in infante per 6. dies durantis exemplum exhibetur *ibidem Obſ. 65.* WEDELIUS cruentum ſudorem vidit in femina primaria ſcorbutica, quam curavit ſolis chalybeatis, adſtringentibus & roborantibus, indeque concludit, ejuſmodi ſudorem non ſemper ſupra Naturam eſſe, ſed quandoque ex cauſis naturalibus fieri, ut in ſcorbuticis, ſed tenuem tamen illum eſſe, non grumoſum *Pathol. Med. Dogm. Sect. I. cap. 5. p. m. 59.* Obſervatum fuit, puellulum, dum duo ſui fratres majores laqueo ſuſpenderentur, quia delicti erat particeps, & in pœna juxta patibulum ſpectaculo adſtabat, ſanguinem toto corpore ſudaſſe. MUSITAN. *Trutin. Chirurg. Tom. II. cap. V. p. m. 36. vid. m. quæ in Append. ad Ann. I. Dec.* III. *& parallelism. ad Ann.* II. *Dec.* I. *Eph. Cur. Obſ.* 19. de hac materia ſcripſimus p. 124. Sudor cruentus narratur conſuetus & innoxius in muliere evſarca & optimi habitus cæteraque ſaniſſima in *ejuſd. Ann. I. Dec. III. Obſ. 109.* Mira eſt valde Dn. LE REBEQUE *Obſ.* 52. de muliere quadam, cui per errorem Pharmacopœus potionem purgantem confecerat cum Aqua cinnam. ℥vj. quam aquæ communi recipiendæ ſubſtituerat. Hinc enim, præter alia ſymptomata per 15. annos ſudor initio ter de die ſtatis hori affligens primo craſſus, pinguis & oleaginoſus, hinc tenuior, & aſſumtorum colorem referens, ſi vinum rubrum biberet, ruber; ſi album, albus; ſi decocta lutea, luteus &c. Prorupit, denique criticus niger; quæ Hiſtoria late ibi deſcripta legi poteſt, & plane memorabilis eſt. Denique ab uſu nimio ſpirituoſorum & volatilium adeo attenuatum ſanguinem & poros dilatatos notavit DEKKERUS *Exerc. circ. meth. med. p. m. 627.* ut ſudores ſanguinolenti identidem erumperent, non niſi longa manu curati, ſequentibus præcipue medicamentis: ℞ *Aq plantag portulac. ana ℥iß. aq. cinnam. ʒvj. Acet. ℥ß. Coral. r. ppt. ʒj. Conſ. de hyacinth ʒiß. laud. deſt. op. gr. ij. Sir. portulac. ʒvj.* M. Et *electuario*: ℞ *Conſ roſ. r. ℥iß. miv cydon. ℥j. Conſ. de hyacinth. ʒj. Coral. r. ppt. ʒiß. lap. prunell. ʒj. Sacch. Saturni ℈j. Sir. portul. q. ſ. M.* Denique recordor, cum An. 1680. *Altdorfij Norici*, examen Medicum ſuſtinerem à celebratiſſimo D. MAURITIO HOFFMANNO p. m. mihi propoſitam fuiſſe quæſtionem: quid eſſet opus facto, ſi neceſſe judicaretur infanti ſanguinem eſſe mittendam, & venæ pertuſio Chirurgica metueretur? Cui cum varia reſpondiſſem, ipſe naſi radicem, locum ſcil. inter fron-

tem

tem & naſum, recenti millefolio trito perfricandam eſſe dixit, ſic enim fore, ut virtute herbæ hæmagoga arteriolarum intra nareis oſcula reſerata hæmorrhagiam artificialem cierent. Ejus quidem rei periculum nunquam feci, quid autem? ſi ſupra memorati BOYLEANI *Indi* ſuccus aut ipſiusmet millefolij, aut analogæ certe plantæ fuiſſet, cujus illitu arteriolarum capillamenta ſanguinem plorarunt? Experimentum non eſt admodum difficile, & res profecto magni momenti, ſi ſuccedat.

Ad OBSERVAT. XIV.

ÆQue mirabilis eſt antipathia proprium nomen averſantis, quam loquuntur *Acta Medica Hafnienſium Vol. V. Obſ.* 15. Nec adeo male judicatur, id odium Filio implantatum imaginatione matris gravidæ nomen illud averſantis. Quid autem cauſæ ſubſit, quod Capitaneus, quem Excell. Obſervationis Auctor adducit, ſexum muliebrem quamvis odio habuerit, vix divinare licet, ni forte dicamus, matrem gravidam, multa, tempore geſtationis uterinæ, incommoda paſſam, ſibi frequenter ſuccenſuiſſe, quod femina genita fuerit, adeoque ſexus ſuimetipſius averſationem filio implantaverit. WEINRICHIUS tamen *lib. de Monſtr.* exemplum quoque Nobilis cujusdam notat, in graviſſimam ſyncopen ex vetulæ præſentia lapſi, cujus præſentiam non ſemper evitare, ferre tamen nunquam potuit. Formulas Medici ſuis ægris frequenter ſcribunt, ad leges artis & morbi conditionem affabre concinnas, quas tamen ægri ſine damno ſumere non poſſunt. His in caſibus formularum ingredientia ad unum examinare ſingula ſoleo, & ægrum interrogare, utrum ex idioſyncraſia ſingulari unum ex ijs ferre non poſſit, ac fundum calamitatis utplurimum reperio. Sic nuper admodum aliquis ope mea eſt uſus, qui myriſticam nucem averſabatur, obſecrans, ne quid illius pharmacis miſceri vellem. Eſt etiam prudentiæ Medicæ pars in hæc talia inquirere, ni plus nocere, quam prodeſſe velimus. Siquidem ad ea, quæ Natura horret, haurienda per vim nemo cogendus eſt, quippe quod peſſime ceſſit Matronæ Nobili *in Act. Med. Hafn. Vol.* IV *Obſ.* 28. *p. m.* 85. quæ, cum aceti ne quidem odorem impune ferret, exhibitis nihilominus oxymellis ℥ij. interiit. Conſentientem habeo Magnif. PECHLINUM *in lib.* III *Obſ.* 14. ſtatim ordientem: *Nunquam ego Auctor ſim, ut medicamenta invitis vehementius obtrudantur.* Profecto opportunus ſpirituum motus & propitia voluntas fortunare utcumque medicaminum effectum debent, ſi alias ſanatio ex voto ſuccedat &c. ubi antipathiarum plura non quotidiana exempla notat. BOYLE illuſtris, (cui idioſyncraſias vocare libet *peculiaritates*) *in tr. de Utilit. Philoſoph. experim. Exerc.* V. *cap.* XVI. *p. m.* 320. Comitem in BARYMORE

Tanaceti aſpectum ſufferre non potuiſſe narrat: Quin, de ſeipſo recenſet, quod citra commotionem ſanguinis ingentem, aſpicere nequeat araneam, quamvis nullam unquam damnum ab hoc creaturarum genere acceperit, neque viperas, bufones, aut animalia quæcumque venenata abhorreat. Aliam quandam Dominum ipſum mel horruiſſe ibidem narrat, quam averſionem cum fictitiam eſſe Medicus crederet, externo cuidam ad vulnus pedis linimento mel admiſcuit, unde peſſime habuit ægra, remoto melle brevi reſtituta. Alibi, ſcil. *p.* 282. in theatrum producit virum, qui glires ſummopere horrebat. Nam de felibus res eſt quotidiana.

Ad OBSERVAT. XXVI.

A Mala adminiſtratione *Venæſectionis*, ubi læſa fuit loco venæ, aut cum ipſa quoque vena, vicina arteria, nobis plura obtigerunt exempla, & plerumque talia, ubi *Hepaticam* ita dictam tundere ſuſtinuerunt chirurgi Veniſecæ. Hinc BARTHOLINUS, ubi de *Baſilica ſ. Hepatica in Anat. nov. libell.* I. *cap.* 7. *agit*, *caveant*, inquit, *Chirurgi in ejus* Sectione, *ne nervus tertij & quarti paris adjunctus lædatur, unde magnus cruciatus, febris, convulſio & mors: ſubjacent & arteriæ, quibus læſis anevriſma & ſanguinis profluvium.* Proinde, ſi Venæſectio in brachio mihi ſuadenda fuit, nunquam, ut *hepatica* dicta finderetur, ſuaſi, præcipue, ſi alia ſe tactui vena ſiſteret, ob anevriſmatis metum. Ante quinquennium vocabar ad Lanionem *Allerheimenſem* in *Rhætia Norica*, cui ante octiduum Balneator loci, Medicaſter famoſus & Homo audaciſſimus arteriam, ſupiniſſima ſua culpa, læſerat: Namque dies erat, in qua multi homines pertuſione venarum uſuri erant, igitur occupatus Raſor feſtinabunde rem geſſit, &, cum lanio peteret, ut ſalvatellam ſecaret, ipſe, ne ſcilicet neceſſaria manus in aquam calentem immerſione diu detineretur, iſtam ſectionem abnuit, brachij venam eligens. Annuens denique lanio, ſecturo baſilicam contradixit, medianamque ſibi dividi poſtulavit; balneator cum medianam profundius eſſe ſitam cauſſaretur, baſilicam ingratijs lanionis infauſtisſimo ictu ſauciavit, læſo nimirum ſimul arteriæ thoracicæ ramo. Strophiolo arctisſime circumligato ſanguinem compeſcit, brachium totum ad uſque digitorum apices tumet, lividumque per fœdam ecchymoſin evadit. Indies pejus habens lanio, Balneatorem de Medico arceſſendo monet, contra quod ipſe remis veliſque (ne ſcil. in apricum facinus locaretur,) nitebatur. Coactus denique per animi deliquia miſer, me petit. Ego pollicem circiter à vulnuſculo latum diſtans ovi columbini magnitudine anevriſma reperio, reclamante licet conſtanter impudentisſimo Raſore. Cum fieri τὰ δέοντα præcepiſſem, fronte quidem prima mitigari malum videbatur, anevriſ-

ma

ma tamen in eodem ſemper ſtatu manebat. Tunc autem in vicinia commorabantur Illuſtres viri, Dn. *Archiater Archi-Palatinus* BRUNNERUS, Dn. *Profeſſor Tubingenſis*, *Zellerus*, & Dn. *Pfiſterus Phyſicus Scaphuſienſis.* Juſſi, ut, cum in periculo verſaretur, æger die ſtata ſe in eum locum conferret, me tunc præſente futuro, & cum celeberrimis iſtis Viris conſulturo; quod factum. Interea mihi peregre *Tubingam* proficiſcendum erat, ubi per quinque ſeptimanas detinebar. Balneator feroculus adhuc negare anevriſma, negare læſam arteriam, & cum brachium interim adeo intumuiſſet, ut læſionis veſtigia nuſquam comparerent, celeberrimos iſtos viros audacisſima garrulitate ſua propemodum eo permoverat, ut puncturam potius nervi cujusdam, quam aneuviſma credere inciperent. Aderat quoddam tuberculum, quod eſſe ſuppurandum ſentiebant, eo vero rupto cum ſanguis arterioſus ad aliquot ulnas proſiliret, revera læſam agnoſcere arteriam convicti fuerunt. Enimvero jam in extremis æger verſabatur, & viris quibusdam opus erat, qui per totam diem ac noctem arteriæ vulnus digito comprimerent, atque ſic ſanguinem cohiberent. Quid multis? *Oettingam* poſtremo miſer deportatur, ibi ſuccesſive muſculoſa iſtius brachij caro propemodum omnis computruit, oſſibus nudis jacentibus, ac denique ſumma cum difficultate ſibi reſtitutus eſt, præterlapſis à Venæſectione aliquot menſibus. Gratulari ſolemus Venæſectionem admittentibus re jam feliciter peracta, cum, ea perficienda, gratulatione magis opus eſſet. Scilicet, res parvi momenti judicatur venam ſecare, cum tragici eventus hiſtoriæ complures Obſervatorum libros augeant. De anevriſmatis poſt ſectionem fiendi modo eleganter BELLINUS *de miſſion. ſang. p. m.* 133. 134.

Ad OBSERVAT. XXVIII.

QUi ſpectra hodienum dari negant, S. Scripturæ, immo ipſimet Salvatori noſtro contradicunt. Cum enim Diſcipuli poſt reſurrectionem Dominum ſibi apparere viderent, conterriti ſe *ſpiritum* videre exiſtimabant. Quibus Salvator *palpate me, ait, & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere*, quod ſane non dixiſſet ipſa veritas, ſi ſpectra non darentur. Per vocem namque ſpiritus hic intelligi debere ſpectrum, ipſe contextus & materia diſſerendi evincit. *vid. m. Marc. 6. verſ.* 49. Viros fortes raro vel nunquam ſpectra videre THEODORO BYZANTINO concesſerim, at aliquando talia non videri etiam à minus fortibus & non adeo imperterritis, meomet exemplo demonſtrare poſſum, qui quidem in ſolitudinibus nocturnis, præcipue locis & arcibus peregrinis me verſantem nonnihil pavere, nequeam diffiteri, ſed in iſtis meis peregrinationibus multis me

nil

nil unquam ſpectrifici vel audiſſe, vel etiam vidiſſe, quamquam in ejuſmodi conclavibus habitantem, in quibus αὐτοχειρία commiſſa fuere, atque incolæ ſe neſcio quid, audiſſe vidiſſeve dejerabant, ſancte teſtari valeo, propterea ſpectrorum exiſtentiam minime negans, ſed viris bonis conſentiente cumprimis pagina ſacra, fidem, quam promerentur, adhibens. Memorabilis eſt Hiſtoria ſpectri *Mörsburgenſis* quatuor una morte viros interimentis, relata cum *Scholio*, alijsque pro ſpectrorum exiſtentia militantibus in *Ann.* V. & VI. *Dec.* III. *Eph, Cur. Obſ.* 101. De *Dæmunculorum* ſubterraneorum (alibi virunculorum metallicorum) exiſtentia præclare *Act. Med. Hafn. Vol.* II. *Obſ.* VII. *p.* 12. Militis excubias agentis à ſpectro territi cura traditur in *Ann.* II. *Dec.* III. *Eph. Cur. Obſ.* 144 Stupenda eſt Hiſtoria Virginis febricitantis, cui ſpectra quædam omnes paroxyſmorum dies, durationes, aliaſque circumſtantias, immo remedia ſymptomatum prædixerant, quæ late recenſetur in *App. ad Ann.* I. *Dec.* III. *Ephem. p.* 79 *ſeqq. vid. m.* Monatl. Unterred. 1693. *Sept. p.*724.*ſ.* Elegantiſſima extat VOSSII Epiſtola ad BEVEROVICIUM *de Samuelis Phantaſmate Sauli apparente*, ibidemque latiſſime deducitur, fuiſſe nil niſi diabolicum ſpectrum, *in Doctorum Virorum Epiſtolis & Reſponſis tum Medicis, tum Philoſophicis edit. Roterod.* 1645. *p. m.* 196. *ſeqq. vid. m.* WALTHER. *Poſtill. Harmon. Theol. Jurid. Part.* II. *Dom. I poſt Trin. §.* 15. 16. 17. *ſeq.* It. *Diſp. de ſpectr.* DONATI *habita Wittebergæ* 1688. KIRCHMAJERI habita *Witteb.* 1692. & WEDELII habita *Jenæ* 1693. Adeoque, licet non velimus refragari ARETÆO noſtro *in Clav. Med. p. m.* 571. opinanti: *Tam aſtutum eſſe malum genium, ut eundem motum ſpirituum, quo ſibi homo maxime in ſolitudine aliquot objectum repræſentat, conſervans paſſionem præſentem firmet & adaugeat, unde objectum circa quod miſellus vagatur; tandem imaginationi ejus tam vividum exhibeatur, ut ſicuti in imaginatione illa eſt, ita etiam extra ſuum corpus exiſtere judicet; ſed, quia hæc apparentia, quam extra ſe melancholicus eſſe revera putat, ſtatim diſparet, quia metus, vel terror, vel aliqua alia paſſio ſuperveniens curſum hunc ſpiritum animalium mutat, hinc certo ſe ſpectrum vidiſſe concludat &c.* Id tamen ſemper ita fieri pernegamus, neque hoc velle perſpicacem virum putamus, & explodendum inde cenſemus OVERKAMPI ſomnium, qui in *Oeconom. animal. cap.* 14. *p. m.* 339. expreſſis verbis ſpectra ſolius imaginationis fetus eſſe, nec à ratione credi debere, aſſerere non veretur, quod, qui faciunt, ab Atheiſmo mihi parum abeſſe videntur. Non abſurda ſunt, quæ Scriptor, alias non omni ſuſpicione Deiſmi carens, *tract.* qui inſcribitur *Religio Medici Part. I. ſect.* 29. *p. m.* 183. in hanc rem philoſophatur: *Qui ob incredulitatem hanc* (nempe quod dentur ſpectra)

amoven-

amovendam ſpectra videre cupiunt, nulla procul dubio unquam viſuri ſunt, immo, ne Magi quidem eſſe, ut velint, poterunt: Hæreſi eos non minus capitali jamdudum implicuit Diabolus, ab eadem ipſos converſurus, ſi appareat. *vid. m. annotata p.* 185.

Ad OBSERVAT. XXX.

DE vomitu carnium extant quoque Hiſtoriæ hinc inde collectæ in *Ann.* II. *Dec. I. Ephem.* Obſ. 18. It. *in Ann. I. Dec.* III. *Ephem.* GERBEZIUS noſter notat ſolutionem febris quartanæ raram per evomitionem carnis verminoſæ quam bubulam ante febris invaſionem comeſtam Auctor ſuſpicatur. Eadem, ni fallor, eſt cauſſa vomituum ejuſmodi carnoſorum, quæ diarrhœæ carnoſæ à nobis deſcriptæ in *Miſcellan. noſtr. part. I. p.* 293.

Ad OBSERVAT. XXXI.

EJuſmodi per incantamenta ἄνω & κάτω reddita non meras eſſe præſtigias, ſed revera corpori exiſtere poſſe demonſtravimus in *Miſcellan. noſtr. Part.* 1. *p.* 257. & *Part. II. p.* 600.

Ad OBSERVAT. XL.

IN ijs, qui ſemel, & nuper quidem apoplexia correpti erant, aliquoties obſervavimus illud deglutitionis vitium adhuc anonymum, quod vocant verſirnen/ idque tantum in aſſumtione potulentorum, & omnium maxime, ſi collo reſupinato è vaſis propemodum evacuatis bibere cogerentur. *Illuſtriſſimus* quidam *Comes* ſexagenarius, jam aliquoties paroxyſmis apoplecticis, licet levioribus, tentatus, raro vitrum, ſ. vinum bibat, ſive acidulas, evacuare poteſt, ſed ſemper adhuc liquoris portionem in vaſe relinquere cogitur, idque ob eandem deglutitionis difficultatem, olim antequam ejuſmodi inſultus paſſus eſſet, ſimile quid nunquam ſentiens. Quod ſi quis cuidam muſculorum œſophagi ſemiparalyſi, aut certe fibrarum alicui relaxationi acceptum ferat, forte non erraverit. Nam acrimonia hic nulla locum habet, cum ſi vel mellis pocula *Comes Illuſtriſſimus* hauriret idem tamen ſymptoma paſſurus eſſet. De impedita per uſum fumi nicotianæ deglutitione, non incommode differentem vide *Alectorem curioſorum in Ann.* I. *Dec.* III. *Eph. Cur.* Obſ. 79. Hiſtoriam autem noſtræ ſuperiori de *Illuſtriſſimo Comite* plane contrariam recenſet *B.* noſter SCHMIDIUS *Ann.* IV. & V. *Dec.* I. *Eph. Obſ* 162. de Senatore quodam poſt apoplexiam ſolida deglutire non valente, cum liquida expeditiſſime poſſet. *vid. m.* BOYLE *de utilit. Philoſ. experim. addit. Append. Dec. III. Ann. VII. & VIII.*

ad p. 235. *ſ.* 13. It. PLATERUM *Obſ. lib. I. p.* 112. *ſeq.* & *Prax. Tom.* I. *lib.* II. *cap.* 6. *p.* 496.

Ad OBSERVAT. XLIII.

QUi laborant Hæmoptoica paſſione, interrogandi, utrum aliqua ſanguinis evacuatione conſueta intermiſſa fuerit, ſive ſit artificialis, puta Venæſectio, ſcarificatio, ſeu naturalis hæmorrhagia narium, hæmorrhoides, menſes muliebres. Secus qui facit, & adſtrigentibus inſtat, plus nocet, quam prodeſt, quod aliquoties obſervavimus.

Ad OBSERVAT. L.

MAtronam ab hyſterica colica miſere excruciatam, ſex ſupra triginta circiter annorum tractavimus. Doloris ſævities, & quod medicamenta quam plurima, eaque huic colicæ ſacra caſtorina, tolerare non poſſet, convulſiones epilepticas horrendas excitavit. Aliquando apertis & ſtrictis oculis, me, inquit, miſeram, quæ nihilum videam. Admotæ oculis candelæ ardentes, at ea nil advertente. Convulſiones interim de die ſæpe paroxyſmis diuturnis ac vehementibus repetentes, deliquia hyſterica, vocis interceptio, facies Hippocratica, pulſus celer, debilis, intermittens, ceſſans, mortis mera præludia. Datæ *pilulæ Wildeganſianæ*, datum *ſpecificum Phyſicraton*. Deſinit convelli. Senſim viſus deploratæ redit, ac per longum decubitum emaciatiſſimæ. Jam utcumque poſt quinquennium ab eo tempore valet. Quandoquidem oculi vividi ſemper manerent, nullius labis, quoad ſpeciem externam, ſontes, quales in gutta ſerena conſueverunt, per iſtas nervorum ſpaſmodicas tenſiones compreſſum opticum nervum ſpiritus in oculum non transmiſiſſe ſuſpicabar, donec ſoluta compreſſione commeatus denuo expediretur. Similem huic hiſtoriam recenſet SPINDLERUS *Obſ.* 18. & à Cephalæa cœcitatem *Obſ.* 3. ubi *Scholion* RAYGERI quoque varias è varijs cauſſis ortas cœcitates adducit, cumprimis Comitis cujusdam, poſt colicam & pareſin cœci facti & intra 24. horas curati. Aliam Matronam ſexagenariam ex febre maligna epilepticam, hinc cœcam factam, per aliquot annos ad uſque vitæ pauſam talem quoque manſiſſe, metaſtaſi parum fauſta, alibi retulimus, nempe *Append. ad Ann.* V. & VI. *Dec.* III. *Eph. Cur. p.* 131. id eſt, in *Parallelism. ad Ann.* III. *Dec.* I. *Eph. Cur.* In eodem quoque Anno *Obſ.* 28. cœcitatis à terrore & epilepſia feliciter curatæ hiſtoria extat. *Vid. m. Ann.* III. *Dec.* I. *Eph. Cur. Obſ.* 259. Raram opinamur cœcitatis cauſſam, lapidem ſc. in nervo optico repertum, quod narrat *Zodiaci Medico-Gallici Auctor Ann. I. p.* 87. Ex faucibus aqua hydrargyrina inconſulto tactis ortam eandem recenſent *Act. Med.*

Hafn.

Hafn. Vol. I. *Obſ.* 76. Ab inflicto Colapho FRANCUS *Diſp. de Alap.* §. 16. Medicus quidam excœcatus diuturno aſpectu Lunæ plenæ, teſte HENR. *ab* HEER. *Obſ.* 4. ubi ejus quædam cura inſuper traditur *p. m.* 67. A tinea capitis repulſa cœcitatem, viſumque denuo tinea per expulſiva foras acta reſtitutum, ex narratione Exc. RIVINI *in Diſp. inaug. de Cura palliativa*, habita *Erford.* 1692. §. 34. KüCHLERUS notat. vid. m. *Scholion* HOFFMANNI *ad Obſ.* 22. *Cent.* II. POTERII *p. m.* 164. *Moluccanis* ab oryzæ calidæ comeſtione familiarem cœcitatem narrat BONTIUS *Medic. Indor. p.* 173. Cura præter purgationem, Venæſectionem & pulveres naſales, *jecur* lamiæ piſcis Sale conditum & comeſtum; ib. p. 174. Cujus curationis occaſione recordamur *nyctalopiæ*, quam *hepate bovino* cocto in tres partes diviſo tribuſque matutinis nyctalopi ad comedendum præbito, curari *annus* jam *tertius Decad.* I. *Ephem. noſtr. Obſ.* 133. prædicat, quod experimentum in Obſidione caſtri *Philippiburgenſis*, ubi à prava diæta, frigidorum præcipue jugi eſu gregarij quamplurimi hoc affectu corripiebantur fere nunquam fefelliſſe, etiam ſi crudum hepar comedendum præberetur, nuper admodum aliquot Officiales teſtati ſunt, quamvis adhuc dubium exiſtat, unde tanta bovillo hepati facultas? De hepate capræ & hirci GIESWEIN idem in *Hodeg. Med. tit. de nyctalop.* Cœcitas novendialis in puello à defluxione repentina orta, præmiſſo purgante, admotione *aquæ florum cyani cœrul.* cum *cannis Sambucinis* ſublata, Auctore VELSCH. *Hecatoſt.* II. *Obſ.* 38. Cœcitatis à capitis immerſione in aquam frigidam contractæ meminerunt *Ephemerides noſtræ Ann.* ‚ *Ann.* II. *Dec.* III. *Obſ.* 97. Quid in cœcitate valeat fonticulus coronali futuræ inuſtus vid. ap. DEKKER. *Exercit. Pract. circa meth. med. p. m.* 108. Cœcitatem menſtruam in ancilla menſium ſuppreſſione laborante valde notabilem Venæſectione curatum nobis exhibet PECHLINUS *lib.* I. *Obſ.* 42. Eandem animia Spiritus vini ingurgitatione notant *Ephemerides noſtræ Ann.* VIII. *Dec.* II. *Obſ.* 85. Cœcitatis ab Empirico quodam *Amſtelodamenſi* per pulverem hydrargyrinum naribus attrahendum curatæ hiſtoriam tradit BOYLE *tr. de Utilit. Philoſ. experim. Exerc.* V. *cap* 19. *p. m.* 346. medicamentumque docet parare ex pulvere ☿ti ℥ij. cum optimo oleo Vitrioli, ut ita fiat turbith quoddam, quod poſtea dulcificandum eſt, abſtrahendo ab ipſo, operatione vicies aut vicies quinquies repetita, parum Spirit. Vini pro quavis abſtractione recenter aſſumti, quod idem jamdudum deſcripſit JONSTON *in Syntagm. p. m.* 775.

Ad OBSERVAT. LI.

NUm Herpes fuerit tumor ab Excell. Auctore deſcriptus, abſque piaculo dubitarim. Sententiam alij me prudentiores ferant. Herpetem miliarem brachii dextri in virguncula nobili ante viginti annos diaphoreticis propemodum ſolis abſtulimus.

Ad OBSERVAT. LX.

ELegantiſſime ſuo more Illuſtris BELLINUS *tr. de miſſione ſangu. p. m.* 128. ſcribit, de arteriotomiæ præ venæſectione prærogativa, cui profecto, ſi rem æqua lance æſtimemus, omnino ſubſcribendum. *vid. m. p.* 130. ubi latius deducit uſum arteriotomiæ, quam venæſectionis, magis refrigeratorium, humectantem, & citius juvantem, cum pluribus commoditatibus. Hinc in *propoſit. 8va p.* 132. κατὰ ῥητὸν pronunciat. *In omni morbo, in quo per venam eſſe mittendam ſanguinem oſtenſum, utilius eſſet eundem per arteriam mittere, quod commodiſſime per hirudines, cuilibet corporis parti applicandas, itemque per cucurbitulas ſcarificatas, capillamenta arteriolarum æque ac venularum ſcindentes fieri poſſe ibidem* non ſine ratione aſſerit. In ſpecie in doloribus capitis contumaciſſimis inſignem hujus uſum praxis, utinam magis quotidiana docet. *vid.* inter alia *Act. Med. Hafn.* Vol I. *Obſ.* 4. & Vol. V. *Obſ.* 62. Ubi Illuſtriſſ. BORRICHIUS *Pariſijs* in Cephalæa, ſectione, immo præciſione quandoque temporalis arteriæ nil frequentius aſſerit, quod ultimum tamen, ſi evitari queat, melius, nec immerito, dictus cenſet BORRICHIUS, cum partes illæ, ad quas præciſa arteria pertinet, ejus uſu carere poſtea cogantur. Nos ſaluberrimum arteriarum temporalium utrarumque inciſionem in Principe Sereniſſima per 18. Septimanas intolerabilem capitis dolorem tamen tolerante, inſtitutam novimus, tentatis antea, ſed fruſtra, plus centum remediis. *Ægyptiis* quotidiana eſt hæc operatio, teſte oculato ALPINO *lib.* II. *Med. Ægypt. cap.* II. Et ſocer meus B. D. MEZGERUS in generoſo Juvene lethali detento hemicrania generoſa hac audacia uſus temporalem aliquando arteriam aperiri juſſit, *theſ. Chiriatr. Syllog* II. *de arteriotam. theſ.* 5. quo cum *theſ.* 6. merito exclamo: *Dolendum, jam viſa & feliciter à multis trita veſtigia non plures hactenus ſectatos fuiſſe, tamque neceſſarium ſanandorum morborum auxilium, tam eximium, ſaluberrimum, celeritate juvandi maximum, divinum, immo tuendæ valetudinis præſidium, deplorando cum ſalutis humanæ diſpendio inter nos deſijſſe, eoque nunc loco haberi, ut vel ſolo nomine terreat* &c.

Ad OBSERVAT. LXVII.

SI Vitriolum Vener. cum Sale Amon. deſtilletur, & è Capit. mort. affuſione Spir. vini extrahatur Tinctura viridis, filtroq; injiciatur parum calcis vivæ, ſtatim inde ſtillabit in Vas ſuppoſitum Tinctura Sapphirina. Num ex hoc phænomeno ſudori vomitibuſque cœruleis lumen accendi queat, uti nec affirmare ita multo minus negare auſim, qui cum SYDENHAMIO credam, in paroxyſmis hyſterico-hypochondriacis ex tempore tinctos viridiſſimos humores per vomitum ejici, qui corpori tales ante non inextiterant, neque, ſi corroſivitatem expendas, diu, ſubjecto ſalvo inexiſtere poſſent.

Ad OBSERVAT. LXXIV.

ANno D. 1700. Cum *Acidas Göppingenſes* ad fontem biberem, mulier Helvetica quæſtum parabat vitulo bicipite, jam ante aliquot annos in Helvetia nato. Monſtrabat autem vituli ſolam pellem arefactam & ſtipulis fartam (ausgeſtopft) Oculi cuilibet capiti erant bini, ſed aures tantummodo tres, quarum medium ambo capita ſibi communem habebant. In majorem rei fidem non tantum producebat cranium elegantis monſtri, ſed & litteras à Magiſtratu loci, ubi editus erat vitulus, in rei teſtimonium ſcriptas, ſigilloque publico munitas.

Ad OBSERVAT. XC.

VIro ſupra modum obeſo narium hæmorrhagia vehementi ex utraque afflicto, cum libræ circiter tres profluxiſſent, ut medicinam adhiberem, rogabar. Primo dedi adſtringentia leniora intus; his vero nihil efficientibus ad vehementiora, ad *pilulas Wildeganſianas*, ad laudanum me accingebam. Monetam majorem aquæ frigidiſſimæ aliquamdiu injectam radici naſi alligabam impoſito ſimul epithemate ex *bolo*, *gypſo*, *albumine ovi*, *rubrica fabrili & aceto*. Naribus inſufflabam pulverem ex *alumine* & *lacca pictoria*. Parabam turundas ex alumine rupeo, quas atramento ſcriptorio madefactas in pulvere ſupra dicto volutabam. Hæ naribus intruſæ id efficiebant, ut ſanguis per faucium iſthmum ſcaturiret. Idem erat effectus turundarum ex *emplaſtro diachylo*. Curavi, ut ſanguis ſtillaret ſupra ferrum candens. Ligabantur extrema ſerico rubro, etiam non poſthabita ſuperſtitione. Vola premebat lapidem hæmatiten. Collo lintea aqua frigidiſſima imbuta circumvolvebantur. Denique & venam bis incidimus, atque ſic ultra novem ſanguinis libras ſucceſſive perdidimus Unum erat auxilium in *Tinctura roſarum* à SCRETA commendata, unde ſanguinis rivi ſubſtiterunt. Idem in alijs quoque tentatum ſuccesſit, & forte ſuccedet, ubicumque ſanguinis ebullitio-

nem nimiam ſedare, ejuſque fervorem temperare neceſſe habebitur. Adſtringentia hic raro proſunt, etiam in ea, quæ non à fervore ſanguinis fovetur, hæmorrhagia; ſed à ſuppreſſione evacuationis alicujus conſuetæ, aut viſceris cujuſdam obſtructione. Aperientia ſunt his longe meliora, & crocus chalybis aperiens præ adſtringente, hic eligendus. Certe parcior in omnibus non tantum hæmorrhagijs, verum & alijs alvi fluxibus eſſe debebat uſus adſtringentium, nec fortaſſe, niſi cum urget ſymptoma, adhibendus. Raro enim alioqui Medicus voti damnatur.

Ad OBSERVAT. XCVI.

MIrisſimi ſunt haut raro Venæſectionis effectus pasſim ab Auctoribus adnotati, ſic, ut vel hoc nomine ridendi ſint inſulſisſimi Venæſectionis oſores & exploſores, quibus per hæc ipſa exempla plane oſtenditur, quid interſit inter Medicum ſpeculativum & Practicum. *Nordlingæ* nobis obvenit virgo 16. circ. annorum, cujus mirum affectum & rara ſymptomata ſi recenſere vellem, in tractatum relatio extenderetur. Id unum hic loci memoraſſe ſufficiat, quod *ſingultu* continuo tam ſtupendum in modum exerceretur, per plures dies, immo ſeptimanas, ut nullum pharmacum ei ſiſtendo, neque ſtomachicum, neque hyſtericum, vel antiſpaſmodicum quidquam valuerit. Collega tum meus, *Excell. D.* WELSCHIUS multum laboris inſumebat, ut vel hoc ſymptoma ſedaret, ſed incaſſum. Tandem ipſi, & mihi in conſilium quoque vocato, plane ἄτοπον viſum & judicatum, ſed ab alio, neſcio quo, commendatum Venæſectionis remedium, non tam permittentibus, quam conniventibus, nobis adminiſtratum, malum è veſtigio, & ante quidem, tulit, quam plaga à ſcalpello inflicta deligaretur. Aliquanto poſt, præterlapſis tamen pluribus diebus, redijt, eadem, qua ante, vehementia ſingultus. Rurſum tunditur in brachio vena, dictum factum; ſingultire deſinit, nobis tum quidem præſentibus ac ſtupentibus, idque, ne quid celem, non ſemel aut bis, ſed pluries factum, malo ſemper dierum aliquot inducias præfixit. Ego adhuc miſere decumbente virgine *Stuttgardiam* conceſſi, neque, quid hactenus ageretur cum illa, unquam reſcivi. Adde quod h rrendis nonnunquam convulſionibus quaſſaretur, ſenſibus tamen non l gatis. Durum captu, unde ſingnltum venæ pertuſio tollat? Tuliſſe tamen hic experientia toties declaravit, ratione fruſtra contranitente.

Ad OBSERVAT. CII.

QUę de calculorum cyſticorum comminutione per medicamenta poſſibili ſcripſimus, B. L. ſi libet, videat in *miſcellaneorum noſtrorum Medico Practicorum Part. I. p. 181. ſeqq.* legatur quoque Excell. STISSERUS *Act. Laborat. Chim. Specim. I. cap. 6.* Vanum inſuper eſſe, quod medicamenta calculum veſicæ comminuentia oporteat eſſe corroſiva, evincunt pennatorum ventriculi, ſilices deglutitos, ovorum teſtis materiam præbituros, comminuentium. Licet enim in his liquorem gaſtricum, quam in quadrupedibus aut hominibus, acriorem forte conceſſerim, tam acris tamen non eſt, ut corroſivus, & virtute aquæ chryſulcæ lapides comminuere, dici mereatur. Obſervavimus aliquando puellulos in infantia calculoſos, ſueceſſu temporis ſua ſponte liberos evaſiſſe abſque medicamentorum ulla adhibitione, ſine dubio, quod correctis in corpore humoribus compages calculoſa per ſe reſoluta fuerit. Occurrit commodę Diſcurſus, quem *Archiater Würtenbergicus,* Illuſtris *Gmelinus* aliquando de calculoſa diatheſi propoſuit, principium nempe lithopoieticum non tam in ſolis renibus & veſica, quam tota maſſa ſanguinea ac humorali deliteſcere, & cumprimis vitio ſtomachi primæve digeſtionis deberi. Gaſtricum nempe liquorem per inertiam è cibis magma glutinoſum procudere, nec atomos lapideas cum cibis devoratas rite ſolvere, & per inteſtina juxta cum excrementis evacuare: Sed implicatas glutini ſuo primum in inteſtina, hinc meſenterium, poſtremo viſcerum omnium receſſus derivare, ubi denique cavitates commodas nactæ, accedente cumprimis coagulatore ſalino, in calculos compingantur. Quæ cavitates cum in renibus & veſica reperiantur commodisſimæ, ſerum inſuper ſalſum ibi hoſpitetur, deſit humorum alibi coagula magis impediens motus impetuoſus, adſit contra quies huic negotio magis favens, hinc & ibi utplurimum calculos nidulari, quamvis id alibi locorum, cæteris nempe paribus, fieri poſſit, adeo, ut nullum pr opemodum corporis viſcus, immo ipſamet vaſa, & metropolis animæ *Carte ſiana,* glandulam volo pinealem, à calculorum hoſpitio immunia reperta ſint. Immo, obſervati ſudores arenoſi, & podagricorum tophi, cretæ ſimulacro in ipſo vultu effloreſcentes, quo de in altero *Miſcellaneorum noſtrorum tomo,* ſuo tempore edendo. Vlterius hinc Vir Illuſtris ſuam illuſtrat ſententiam, quod iſti plerique, quorum Sulphur in ſanguine magis oppreſſum, prædominante pituita, quales ſunt puelli & ſeniculi, ſint lithiontes, & inter medioxumos annorum illi, qui Baccho militantes liquorem gaſtricum perpetuis alluvionibus volatilitate ſua exuerunt. Hinc denique prudenter ſuadet, ut medicamentis lithontripricis continuo permiſceantur aromatica, ſtomachum e-

juſque

juſque liquorem reſpicientia, quin & ejuſmodi pharmaca uſu non interrupto illis commendentur, quibus exciſi ſunt è veſicula calculi, ni ob diatheſin etiam poſt exciſionem permanentem tales renaſci velimus, quod quidem fieri, die toto experimur. Sic enim oblitterata ſenſim illa diſpoſitione, reſtitutoque ſuis functionibus ventriculo, non eſſe metum, ut lapides denuo ſuccreſcant vel præſentes augeantur. Immo, nos addimus, magis eſſe ſpem, ut ſpiritu volatili in ipſamet urina tunc aucto, & auſtero diminuto, ſenſim atomi quædam à veſicæ calculis abraſæ cum urina prodeant, hinc & ipſe calculus ſucceſive minuatur. etiam qui veſicam occupavit, eadem fere ratione, qua

Gutta cavat lapidem, non vi, ſed ſæpe cadendo.

Ad OBSERVAT. CXX.

FErri in cuprum mutatio ita procedit: Omnium primo vitriolum ſequenti modo paretur: Extrue tibi furnum quadratum parietibus craſſis & robuſtis. Utrumque furni latus tres Cameras habeat: Camera quælibet novem aditibus, ſeu foraminibus quadratis pateat. Jam, quod eſt reliquum furni ſpatium altitudine 2. circiter pedum lignis impleatur, relicto tamen in medio lignorum ſpatio, canalem ligneum perpendiculariter iſti ſpatio immittendum, capiente, per quem ignis inferri queat. Reliquum furni ad ſummum uſque repletur minera ferri, coopertis per eam lignis. Jam igitnr illato per dictum canalem igni ligna incenduntur, ſic fumi ſulphurei Camerarum aditus intrant, & ibi in Sulphurem verum notabilis quantitatis denſantur. Scoriæ abjiciantur, Sulphur autem ubi refrixit in ligneas trullas injicitur ſuperfuſo mox communi lixivio, quod inde evirideſcet. Lixivium viride per epiſtomium trullis adaptatum in vas quernum ſuppoſitum derivatur, & coquitur in aheno plumbeo, donec fatiſcat in Vitriolum. Quo jam excocto laminæ ferri (Eiſen-Stäbe) in dolium quernum collocantur, Vitriolum ſuperfunditur, & Sale commune candefactum ſucceſſive injicitur; ſic ferreæ laminæ in mucilaginem ſubrubram corroduntur, quæ toſta & liquefacta ſ. fuſa in cuprum verum transmutatur. Quantitas pro mineræ bonitate nunc major nunc minor adquiritur. D. 19. Junij 1697. tentatum alicubi in minori quantitate experimentum facto computo ex ferri centenario uno largitum eſt cupri libras octo & quadraginta. Nonnunquam redeunt libræ ſexaginta vel ſeptuaginta.

Ad

Ad OBSERVAT. CXXXVIII.

RAra in Suevia Plica, & interdum nulli Medicorum per omnem praxin viſa. Nobis unicum exemplum *Nordlingæ* in quodam obſervatum, qui in dextra, quantum recordor, ſyncipitis parte, per multos jam annos cirrum tenuem, ad inſtar calami ſcriptorij & in morem funiculi propendentem, ad ulnæ & ultra longitudinem exporrectum alebat, reliquo calvariæ tam glabro, ſicut eſt ovum. Quod alioqui negotium ipſi nullatenus faceſſeret, cumque non niſi maximo cum vitæ periculo præſcindi poſſe, perſuaſum haberet, funiculum tolerare, quam ei medicinam adhibere maluit. Nec vero tacendum, bonum hunc virum non tantum perpetuo faciem pallere, ſed & crebris ad oculos defluxionibus & lippitudine vexari, quin etiam rheumaticis nonnunquam doloribus cruciari. Num plicæ hæc accepta ferenda, eo minus aſſeverare auſim, quod in Obſervatione Excell. Auctor tradat, ejuſmodi ſymptomata præcurrere plicam, hacque præſente tolli.

Ad OBSERVAT. CXLVI.

MEdicinam Anno 1696. fecimus Matronæ nobili hyſtericæ, miſere per aliquot menſes occumbenti. Dabantur pulveres ex *Martialibus hyſtericis* & *abſorbentibus*, quos, cum aliquoties aſſumſiſſet, cauſſata eſt augere dolores & omnia mala, ſeque proinde uſum eorum ferre non poſſe. Dixi, me quid aliud ſcripturum, eoſdemque pulviſculos cum *tragacanthæ ſolutione* in pilulas compingebam, quorum plus quam centum doſes deglutijt, earumque effectum miris laudibus extulit. Cum jam diu convaluiſſet, fucum prodebamus, illa ferme fidem adhibere nolente. Dandum aliquid opinioni præconceptæ cumprimis muliercularum, ni nocere, quam prodeſſe, malis. Pharmaca libenter & cum fiducia quadam aſſumere, ſane non exiguum ad curam felicem affert momentum, & in ea ſemper fui perſuaſione, minus juvare, quæ non eſſe profutura firmiter credunt, aut maximo cum tædio vel nauſea coacti ſorbent ægroti. Quamvis & hoc non abſurdum ſit credere, pilularem, quippe compactiorem, & lævem formam, non æque ventriculi plicis infigi, quam pollines, atque adeo vel ipſam formulam unius medicamenti mutatam præ alia ſalubriorem eſſe poſſe. Addimus, *Sereniſſimum* quendam *Principem Göppingæ* acidas *Jebenhuſanas* hauſiſſe, quod *Göppingenſes*, quippe, falſo quibuſdam perſuaſis, nimium acres, adeoque noxias futuras, ſibi imaginaretur. Servum proinde quotidie *Jebenhuſam*, ut illinc aquas aſportaret, ablegavit. Hic autem, cum per aliquot dies illuc commeaſſet, poſtea *Göppingenſes* haurire, ſuoque Domino *Sereniſſimo* potui dare cœpit, quos

ipſe *Jebenhuſanas* credens, ſecure hauſit, eodem, immo majore cum emolumento. Peracta feliciter cura fraus, ſi modo fraus dicenda, detecta fuit.

Ad OBSERVAT. CLVIII.

CUm aliquando viro vehementer obeſo conſilium daremus, quo vivens brevi tempore multum extenuatior fieret, inter alia, ut pani ſenſim deſueſceret, carnibuſque magis veſceretur, ſuaſimus. Orta hinc inter me & alium celeberrimum quendam Medicum amica diſſenſio, cui credere libuerat, carnium potius, quam panis eſum impinguare, narrata etiam aulici cujusdam in hanc rem obſervatione, qui, cum panis eſum negligeret, carnibus licentius paſtus, obeſiſſimus omnium reliquorum viſus eſt. Relinquimus hanc obſervationem, quippe Medico iſti ab alio narratam, ſuo Auctori, non impoſſibile exiſtimantes, ut abſtinens à pane fiat obeſus, cum & hic aliquid conſuetudini ſit dandum. Id vero ſolum obtinere cupimus, ineſſe pani magis, quam carnibus, impinguandi efficaciam, idque brutorum cujusvis generis animalium exemplo demonſtrantes, inter quæ *carnivora*, Leones, Lupi, Tigrides, inter quadrupedia, & inter volucres accipiter, aquila, corvus &c. minus pinguia reliquis ordinarie viſantur; Contra, quæ vegetabilibus, & cumprimis frumentaceis veſcuntur, addita præcipue quiete, ultra modum & quam ſit credibile, haut raro pinguefiant; Boves dico, porcos, anſeres, coturnices, capones &c. Nec deeſt ratio, ſi oleoſam pinguedinis Naturam conſideres. Plus enim oleoſi in frumentaceis, quam carnibus, quæ ſale abundant, reperias; è carneis vix oleum aut φλογιστὸν, è frumentaceis autem levi negotio multum ejus extorſeris. Dantur autem & Hominum exempla valde macilentorum, qui à panibus abſtinent, quale quid de *Auguſtiſſimo* quodam *Monarcha* prædicatur, noſque litteratum quendam monogrammum novimus, ad carnes, eaſque præpinques, avide libandas paratiſſimum, à pane tamen abſtinentem, ſed & quovis cane venatico magis gracilem. Alitur & nobis è Mopſulorum genere catellus pinguis & habitiſſimus, ſed nullo alio per totum annum cibo, quam ſolo pane, victitans. In urbe *Balſara*, eoque diſtrictu ad uſque fluvium *Indor*, patentem ferme ad 600. miliaria ad oram *Arabiæ* Incolas nec pane nec oryza, ſed ſolis dactylis victitare, piſcibus item ad ſolem arefactis & conditis teſtatur TAVERNIER *Itin. Perſ. lib. II. cap. 8.* Mirum, ni ſunt omnes macilenti!

AD OBSERVAT. CLIX.

VIdeantur Hiſtoriæ in *Miſcellaneorum* noſtrorum *Medico-Pract. Part. I. p.* 287. adductæ, mulieris unius, quæ paſſa fuit ordinarie menſes, ſed, qui abſque ulla cauſſa ſenſibili emanſerunt, alîus item, ſed ſterilis, quæ menſes nunquam vidit, utrarumque cætera ſaniſſimarum, quibus, ne ulla ad provocandum hunc fluxum, adhiberentur medicamenta, ſuaſor fui.

Ad OBSERVAT. CLX.

NObis obſtetriciam manum admoventibus *Betheſda Göppingenſe* MASKOSKYANUM Anno 1680. *Nördlingæ* lucem primum vidit. Ita vocabatur tractatus idiomate germanico conſcriptus, quo docebatur *Acidarum Göppingenſium deſcriptio & uſus.* Qui libellus, cum paucorum in manibus verſetur, libet Hiſtoriarum memorabilium par unum, *capiti tractatus XV. p.* 256. f. inſertarum mentionem fortaſſe non pœnitendam injicere. Alutarij *Ulmenſis* uxor, torminibus à Medicorum Choro pro hyſtericis habitis diu multumque vexata *Göppingenſes acidas* potum adibat. Singulis diebus tam per alvum, quam urinam vermiculorum vivorum myriades reddebantur. Erant non unius coloris & figuræ, quibusdam non defuit faſcini ſuſpicio. Convaluit, per DEI gratiam, filioli biennio poſt læta Mater. Ab alio quodam Juvene, qui diu urinæ ardorem paſſus erat, dictarum acidularum potus per virile membrum lumbricum latum eximiæ longitudinis pepulit, ipſo convaleſcente.

Ad OBSERVAT. CLXXVIII.

DE auribus utriſque imperforatis filiolæ recens natæ vide Hiſtoriam à nobis relatam in *Miſcellan. noſtr. Medico-Pract. Part. I. p.* 226.

Ad OBS. CLXXXIX. & CXCI.

QUemadmodum medicamenta effeta, carioſa, rancida, ſitu obducta, putredinis charactere inſignita, eundem in corpore humano alterationis effectum minime producunt, immo haut raro ſunt inſigni nocumento; Ita eundem nutritionis effectum præbere alimenta, cumprimis ex animalium morboſorum, moribundorum &c. cenſu petita, vel putreſcere incipientia, nemo facile crediderit, qui ratione uti ſua didicit, quidquid in contrarium ſtatuere alijs collibeſcat. Immo cur tanta ſedulitate in coquendis oleribus, radicibus, fructibus eſculentis, putrida, carie exeſa, immo vel flaccida tantum, cultro præſcindimus, ne forte ſimul in ollam conjciantur, & in cibum veniant? Sic-

cine hæc iſtis ex animalibus deſumtis ſint nocentiora? Contrarium potius & ſuadet ratio, & obſervantibus experientia ſine dubio probabit. Nec, ut illico damnum in corpore ſentiatur, eſt neceſſum. Satis inde ſucceſſive labem humoribus affricari, quorum vitium poſtliminio quaſi partes, harumque actiones luant. Scilicet, eſt etiam hæc ciborum inſalubrium *hyſterergia*, de qua in *Miſcellan. noſtr. Med. Pract. Part. II. p.* 474. ut & de noxa comeſtionis carnium à pecoribus contagioſa lue infectis *ib. p.* 509. Si inquiritur in cauſſam, cur iſtiusmodi carnes vulgo non eſſe noxiæ cenſeantur, nulla ſane alia palmam commentitiis & obtentis reliquis præripiat, quam ea quæ deſumitur ex quæſtu, tum pecora vendentium, tum mactantium, tum etiam ejuſmodi carnes, quippe vilioris venientes, ementium, hominum ſcil. ſordidorum, *ſ. Cerdi* aſſeclarum, quibus præ ſanitate numi ſunt potiores. At, ſi vel maxime inſalubritatis ejuſcemodi carnium nulla eſſet apodixis, tutiori tamen omnino via incedunt iſti, qui veſcuntur carnibus, ex animali de nulla ſanitatis labe ſuſpecto, quam ovibus echinoſis, deſumtis.

Ad OBS. CCXVI. & CCXVII.

QUi medicamentorum *antimonialium*, rite, quod ſemper præſupponimus & inculcamus, præparatorum, vim *hæmocatharcticam* negare vellet, is quotidianæ genuinæ praxeos obſervationi in os contradiceret. Antimonij crudi etiam in ſubſtantia adſumti vires in varijs affectibus hodie miramur, quamvis ſiccioribus non æque conveniat, ſed phlogoſes in illis excitare ſoleat. Immo in refracta doſi & metallorum crocum & Mercurium vitæ pulveribus cachecticis maximo cum emolumento, præeunte ſic Exc. FRIDER. HOFFMANNO, permiſcere didicimus. Cui hodie ignota eſt virtus *Reguli antimonij medicinalis*, medicamenti vere polychreſti, feliciſſimo chalybis connubio ſuperbientis? Nec ullum eſt dubium, ſi chalybeata antimonialibus ritè jungantur, herculea inde ad diras morborum hydras truncandas remedia productum iri. Suam quoque laudem, & ſane non minimam, *diaphoreticum martiale Ludovicianum* meretur. Nos *Tincturam* ſeu *oleum antimonij* parare ſoliti ſumus, mineram antimonij cum cruſtis panis ſecalini torrefactis per retortam pellendo, unde liquor acidus empyreumaticus, cum thrombis quibuſdam quaſi ſanguineis exſtillavit, quibuſdam aceti antimonij nomine veniens, quamvis utrum pani potius, quam mineræ geneſin debeat illud ſtagma, ſæpe dubitaverimus. Separatur à thrombis clarus liquor & rectificatur. Hoc acetum mineræ antimonij affunditur & extrahitur inde tinctura rubicundiſſima pergitur affuſione aceti, quamdiu colorem à minera adipiſcitur, quem ubi exſugere deſiſtit, abſtrahitur per Mar. baln. acetum omne, uſque ad mellis

conſi-

conſiſtentiam, cui extracto quaſi antimoniali ſuperfunditur ſpirit. vin. rectificatiſſimus, & extrahitur iterum tinctura rubicundiſſima, elegantiſſima, iterata ſpir. vini affuſione, quamdiu rutilus color exſurgit. Hæ extractiones ultimo denique per Mar. baln. caute abſtrahantur, cavendo, ut, cum guttæ rutilæ alembicum tranſire cœperint, ſtatim ab ulteriori deſtillatione ceſſes. Et ſic adquiritur oleum antimonij rubini ad inſtar reſplendens, non injucundum, quamvis empyreuma omnino non deponat. Cujus doſis ſunt gutt. x. xij. ex vino. Cæterum exiſtimem antimonialia medicamenta operari corrigendo acorem in maſſa ſanguinea, eique ſulphur balſamicum reſtituendo, & exaltando.

Ad OBSERVAT. CCXVIII.

SIcut in medicamentorum plerorumque applicatione, ita & in moxæ inuſtione magnam ſubjecti rationem eſſe habendam arbitrer. Non negandum, virtutem ejus debellandi podagricum dolorem eſſe admirandam, tot experimentis adeo probatam, ut fruſtra quis contraluctari audeat. Sed & hoc verum, eam vix plura præſtare, quam aliud quodvis cauſticum ſive actuale, ſive potentiale. Id denique veriſſimum ejus uſum non æque tutum eſſe in ſubjectis macilentis, temperatura calida & ſicca præditis, quod de veſicatorijs quoque omnibus egregie monuit Vir inſignis, Medicinæ novum ſidus, BAGLIVIUS *Med. Rom. tr. de veſicant.* Tametſi enim dolor in his quoque aufertur, nihilo tamen minus non tantum brevi, ſuoque tempore, & quidem crudelius, incrudeſcit, ſed & artus inuſti ad ἀκινησιάν adeo diſponuntur, ut dubium ſit, utrum ſatius exiſtat, ſuis patienter doloribus defungi, donec natura νοσερὸν πάθος per calorem diſcuſſerit, & poſtea uſu pedum ad obeundas functiones expedito gaudere; quam dolores fugare, ac poſtea claudi ſutoris ad inſtar ſellæ rotatili affigi. Bina nobis exempla ſunt nota, unum Pharmacopœi, Senatoris alterum in Imperiali quadam urbe utrorumque macilentorum ac temperamento cholerico præditorum, qui à moxæ inuſtione dolores quidem ſtatim abactos ſenſerunt, podagram autem non tantum non plane fugatam, quin ferociſſima rediret, ſed & pedes manuſque adeo ſuo robore exutos, ut vix incedere, vel cibum abſque aliorum adjumento capere poſſent. Contra quidam meus Affinis, ſed is obeſior & ſanguineo-phlegmaticus homo, unica moxæ inuſtione podagram ita fugavit, ut jam per annos circiter, ſex, ab ea prorſus immunis vivat, imo ne quidem leviſſimum illius doloris inſultum patiatur, artuum porro robore cum quovis gladiatore certaturus. Jam vero & vetuſtiſſimum eſſe hunc inuſtionis externæ morem, ex antiquorum lectione didicimus, quos proinde, vel hac ipſa quoque de cauſa diligentius

evolviſſe, quam ſuperciliosius contemſiſſe, præſtiterat. Videantur HIPPOCRATIS & CELSI ſcripta hinc inde.

Ad OBSERVAT. CCXXX.

N*Ordlingæ* per ſingulos annos paſſerum ejuſmodi Canarienſium pullities numeroſa gignitur, quos inter, qui ſunt albo colore, hodie fere inter quotidianos referuntur, ſic, ut maſculi florenis tribus veneant, hominum memoria vix quinquaginta florenis venditi. Nunc autem textor quidam ibi degit, qui variegatos plumis & quibuslibet ferme coloribus, pro arbitratu ſuo, pullos monſtrare novit, artificio, quod revelare hactenus negavit, ſane quam curioſo. In ea hactenus opinione fui, vel res vario colore imbutos in nido ſuſpendi, vel ovula quibuslibet coloribus pingi; ſed cum Excell. Obſervationis Auctor recenſeat, aliquos arte & induſtria, objiciendo ſcil. res albas, aviculatum oculis, ſobolem obtinere albam, ſed fruſtra, laboraſſe, vereor, ut rem acu tetigerim. Interea *Nordlingenſis* artifex multum ſibi lucri è pulchellis aviculis comparavit, &, ni fallor, adhucdum parat. Corvos, lepores, urſos, nive quavis candidiores in locis ſeptentrionalibus omnibus progigni, nivibus, quæ propemodum per totos annos ibi locorum terram operiunt, in *Memorabilibus Curlandiæ* me adſcripſiſſe recordor.

Ad OBSERVAT. CCXXXV.

CUm, teſte FRANCISCI, camphora tam læte ſuccreſcat in *Japonia*, ut ex ligno camphoriferæ arboris pleræque domus extructæ ſint, ſi camphora ſteriles efficiat, illud Regnum jamdudum incolis orbum eſſe oportuit.

Ad OBSERVAT. CCXXXVII.

CUm Excell. Auctor experimentum Colicæ feliciter & ſemper pulſæ, ſudore, à pulvere lapidis coctilis in cerviſia calida, aut ſpiritu vini ſumto, profecto recenſeat; in memoriam mihi revocat aliud in *Ephemer. noſtr. Dec. III. Ann. II. Obſ.* 81. adnotatum, pulveris nempe fiſtularum tabaci antiquarum ad cuſp. 3. cultri ſingulis horis in vino, ſpiritu vini, aut aqua menthæ exhibiti, in ſopiendis ijſdem doloribus. Quodſi igitur, uti ſentit Excell. PAULLINI, iſtud experimentum ſciendum, non imitandum, certe minus hoc de tabaci fiſtulis imitandum erit. Nam, ſi detur optio, malim pulverem laterum ſorbere. Sed utrumque experimentum, quin imitari tuto liceat, nil omnino prohibere exiſtimo.

SCHE-

SCHEDIASMA
DE
ÆRE,

CHRISTIANI HELWICHII,
Phil. & Med. Doctoris, Medici Vratislavienſis, &
inclytæ Academiæ Naturæ Carioſorum
Collegæ.

In Nomine JESU!

Procemium de Scriptoribus Rerum metallicarum, & Methodô in hac doctrina obſervanda.

§. 1.

ÆRis naturam evoluturis, comodum videtur præmittere Scriptores, quorum diligentia mineralia, inter quæ æs refertur, pleniori hominum notitiæ ſunt ſubjecta. Primas inter eos deferimus Ariſtoteli, quamvis pauca ſint, quæ de mineralibus Philoſophorum Princeps in libr. 3. Meteorol. 8. c. 6. ſub finem poſteritati transmiſit. Non ignari ſumus, quod hodie reperiantur inter eruditos non poſtremi, qui Ægyptiorum ſcientiam de rebus naturalibus omnibus, etiam metallicis, laudibus efferunt maximis eamque unicè ex Hermetis, quem Latini Mercurium, Ægypti verò Thot appellarunt, libris eſſe petendam contendunt. At verò inter eruditos conſtat, eos nullô fundamentô ſubnixos orbi id voluiſſe perſuaſum. Olai Borrichii liber de Ægyptiorum ſapientia contra Conringium, cordato cuivis abundè fidem fecerit, qui ſibi à ſtylo nitido Borrichii non paſſus fuerit glaucoma objici. Nec Chaldæorum & Perſarum monumenta de metallis ſuperſunt, μαγικὰ λόγια Zoroaſtri, cujus hiſtoriam ex Abulfedâ aliisque collegit Edoardus Pocockius (de eo etiam legatur Otto Heurnius in Barbar. Philoſophiæ antiquitat. lib. 1. Chaldaic. p. 28. & in lib. 2. Ind. c. 1.) â Gemiſto Plethone & Fr. Patritio edita nihil, quod huc faciat, continent. Ex Pythagoricis ſcriptis ad noſtras manus nullum pervenit, quod Philoſophiam naturalem ejuſque partem de mineralibus explicaret. Teruntur quidem manibus eruditorum Timæi Locri & Ocelli Lucani opuſcula, verum gnarus Platonicæ ac Ariſtotelicæ Philoſophiæ utrumque hunc ex Ariſtotelis quin Platonis & Pythagoræ prodiiſſe diſciplina intelligit. Ulteriùs nec fragmenta Thaletis, Anaxagoræ, Anaximandri, Diogenis, Empedoclis, Democriti, Leucippi, Heracliti, Parmenidis & Meliſſi à multis præcipuè Ægydio Menagio in Diogenem Laërtium ſtudiosè collecta doctrinam de mineralibus illuſtrant. Socrates in moralibus occupatus hanc Philoſophiæ partem vix attigit, Quid ex Platonis Timæo nobis promittere queamus Simplicius præfation. in comment. Phyſicar. Acroaſeon edocebit. Poſt Ariſtotelem ejus diſcipulus Theophraſtus teſte Alexandro Aphrodiſienſi, de mineralibus

omnibus egit, integroſque tractatus de ſalibus, nitro, alumine compoſuit, quemadmodum Diogenes Laërtius tradit. Liber ejus de Lapidibus adhuc ſupereſt.

§. 2. Poſt illa tempora Galenus lib. 9. de ſimplicium facultat. particulatim plurima metalla perſequitur. De omnibus generibus eorum etiam Plinius diſſeruit. In Lucretii l. 5. Epicurea de Metallis dogmata ſuperſunt. Rudi minerva quædam de illis attingit Iſidor. lib. 16. Etymol. Prætermitto Ariſtotelis Interpretes Alexandr. Aphrodiſienſem, Olympiodorum &c. non quod cum Patritio ex Philoſophorum albo celebria illa nomina expungam, ſed quòd novis additamentis & experimentis Philoſophiam Ariſtotelicam non locupletarint. Quod & de Averroe & Avicenna Arabibus Philoſophis aſſerere haud erubeſco. Inter Scholaſticos Doctores viros certè acutiſſimos neminem reperio, cujus opera in hac doctrina proficere liceat præter unicum Albertum Magnum, ex religioſa Prædicatorum familia Epiſcopum Ratisbonenſem, Patria Suevum, cui vaſta eruditio & infinita propemodùm opuſcula nomen magni pepererunt. Is certè & ex natura & ex autoribus ſapuit plurimùm. Vix nominari meretur Conradus Megenbergerus, qui in libro Germanico ex latino germanica induto veſte non adeò accuratè de rerum naturis diſſerit. Virum ſeſe præſtitit Georgius Agricola in nunquam ſatis laudatô de metallis opere, qui in præfatione ad Mauricium Saxoniæ Ducem opportunè etiam monuit, quàm pauca Veteres nominatim Ariſtoteles, Theophraſtus, Albertus M. ad Metallorum cognitionem nobis reliquerint. In eodem ſtadio cum laude decurrit Andreas Cæſalpinus, & ſi ſcientificam tractandi rationem ſpectes, palmam Agricolæ dubiam fecit, victus tamen Italus à Germano in ſingularium notitia. Plurima enim αὐτόπτης in Joachimica Germaniæ valle Agricola cognovit. Mazonius, qui de triplici hominum vita, activa, contemplativa, religioſa egit quæſtionibus quinquies mille, centum & nonaginta ſeptem, & irrito labore Platonem, Ariſtotelem, Græcosque & Arabes ac Latinos Interpretes conciliare ſategit, interſperſit aliqua lectu non indigna, & virgam cenſoriam in ipſum Agricolam in quibusdam ſibi arrogavit. Scotia nobis dedit Thomam Moreſinum, qui in libro de Metallorum cauſis & transmutatione adhuc ſuperſtes eſt. Joſephus Quercetanus egit itidem de ortu & cauſis metallorum. Iſaaci Johannis Hollandi opera mineralia & vegetabilia in 8vo prodierunt Arnhemii. Franc. Hernandez edidit hiſtoriam plantarum animalium & mineralium Mexicanorum, in fol. Romæ; ſed id opus viſum à me non eſt. Nec unquam legi Ludovicum de Comitibus Coloniæ editum. Chriſtophori Encelii & Conradi Geſneri de hoc argumento opuſcula non tam Philoſophis, credo, quàm ſub Priſciano ſtipendia merentibus profutura. Major

jor proficiendi ſpes ex Fallopio ac præprimis ex Celeberrimi Rolfincii eruditiſſimis diſputationibus Chemicis ſex, inter quas etiam de Cupro una comparet. Ambigo an Alvari Alonſi Barbæ mentio facienda, quippe cujus libellus de Metallis in India metallicæ rei præfectis deſtinatus eſt. Olai Borrichii docimaſtice metallica ſcriptum breve ſed doctum ac nervoſum eſt. Penè oblitus fueram Georgii Fabricii, cujus de metallicis rebus ac nominibus obſervationes variæ & eruditæ evolvuntur, quibus ea potiſſimùm explicantur, quæ Georgius Agricola præteriit, & Morieni Romani Eremitæ, de re metallica &c. Compendium Horneji naturalis Philoſophiæ de lapidibus, metallicis & mineralibus mediis eſt opuſculum certò non proletarium. Alphonſi liber Philoſophiæ occultioris præcipuè metallorum à me non eſt viſus. Philoſophorum per ignem lucida & tantùm non flammans doctrina credo obtundet oculos intellectûs, utpote qui ad tantum lumen cœcutit quapropter eorum ſcripta cum venia cordatorum Chymicorum, quos plurimi facio, jam omitto. Non ſine offensa eruditorum prætermiſero Athanaſium Kircherum, Soc. Jesu Presbyterum, qui omnigenam ſuam eruditionem orbi multis monumentis probavit, cumprimis in mundo ſubterraneo; decimus ejus liber de Metallurgia quædam altioris indaginis refert. Burrhum alioſque ejus commatis lubens prætereo. Beccheri infra mentionem facturus & Olai Wormii labores commendaturus. Poſſevinus lib. 12. Biblioth. c. 12. refert alios adhuc autores, quos p. 63. quivis inquirere poterit.

§. 3. Non abs re fuerit, ſi paucis explicavero quomodo doctrina de Metallis ἐπιϛημονικῶς h. e. ſcientificè tradi queat. Scilicet cum mineralia hodiè appellentur ea omnia, quæ in venis terræ metallicis oriuntur; Minera enim, annotante Voſſio lib. 2. de Vit. ſerm. c. 9. ***Matricem deſignat. ſ. venam terræ metallicam***, ab Arabibus juxta Geſnerum primitùs adhibita, ſtatim videtur neceſſarium ea partiri in ſpecies, cùm ſermones de univerſalibus judicio Ariſtot. lib. 3. Polit. c. 1. in talibus ſint inanes. Hic modo laudatus Philoſophus lib. 3. Meteor. c. 6. Mineralia dividit in ὀρυκτὰ ***foſſilia*** & μεταλλευτὰ ***metallica***, modò quis non omnia ſubterranea Dioſcoridem ſecutus metallica vocet; & deindè foſſilia iterùm partitur in ***illiquabilia, lapides***, & ***ea quæ humido ſolvuntur***, h. e. juxta eum, in ***pulveres*** coloratos; Albertus M. Mineralium facit ſpecies ***lapidem, metallum & quæ mediam inter lapidem & metallum obtinent naturam***; licet etiam ut ſano ſenſu cum Avicenna lapidi & metallo addas ***ſulphur & ſales.*** Inter omnes verò conſtat maximè metalla differre à foſſilibus, quòd ea ſint ***liquabilia & malleo ductibilia.*** Quia verò ſcire eſt cauſas rerum & prima principia uſque ad elementa noſſe lib. 1. phyſ. c. 1. ſine

dubio cauſæ mineralium fuerint eruendæ comparaturo ſibi ſcientiam de mineralibus. Non autem exiſtimandum eſt, quod omnes cauſæ locum inveniant in hac doctrina; Peripateticorum ſcholæ enim iis formam abjudicant, ſicuti Cæſalpinus in his facilè princeps lib. 1. Meteor. c. 2. edocet. Nec finis *cujus* in Metallis eſt quærendus, quoniam partes ſimilares metallorum non ſunt in gratiam organorum conditæ, quemadmodum in viventibus contigit: Finis autem *cui* meritò attendendus eſt; ars enim traxit ea ad varios uſus humanos, cùm homo quodammodo omnium finis ſit 2. Phyſic. t. 24. Reliquas igitur duas tantum cauſas agnoſcit Philoſophus in his l. 1. Meteorol. c. 2. Materiam, quoniam ſine materia & ex nihilo naturaliter (ſupernaturaliter mundum & omne ex nihilo facta eſſe credimus omnes edocti à S. Spiritu) nihil fit, quod decantatum eſt axioma Ariſtot. tùm in Phyſicis tùm in Metaphyſicis Conf. lib. 7. Metaph. cap. 7. lib. XI. cap. 2. & deinde cauſam efficientem. Proinde etiam in hac doctrina demonſtrationes petuntur à cauſa efficiente & materiali; quemadmodum Viri *τῆς ἐπιστήμης* gnari Scherbius, Piccartus, Sonerus, Drejerus, Zeidlerus, Neldelius, Conringius, Hedio, Wichelmañus alijque ſatis in ſcriptis ſuis monuere. His explicatis & generatione ipſa oculis quaſi ſubjecta aliæ metallorum differentiæ explicandæ, ſcil. eæ quæ continuum habent cum genere nexum eique per ſe inſunt. Id quod continget, quando animum advertemus ad ea, quæ ratione cauſæ efficientis ac materialis mineralibus competunt: nam pro varijs materiæ paſſionibus ab efficiente productis & diverſis actionibus efficientis in materiam ſortiuntur varietatem. Carteſiani Metallorum differentias à diverſa partium conjunctione, diſpoſitione & figuratione dependere ajunt. His expeditis cenſeo eſſe tranſeundum ad metallorum proprietates communes, quæ ſunt (1.) *Soliditas* & *durities* major & minor pro diverſitate metallorum (2) *Liquabilitas* (3) *ductibilitas* (4) *pondus & gravitas* (5) *odor* (6) *ſapor*, & ſi quæ ſint plures. In his omnibus præter quæſtionem *ὅτι*, quæ ſenſu patet, obſervanda etiam quæſtio *διότι* ſivè cur ſit. Deindè non incommodè forſan de præparatione metallorum tractari poterit, & quid de tranſmutatione metallorum poſt multos Phyſicos, Chymicos, Medicos, ipſum etiam Celeberr. Polyhiſtorem Morhoffium Juris Doctorem Eloquentiæ & Poëſeos in Kilonienſi Academia Profeſſorem ſentiendum ſit, aperire licebit. Hæc in genere de Metallis tractata ſufficere crediderim. Progrediendum ad ſpecies. Perindè verò fuerit, à qua exordium quiſquam ſibi capiendum putet, quia unius ſpeciei notitia non neceſſariò requirit cognitionem alterius, niſi quis propter nobilitatem primum locum auro dare vellet. Hæc præfatus ſum eo fine paulò prolixius, ut ſi fortè aliquibus non diſpliceret hæc de ære pragmatia,

matia, & impoſterum de reliquis metallis eadem methodo, Deo juvante agerem, non eſſet neceſſe denuò hunc campum ingredi. Propter eandem rationem paulò fuſiùs de materia & efficienti metallorum in genere egi; adhæc perſpiciebam facilè, non poſſe ſpeciei naturam explicari, niſi aliqua generis notitia in anteceſſum animus foret imbutus. Dabis ergo, Lector Humaniſſime, veniam & longiori quam par eſt proœmio & tractationi generali.

CAPUT PRIMUM.

De
Natura Metallorum in genere,

§. 1.

DE materia metallorum primò ſententiam Ariſtotelis & Aſſeclarum ejus explano ex 3. Meteorol. c. 6. ſub finem; ibidem cum duplicis generis corpora ſub terra fieri Philoſophus ſtatuiſſet, addit id fieri eò, quod duæ ſint *exhalationes, fumoſa & vaporoſa*, fumoſa iterum vel *pinguis & combuſtibilis*, vel *arida & incombuſtibilis, vaporoſa* verò *vel glutinoſa* vel minùs *glutinoſa* quorum illa materia ſit foſſilium, hæc autem minùs glutinoſa metallorum. Fumoſa exhalatio ex *terra*, vaporoſa ex *aqua* ortum ducit, prout Cæſalpinus lib. 1. de Metall. c. 3. p. 7. in principio animadvertit. Id verò Ariſtotelem in hanc ſententiam de materia metallorum induxit, quod cerneret metalla, cum liqueſcunt, fluere ut aquam, etſi non madefaciant. Nihilominùs juxta ejus mentem fortaſſis non multùm prohibet aſſerere, quod eſſentia eorū ſit *terrea*, id enim Galenus hic ab Ariſtotele diverſum non ſentiens admittit, lib. 9. de facult. ſimplic. c. 7; quia nimirum exhalationes humidæ multum à terra paſſæ ſunt. Qui verò Ariſtotelis Philoſophia gnarus eſt, me etiam non monente intelligit illam vaporoſam Ariſtotelis exhalatiotionem participare præter *naturam aquæ* etiam de *ſubſtantia aëris*, quemadmodum ſicca *præter terram* etiam de igne participat: Cæterùm requirit Ariſtoteles, ut exhalatio hæc vaporoſa minùs glutinoſa includatur & coarctetur, verba ejus ſunt: *Facit autem hæc omnia exhalatio vaporoſa cùm includitur & maximè* ἐν τοῖς λίθοις h. e. Franciſc. Vatablo interprete, *in lapidibus propter ſiccitatem in unum coarctatur & concreſcit* &c. Et hæc quidem eſt materia proxima metallorum juxta Ariſtot. remota verò *terra & aqua*; humidum enim aquæ & ſiccum terræ juxta eum eſt materia omnium lib. 4. Meteor. c. 5. adeoque etiam metallorum. Remotam ergò tetigit Plato, in ſua deſcriptione cum in

Dialogo, qui Timæus inſcribitur, dixit *metallicam naturam eſſe aquæ ex frigore gelationem*, ex quo etiam manifeſtum eſt, eum ab Ariſtotele diſſentire quicquid etiam de utriuſque conſenſu Olympiodorus nobis perſuadere allaboret. Albertus M. aquam *unctuoſam & viſcoſam* non *tamen cremabilem* (qualis eſt ſulphuris) per coctionem in metallum converti autumat; at verò præterquam quòd remotam adducat materiam, ſupponit quicquam quod falſum eſt; ſcilicet unctuoſum & pingue aliquod incombuſtibile reperiri; dum credere nos vult, aquam unctuoſam & pinguem eſſe incombuſtibilem, etiam quando coquitur, cum tamen judice Cæſalpino nulla pinguedo incombuſtibilis reperiatur. Nec operæ pretium eſt, ut diu nos detineamus in eorum ſententia refellenda, qui metallorum materiam faciunt *aquam pauco terreo admixtam*, quid enim de illa ſentiendum vel ex antecedentibus patere poteſt, in qua ſententia eſt Agricola & Scaliger, cum diſcrimine hoc quod ille aquam, hic terram in iis prævalere velit. Nec vacat inquirere, quo jure Arabs nomine Gilgil *cineres aqua perfuſos materiam* conſtituat, perſuaſus metalla ex aqua & cineribus inſtar vitri conflari.

§. 2. Rectius fortaſſis fecerimus, ſi Chymicorum de materia metallorum ſententiam expoſuerimus. In eo ferè conveniunt omnes, quod metalla *ex ſulphure & hydragyro & ſale compingantur*, quibus nonnulli Arſenicum & Calcanthum adjiciunt; ita tamen, ut priorum opinio in acroateriis præponderet. Multa verò ſententiarum divortia ſeſe offerunt inter eos, utpote qui diverſimodè loquuntur de hydrargyro & ſulphure; crediderim tamen ego Principes inter eos ſulphur commune & vulgarem hydrargyrum nequaquam in cenſum principiorum referre, quod hæc *ſulphuris & Mercurii metallici tantum recrementa ſint, vel certe materia cruda & depravata.* Rationes pro hydrargyro à multis adducuntur ſequentes: (1) quòd magna metallis cum hydrargyro ſit ſocietas, quia illa in hoc ſolvantur atque in ſubſtantiam fluxilem Mercurio ſimilem, quæque frigore non figitur, artificum induſtria reducantur, ut vel Eraſti teſtis oculati experientia comprobant, quæ affinitas in eo etiam eluceſcit, quod hydrargyro Metallorum proprietates conveniant, utpote quod non minùs quam metalla in aqua ſtygia exſolvitur, calcinatur &c. (2) quòd in Venis auri & argenti, teſte Plinio, inveniatur, cui rei etiam argumento ſit, quod omnes morbi, qui foſſores invadunt, ex hydrargyro originem ducant. Quæ rationes an ſtringant, maxime dubito: Quis enim quantùm ad primam, unquam materiam inveſtigavit ullius rei ità colligens: hoc cum illo habet magnam cognationem, ergò hoc hujus rei materia eſt, ad hoc enim, ut aliquid ſit materia alterius non ſocietas, aut cognatio requiritur,

ſed

ſed ut ex hoc ſit factum compoſitum, ita ut illud inſit, deſcribente ita materiam Ariſtotele 2. Phyſ. & 4. Metaphyſ. Nam materia dicit internam rei cauſam, nec collectio hæc valet, metalla in ſubſtantiam fluxilem Mercurio ſimilem reducuntur, ergò Mercurius metallorum materia eſt, ſi enim ita ritè ſeſe habet, dixerim ego, camphoræ materiam eſſe oleum, nam quando in camphoram ſpiritus aquæ fortis penetrat, camphora inſtar olei fluida eſt ac ita perſeverat, nec forſan minùs rectè colligerem, metalla eſſe materiam hydrargyri, quia etiam hydrargyrum, ut ferunt in Tranſylvaniæ quodam loco à terræ viſceribus in apertum aerem erumpens brevi in corpus durum abit. Id verò perquam frivolum eſt, quod colligant inter Mercurium & metalla intercedere cognationem, quod Mercurius prompte ſubeat meatus metallorum; profectò, ut vidit BOYLE, neceſſe non eſt, ut inter diſſolvens & rem diſſolutam ſit magna cognatio, cum ſatis ejus judicio ſit, ſi partes tali ſint præditæ figura ut poros corporis diſſolvendi promte intrent. Num quid etiam inter aquam fortem & ebur eſt cognatio, quia in aqua forti ſolvitur ebur? Non mirum verò eſt quaſdam metallorum proprietates hydrargyro convenire, quia & ipſum ſemi metallum aliquod eſt; nec ſecunda ratio melior eſt, nam licet hydrargyrum in omnibus fodinis inveniretur, non tamen inde conſtaret eſſe materiam metallorum, quia in eadem fodina ſaltem utplurimum omne meta lligenus deprehenditur, non tamen inde concluditur, unum metallum eſſe materiam aliorum. Sulphur ad metallorum compoſitionem pertinere his evincunt rationibus Chemiatri, quòd metalla, dum coquuntur, ſulphureum odorem naribus afflent, (2) quia omnis vena, dum torretur, fœtet, & fumum exhalat ſulphureum (3) quod ex omni lapide metallis prægnante ſulphur excutiatur. Qui vitriolum addunt, hiſcè ſe muniunt: 1. quædam metalla in vitriolum ſolvuntur (2) in pleriſque metallorum venis & marcaſſitis fœcundis atramentum ſive vitriolum unà cum ſulphure reperitur. Num ſatis prægnantes ſint rationes, aliorum judicium eſto, & vel antecedentia loquantur. Hoc noto univerſaliter ad rationes haſce, cum ratione facere eos, qui negant Sulphur, Mercurium &c. in mixtis præexiſtere, & firmiter aſſerunt, ab igne de novo produci; quam in rem non contemnenda profert Helmontius Tract. de tribus primis chymicis principiis §. 47. & §. 72. aſſeritq; ſtrenuè ſnon antè corporum compoſitionem extitiſſe, nec confluxiſſe ad miſtionem faciendam. Helmontii diligentiam & acumen multum ſuperavit is, quem literatus orbis nunquam ſine honore nominat Boylius in Chymiſta ſceptico, quamquam aliter videatur acutiſſimo Williſio lib. de ferment. c. 2. Quid quod? dubium adhuc eſt, an ſulphur ex mineralibus eruatur; nam id quod ex antimonio

vulgò

vulgò elicitur, utut colore ſulphur referat, Celeberrimus Boyle potiùs puriorem Antimonii crocum eſſe autumat.

§. 3. Nullum videtur operæ pretium, ut Hermeticorum placita diſcutiamus, num tria illa principia, ſpiritus, animæ & corporis nomine venientia, ante ſecula duo circiter à Baſilio Valentino introducta doctrinam præſentem illuſtrent, quandoquidem in notitia omnium eſt, Paracelſum hinc mutatis nominibus ſua exſtruxiſſe principia, Mercurium Sulphur, & Sal, ut Helmontius non ſubleſtæ fidei teſtis nos edocet. Quando verò nobis jam innotuit, quid de Chemiatrorum principiis ſtatuendum, pari opera quid de Hermeticis, quæ cum Chemicis eadem ſunt, habendum, eſt declaratum. Jam fert ordo, ut etiam ingenioſiſſimi viri Renati des Cartes ſententia ſit memoranda. Breviter mentem ſuam nobis exponit de his part. 4. Princip. philoſ. num. 72. 73. & 74. Baſis eſt ſententiæ ejus, *interiorem telluris partem ſolidiorem eſſe & compactam, ac metalla in intimis terræ viſceribus deliteſcere, ad quæ nulla unquam fodiendi pertinacia perveniatur, tum quia exterior terra nimis eſt craſſa, ſi ad hominum vires comparetur, tum præcipuè, propter aquas intermedias, quæ eò majori cum impetu ſalirent, quò profundior eſſet locus, in quo primum aperirentur earum venæ foſſoresque omnes obruerent; fert igitur ejus ſententia, metallorum tantum particulas & quaſi venulas in ſuperiorem & molliorem terræ partem verſus radices montium ſolere attolli*, ibique *potiſſimum congregari, quia ibidem terra pluribus rimis, quàm alio loco, fatiſcit.* Miniſterium deferendi partes metallicas defert calori, ſpiritibus, & exhalationibus. Si quæſiveris, per quasnam partes ope caloris ſublata à metallis avellantur, obſcuriùs ipſe, aliquantò clarius ejus aſſeclæ ſuccis acribus vi corrodendi præditis id muneris tribuunt. Do in hunc ſenſum verba Le Grand, magni admiratoris Philoſophiæ Carteſianæ in inſtit. part. ſext. art. 8. n. 5. *quia credi poteſt omnia metalla ideò tantum ad nos pervenire, quod acres ſucci per meatus terræ interioris fluentes quaſdam ejus particulas ab aliis disjungant, quæ deinde materia oleaginea involutæ atque veſtitæ facilè ab argento vivo, calore rarefacto ſurſum rapiuntur & pro diverſis ſuis magnitudinibus & figuris diverſa conſtituunt metalla.* Inter deferentia penè oblitus fueram locum tribuere argenti vivi vaporibus, quorum & loco cit. & in *hiſtoria naturæ variis experimentis & ratiociniis elucidatâ* parte 5. art. 1. n. 1. mentionem Le Grand injecit.

§. 4. Dum ad cauſam efficientem provolvimur, iterum primo loco Ariſtotelis ſententiam meritò promimus. Juxta decreta ejus univerſalis quidem cauſa ſive comunis generationis non minùs mineralium, quam aliorum corporum eſt *Cœlum*, prout mentem ejus explicavit Cremoninus in peculiari

tractatu

tractatu de efficientia Cœli. Specialis propria atque proxima cauſa, quæ ei & Græcis ejus Interpretibus, Philopono, Simplicio, Alexandro dicitur συνεχής, referenda ad *calorem* & *frigus*. Si autem remotis ambagibus quis rem expedire conetur, ita ea juxta ſancita ejus ſeſe habet: calidum & frigidum ſub terra vim ſuam exerunt in humidum & ſiccum, quod (ſiccum) cum illo (humido ſive aqua) variè maceratur & ſubigitur: in præparata hoc modo corpora dum calor vel potentialis, qualis eſt ſpirituum corroſivorum vel etiam actualis blandus agit, fieri vix aliter poteſt, quàm ut ex illa maceratione diverſimodè digerantur particulæ atque ad ſubtilitatem, craſſitiem, raritatem, denſitatem, pelluciditatem, opacitatem, imprimis gravitatem & levitatem & cæteras qualitates ſuſcipiendas variis modis reddantur aptæ & ope caloris tandem faceſſant in exhalationes varii generis, ſicciores, humidiores, ſubtiliores, craſſiores, puriores, impuriores, ſimpliciores, magis minuſvè compoſitas pro vario digeſtionis atque excoctionis modulo, unde hoc nanciſcuntur, ut commode transcolari queant. Frigoris verò actio potiſſimum in principio terram & aquam, quæ ſunt diverſæ ſpeciei, unit, *quando enim a principio elementa veniunt ad miſtionem, ſunt heterogenea, quia ſunt diverſarum ſpecierum, tunc ergò potiſſimum actio frigidi invaleſcit ad conſervandum illa unita*; prout ſententiam Ariſtot. ex Cremonino declaravi in diſputatione habita in Academia Regiomontana præterito anno de calido & frigido *§*.X. Ultimam etiam manum frigidi actio imponit metallis largiendo eis juſtam conſiſtentiam.

§. 5. Carteſiani omnium metallorum cauſam efficientem conſtituunt ſolem, cujus calor omnes terræ pervadat meatus, ut habet le Grand. Enimvero Gaſſendus Epicureæ Philoſophiæ reſtaurator nobilis in Philoſophia Epicuri in lib. X. Diog. Laërt. p. 1053. ait non *apparere, qui poſſit tam altum in terram ſolis calor penetrare, qui vix ad pedes omninò paucos ſuperficiem calefacit; cùm & inter ſuperficialem ſubterraneumque calorem ſuccedat regio frigida, aut certè minus calida, quæ deberet eſſe calidior.* Adeoque non immerito adhuc quæritur, unde calor iſte oritur? Nam etiam illa ſententia, quæ vult, ignem intra terram gigni, patitur difficultatem maximam; vix enim datur intelligere, quomodo flamma creari perſeverareque diu poſſit, niſi libertas aeris ſit tum ob immenſam dilatationem, in quam halitus inflammatione diffunditur, tùm ob repurgationem fumi ac fuliginis, quæ niſi procul amandetur & marceſſere cogit flammam & brevi illam ſuffocat. Is igitur ignis, qui per montium vertices ſeſe surſum effert, quemadmodum pervulgatæ notitiæ res eſt, Ætnam in Sicilia, Veſuvium in agro Neapolitano, Heclam in Islandia ignem evomere (hunc poſt projecta ſaxa tantas ejaculatum flammas, ut duo

oppida in cineres abirent, refert Dion Caſſius) videtur gigni eo ipſo, quo apparet, tempore. Conf. Gaſſen. l. c. p. 1052. Ipſe ergò Gaſſend. juxta illud Lucretii ubi de ſtellure canit: ***habet ignes unde oriantur. Nam multis accenſa locis ardent loca*** terræ, autumat, eſſe ſcaturigines quaſdam ignis, ſive ſemina ignis illigata eſſe corporibus, aut concretis ſuccis, qui præ cæteris pingues ſunt, ſulphuri ſcilicet ac bitumini, quia nuſquam ignis eructatur, aut calor quiſquam ſenſilis ſe ad uſque terræ ſuperficiem prodit, veluti in thermis & calidis aquis, quin illic utrumque iſtorum vigeat aut alterum ſaltem dominari deprehendatur. Iſaac. Voſſius de nat. & propriet. Luc. c. 1. ortum ignis, ubi nullus vel ignis vel calor vel lux præexiſtit, repetit à ſola compreſſione & attritione: ***Cum enim***, inquit, ***non poſſint duo corpora eſſe in eodem loco, neceſſariò evenit, ut quando illa comprimuntur & ſe mutuò penetrare conantur, oriatur calor & deinde ignis. Minor compreſſio efficit calorem, vehementior verò colliſio & attritio ignem ſuſcitat.*** An verò convenienter ſuis hypotheſibus originem caloris indaget, ego vehementer dubito, nam ut ex append. ad h. tract. c. 1. apparet, ſentit dari aliquam ſubſtantiam; quæ quamvis totum impleat & pervadat mundum, potiſſimam tamen ſedem & ſtationem habet in ſole, quam ipſe ***cor ſeu centrum appellat univerſi.*** Talis autem ſubſtantiæ originem ex attritione & compreſſione petere mihi videtur ridiculum. Hanc ſubſtantiam ***non ſummam tantum ſed & intimam quoque permeare tellurem & per contactum quaquaverſum propagari*** contendit. Hunc igitur virum ſi audis, de calore metallorum efficienti omnia ſunt manifeſtiſſima.

§. 6. Mirabitur Lector, qui Chymicorum & Aſtrologorum ſententiam hactenus de cauſa efficienti tacito præterire pede potuerimus. Fecimus autem illud eo conſilio, quod unicuique conſtare de eorum mente putaremus vel ex eo, quia metalla Planetarum nomine inſigniunt; aurum enim ab iis ſol, argentum luna, ferrum Mars, Stannum Jupiter, Æs Venus, Plumbum Saturnus vocatur. Si tamen operæ pretium eſt, audiamus cauſam, quam pandit Johannes Marcus Marci in Philoſophia veteri reſtituta part. 2. ſect. 1. p. 81. & 82 hiſce verbis: ***Quoniam verò utraque ſeries idearum in mundo hoc ſublunari & cœleſti ex una radice fuit propagata; manet inter hanc & illam cognatio & analogia, ſimilitudo autem cauſa amoris, unde alia ſoli, alia lunæ, alia aliis planetis dicuntur convenire: atque metalla ſeptem totidem planetarum nominibus inſigniuntur, eoſdemque characteres habent communes, ob quam convenientiam illorum vim & influxum recipere ſeque mutuò alloqui dicuntur*** &c. Conf. Levin. Lemnium de occ. nat. mirac. lib. 1. p. 113. cujus

hæc

hæc ſunt, *pro ſoli cujuſque natura* influxuque *planetarum oriuntur* æris argenti, *aurique glebæ & ſegmenta* &c. Verum influxus ille planetarum in ſubterraneis nondum evidenter probatur, utut aliqua probabilia me legiſſe meminerim in Moyſis Maimonidis Doctore perplexorum, qui modò non eſt ad manus. Beccheri judicium eſt lib. 1. ſect. 4. c. 2. n. 12. *Aſtrologos nobis ejusmodi nugas facere neceſſarias, ut etiam ipſi videantur neceſſarii;* quod an verum, an falſum ſit, noſtrum non eſt diſquirere: Plenius hac de re judicium ferre liceret, ſi Petri Arlenſis de Scudalupis opus de *ſympathia ſeptem metallorum, ſeptem lapidum, & ſeptem planetarum* & Madriti & Romæ & Pariſijs editum, conſulere liceret. Si vero cum Crolii de ſignaturis convenientiam habet, ego lubens eo carebo, & ſine me rivali eundem alii deperibunt.

§. 7. Tempus poſtulat ut modeſtè de materia metallorum noſtram ediſſeramus ſententiam. Credimus verò rem acu tetigiſſe, qui halitum metallicum metallorum materiam conſtituunt. Sententiam eorum confirmant 1. venæ arboreſcentes quaſi in fila tenuiſſima cum lanugine ſimilitudinem habentia, hæ enim certiſſimo ſunt documento, halitum filatim & pectinatim concreſcere quaſi in metallum. (2) hiſtoriarum monumenta produnt, particulis metallicis pluiſſe; laudo teſtem Scaligerum Exercit. 323. de ſubtilit. ad Cardan. qui narrat *ferri pluviam in Taurinis, cujus fruſtum apud ipſum* fuerit, addit Julius ille: *tribus circiter annis antequam ab Rege Provincia iſta recepta eſſet, pluit ferro multis in locis ſed raris.* Conf. Agricolam lib. 5. de ortu & cauſis ſubterr. p. 77. Martinus Liſterus Med. Doctor in Act. Erudit. Lipſienſibus Anno 4. p. 353. dicitur, adduxiſſe exempla ex *hiſtoricis teſtantibus, diverſis temporibus jam majora jam exiliora ferri ut & cupri Metalla decidiſſe*: An alia adduxerit, quam nos ignoramus. Doct. Joh. Marcus Marci in Philoſophia veteri reſtit. parte 2. ſect. 5. refert, in Bohemia Anno 1618. *Cuprum cœlitus delapſum.* De Venere aurea in forma Chryſocollæ foſſilis cum fulmine cœlitùs delapsâ propè Haynam Anno 1617. d. 28. Maji legi meretur Dominus Doct. Balduinus in Appendice Anni 8vi Ephemeridum Medico-Phyſicarum Nat. Curoſ. in German. Decur. I. App. 254. Ejuſmodi autem fruſta ex halitu ſine dubio concreta fuerunt (3) Ex quibus metallorum foſſores latentis venæ argumentum depromunt, ex iis nos materiæ metallorum in puteis Democriti defoſſæ documenta petimus meritò; enim verò præter corruſcationes & cœruleas flammas, quæ terram allambunt, calidi vapores ex iis locis ſolent erumpere, ut teſtis eſt Eduardus Brovvn in Act. Anglicanis Anno 1669. menſe Junii num. 3. p. 811. hinc etiam nives in illis regionibus ſtatim liqueſcunt, nec ros concreſcit, nec arbores proceræ vel læta

gramina aſſurgunt. Copia verò talium vaporum notat certè materiam, ſi nimirum cætera indicia cum hiſce conjungantur. (4) Illuſtr. Boyle in *tentamine magnorum effectuum langvidi etiam & inobſervati motus, cui annectitur diſcurſus experimentalis de cauſis quibusdam ſalubritatis & inſalubritatis aeris ejusque effectuum parum obſervatis* ſubnectit experimenta chymica, ipſa metalla perfecta exhalationum ſpecie in aerem elevari poſſe detegentia; quod certo eſt indicio, concreviſſe metalla ex halitu. Nec obſtat gravitas metallorum aſſignatæ materiæ, quaſi halitus nunquam in tam durum corpus concreſcat; quod ſi enim corpora graviſſima reſolvuntur in halitum, ſicuti de hydrargyro conſtat, quidni etiam halitus in corpus aliquod duriſſimum abire poſſet? Sed ecce Clariſſimi cujuſdam Medici ſententia noſtræ adverſa eſt; verùm pace illius viri dixero, citra ſufficientem cauſam fundatisſimæ ſententiæ ſeſe opponit. Nam quod ait, aurum & argentum varias induere poſſe ſpecies, ſalis, liquoris, halitus & tamen manere aurum & argentum, id etſi concederemus, non datum tamen eſt nobis intelligere, qui exinde ſequatur, halitum non eſſe materiam metallorum; quod ſi multa huic collectioni largiamur, obtinebit nobis non invitis, quamvis exhalationem vel halitum non eſſe materiale principium metallorum, id quod eſt verisſimum. Jam exſpectabis Lector, ut halitum illum in ſua principia ex mente Democriti, Epicuri, & Carteſii reſolvam; primò quidem in partes, deinde (2) particulas ſive ut appellat Gaſſendus, moleculas & has in corpuſcula, prout placuit diſtinguere Celeb. Domino Perrault & Cordemæo, quæ ultima Carteſii Philoſophia vult eſſe iterum diviſibilia, nihil enim tam exile eſſe, quod non iterum in particulas adhuc minores dividi queat: Ego etſi non dixero, hanc hypotheſin ſolidisſimis argumentis exploſam eſſe a Petito Pariſienſi Medico, de *Principiis novæ Phil. Carteſij*, incomparabili Huetio in *cenſura Phil. Carteſian.* cap. 6. Heinrico Moro in *Enchir. Metaph.* c. 16. Parckero aliiſque, libentisſime tamen cum Williſio viro certè acutisſimo profiteor, quod *luſcioſus ego atque hebes, lynceis accuratiora relinquam, eatenùs ſapere contentus quouſque rationi ſenſus externi operam præſtitere*; lib. de fermentat. c. 1. ſi quis tamen hiſce delectetur, is legat Philoſoph. veter. & novam Tom. 2. p. m. 435. ed. Pariſienſ. Quia vero Burſerus in introduct. ſua ad ſcient. nat. lib. 2. c. 15. quærit, *unde nam tanta idonearum exhalationum copia jugiter proveniat*? agedum reſolvamus halitum eum non quidem more Democriticorum & Gaſſendi Aſſeclarum, ſed Peripatetico, modo in ſua principia cum R. P. Honorato Fabro Societat. J. in aliquibus ab Ariſtotele diſſentienti: Hic nimirum halitus, quem fecimus materiam metallorum, ſiccus eſt & comprehendit juxta Honoratum,

prout

prout in variis locis mentem ſuam exponit, multam terram, id eſt *minima terræ*, quæ *habent ſphæricam figuram, quam ſemper retineant, ut nec tendi, comprimi, rarefieri, denſari poſſint*, quod & ſiccum eſſe in ſummo, & *ignis minima, quæ ſunt cylindrica, oblonga, flexibilia & (id in ſummo eſſe calidum) quæ particulas terræ ſufficienter colligunt, implicant, ſtringunt.* nec certe excludere poſſumus omne humidum, quod à poſteriori probatur, ipſa enim metalla liquantur, neceſſe igitur eſt tùm partes quaſdam natare in medio communi, videtur ergò perquàm veriſimile, ineſſe halitui huic *minima aquæ* quorum *appulſu partes quaſi ignis & interceptione quadam ſeparentur*; imò humor ille quaſi vehiculum aliarum partium eſt; neſcio an huc referam, quod Boylius, ut me legiſſe memini, ſæpè viderit, argentum ex fluore concreſcere? hæc autem conſtitutiva halitus in terræ viſceribus præſto ſunt, ut quid Burſero reſpondendum ſit, vel hinc illuceſcat. In uno hoc Honoratum Fabrum deſero, quod ſtatuat Deum perfectorum mixtorum, qualia etiam metalla ſunt, ſemina globo terræ indidiſſe, quæ ſint, *quaſi rudimenta metallorum* & deindè vi caloris variè miſceantur & abeant in materiam metallorum Tract. 7. prop. XI. in quo opinamur eum nec à ſe diſputatis, nec rectæ rationi convenientia aſſerere; quantum enim ad primum in c. Tract. 7. propoſ. 2. expreſsè defendit, *metalla conſtare ex elementis, eaque* eſſe materiam remotam, optimè etiam probat, quod ſi verò res ita ſeſe habet, quid nos cogit ad aliam quandam materiam confugere, quæ nominatur primigenia? nonne materia remota in reſpectu ad proximam, quæ à Philoſophis paſſim vocatur ultima, prima & ſi ita vis primigenia appellari poteſt? Et nonne accuratisſimus hicce Phyſicus in præfat. ad lector. Tom. I. præmiſſa. §. 41. expreſsè lectorem ſui incomparabilis operis monuit, ſe in rebus corporeis quatuor duntaxat elementa & deindè calorem & impetum agnoſcere, qui ergò ad aliam materiam primigeniam confugit? Ipſe quidem neceſſarium id eſſe ſtatuit, ſi enim elementa pura eſſent, ſeſe non videre ait, cur *potiùs in unum quàm in aliud mixtum abeant*? Verùm in eo Clariſſimum Virum ratio fugit. Cur enim dicere nobis non liceret minima elementorum motu à Deo non ſolùm producto ſed & in propoſitos fines directo modo faceſſere in materiam horum mixtorum, modo etiam aliorum non excluſa preſſione, tenſione naturali? quod certè de atomis & corpuſculis docet Celeberrimus Altdorffinæ Academiæ Mathematum & Phyſicæ Profeſſor Sturmius in Epiſt. Dec. II. Ephem. Germ. an. 9. inſerta, ut verò è diverticulo in viam redeamus, concipimus facilè humores intra nos per varios terrarum, rupium plexus percolari, in quam rem legi poteſt Athanaſ. Kircherus lib. 2. mund. ſubterr. in quo de interiori terræ conſtitutione, canalibus &c. diſputatur; Proſtat etiam de meatibus terræ Pandulphi li-

ber, qui *cunctas venas, meatus atque aditus ſubterraneos enumerat.* Iſtam terræ ſoliditatem Ariſtot. ex admiſtione aquæ petit 2. de gen. & corrupt. tex. 49. & lib. 4. Meteorol. quamvis contrariam defendere Plotinum lib. 1. Enn. 2, c. 6. non ignoramus. Scipio Claramont. in opere profundæ eruditionis de univerſo lib. 12. cap. 1. parte alt op. p. 29. ed. Colonienſ. ſcribit, *nuſquam terram in latebris inſtar arenæ ſolutam reperiri ſed ſemper plus minusve, concretam & alicubi etiam lapidoſis fibris vinciri*; id quoque fatendum eſt, dum tranſit partes terræ, *aliquas* quidem *portiones deponere*, alias *verò ſuffurari*, nam quando e. g. per fodinam Chalcanthi fluit, compertum eſt, eam multas ejuſdem foſſilis particulas ſuffurari, & ita multis modis præparari, dum idoneam præbeat metallis materiam; aut dicendum, halitum ex his, quæ non pridem nominavimus, conſtitutum principiis per varios terrarum tractus ſilatim meare, & in debitum locum in quo aliquandiu retinetur, fovetur & diſponitur, pervenire, ex eo tanquam ex mari iterum per aliquos ductus & canales veluti per organa generationi deſtinata in matricem ſeſe effundere, quæ ſemen iſtud metallicum excipiat, recipiat, dum in metallum concreſcat quaſi per ſublimationem, præviis aliis præparationibus & reſolutionibus. Hic modus generationis metallorum nobis propius videtur ad veritatem accedere quam ille, cujus meminit quidam ex Britannis hiſce verbis: *Sal & terra minutiſſimè confracta & uſque in vaporem reſoluta ſe invicem comprehendunt & in materiam duram & non denuò reſolubilem obrigeſcunt ad eum ferè modum, quo vitrificatio nec non laterum & fictilium coctio peraguntur.* Ea verò, quam nominavimus matrix vel Materia ſive principium paſſivum ſunt lapides, argilla, lutum & arena. Quod de terra argilloſâ diximus, confirmat experimentum D. du Clos in Academia Regia Pariſijs teſte Hammelio propoſitum, is de ejuſmodi terra propè Lutetiam id retulit, in ea duriſſimas & ferrugineas Marcaſitas inveniri, ex quibus vi ignis cum borace arſenicali fuſis ferrum prodierit. Communiter ab alijs obſervatum eſt, quod, quo purior eſt lapis ſive Matrix ac lutum, & ſpiritus metallicus ſubtilior ac defœcatior, eo nobilius exſurgat metallum, quo autem illa impurior & craſſior ſpiritus, tanto vilius generetur metallum. Non auſim affirmare cum experientiſſimo Hallenſium Medico & Profeſſore Dno D. Hoffmanno omnes terras metallicæ naturæ eſſe aut eam induere poſſe: *non omnis fert omnia tellus: hic ſegetes, illic veniunt felicius uvæ, arborei fœtus alibi atq; injuſſa vireſcunt gramina:* vid. Claramont. p. 36. Cœterùm quando diximus metallum per ſublimationem concreſcere, non eſt dubium, quin potiores in hoc opere calor ſibi vindicet partes, quia *ſublimatio eſt propulſio ſicciorum evaporabilium,*

lium; definiente Celeberr. Wedelio in Pharm. Acroam. lib. 1. ſect. 3. cap. 4. iſthæc autem propulſio à calore fit, qui *quod volatile abſumere non poteſt; propellit*, ut in furnis hypocauſtorum & metallariorum cernere eſt. Calor ille, utut ſua incunabula igni cuidam ſubterraneo debeat, non negavero tamen, admodùm vero videri conſonam Honorati ſententiam, qua credit, *in mixtis diſperſas eſſe particulas* ignis *& ad calorem excitandum ſufficere, ſi diſperſæ ignis partes colligantur*, cui ſententiæ patrocinabitur (1) ſeria conſideratio, quomodo ignis accendatur in fœno humido, deinde (2) ex nimia funium compreſſione & tenſione; nam ut tantum in ultimo exemplo perſtem, concipio optimè, funes compreſſos & tenſos accendi, cum per violentam eam compreſſionem, quandò ingentia pondera attolluntur, humoris partes exprimuntur, & partes ignis colliguntur. Non vacat verò, ut eam ingrediamur diſputationem, qua ratione ſub terra in mixtis partes ignis colligi valeant, cùm in aprico ſit, tot mutationes in penetralibus terræ contingere. Multò minus operam ludemus in evolvenda quæſtione iſta, an calor iſte ſit accidens an ſubſtantia, de qua re ineptè admodum diſceptat Bernardinus Teleſius de rerum nat. lib. 2. cap. 22. quamvis non oppido dixerim, cum S. Baſ. lib. 1. adverſ. Eunom. ed. P. p. 713. quod ſit inſani, calorem nominare ſubſtantiam, id quod fecit Ariſt. lib. 12. Met. c. 1. & tota fere recentior Philoſophia. Nec omnes partes frigori abjudicavero, eâ ductus opinione, concretionem metallorum ex halitu & frigore oriri, adeoque ab eo conſiſtentiam & ſoliditatem ſuam conſequi, quod certè operationes chymicæ nobis ob oculos ponunt, cum pleraque opera illorum per ignem diſſoluta aut præparata tandem frigoris beneficio juſtam nanciſcantur conſiſtentiam. Adeo verum eſt, *naturam omnia calido & frigido operari*, ut docet Accoramb. annot. in Ariſt. p. 519.

CAPUT SECUNDUM.

De *Natura Æris & ejus proprietatibus.*

§. 1.

HÆc in genere de metallis ſufficiant. Ad æs accedimus, quod à *ſplendore* aeris ita vocatum cenſet Iſidorus Hiſpal. lib. 16. orig. c. 19. inter autores latinæ linguæ in unum corpus redactos p. 1226. aliàs dicitur cuprum à nobilibus ejus venis in Cypro olim inventis. Palladius cuprinum æs appellat, unde tandem eſt aſſumta vox cupri. Apud Chymicos Venus audit. Hinc

Pin-

Pindari Interpres ait *æs Veneri dicatum eſſe.* Græca lingua nominatur χάλκος. Clariſſimus Vir Olaus Wormius in Muſeo ſive hiſtoria rerum rariorum cap. 5. p. 120. deſcribit æs, quod ſit *metallum imperfectum, durum, ex plurimo ſulphure rubeo impuro & pauco Mercurio, nondum maturis & fixis genitum, colore rubicundo.* Verùm fruſtra ſim, ſi iterum varias ſententias recenſere tentavero, cùm auctores omnes ſuis inhærentes metallorum principiis æri eadem ſatagant applicare.

§. 2. Aggredimur ergò explicationem æris juxta poſita à nobis principia. Probatum eſt ſupra, halitum eſſe materiam metallorum omnium & conſtare eum ex Elementorum minimis. Halitus igitur ille, qui eſt proxima æris materia ſine dubio conſtabit talibus minimis, quæ nulli alii halitui, ex quo alia fiunt metalla, juxta eandem proportionem & conjunctionis modum inſunt. Scilicet in halitu eo eſt (I) multa terra & optimè quidem præparata, quo ipſo convenit cum auro æs: aurum enim conſtat terra multa eaque benè præparata, quamvis facilè crediderim, in auro terram longè eſſe exquiſitiorem & magis ſubactam, differt verò (1) ab argento, quod in minori proportione quàm aurum terreum eſt, & (2) à ſtanno, quod terra magis ſulphurea conſtare creditur (3) à plumbo in quo multa quidem terra ſed minùs ſubacta & craſſior eſt. (II) humore modico, quo ipſo differt ab auri, plumbi, argenti halitu, aurum enim plus humoris quam æs, ſed minùs tamen, quam plumbum & argentum habet, ſtannum autem plus habet humoris quam argentum: Ita tamen paucitas humoris accipienda, ut intelligatur plus adhuc humoris eſſe in æris quam ferri halitu. (III) Igne mediocri per quem halitus ille differt ab halitu, ex quo formatur aurum, in quo major ignis portio propter accuratiorem plexum eſt neceſſarius, quod de argento quoque verum eſſe crediderim. In plumbo & propemodum nihil videtur eſſe ignis. Ferri halitus plus habet etiam ignis quam æs. Dixi in proximè præcedentibus aurum, argentum, cum potuiſſem dicere halitum, ex quo aurum argentum &c. tanquam ex materia conſtat, ratus, parùm intereſſe, quomodo loquerer, quia in metallis omnibus multum ineſt materiæ, parum autem de quidditate, teſtante Cæſalp. lib. 1. de metall. c. 1. Tribui verò halitui, ex quo æs formatur, terram multam propter gravitatem æris, ignem mediocrem, quia citò & facilè calorem concipit, humorem modicum ob duritiem & difficiliorem aliquando liquationem. Porrò ratio dictat, hos halitus ita comparatos, primò motore Deo dirigente, peculiari & nobis inexplicabili ac diverſa ratione mediante calore & frigore conjungi, quàm halitus alio etiam modo conſtituti, ex quibus cætera metalla formantur; unde fit, ut æs à cæteris metallis differat.

ferat. Quamvis præterea adhuc peculiaris exterior conſtitutio partium æris ſit, quæ dum æs liquatur, ſolvitur, quæ pro differentia aliorum metallorum etiam ipſa in cæteris diverſa eſt.

§. 3 Æs vulgò dividitur in nativum & arte depuratum. Prius iterum eſt vel purum putum, quod Germani, gediegen Kupffer/ vel rude, in pyrite aut minera ſua exiſtens. Prius ſine excoctione purum eſt, & in metallis ærariis & argentariis reperitur, quod tamen veteres imò ipſe Albertus ignoraſſe videtur, quod enim ipſe Goslariæ reperiri ait cum tota ſubſtantia lapidis permiſtum, illud non eſt purum putum ſed excoctione indiget, ut à lapide liberetur. Invenitur aliquando bractearum modo lapidem amplectens. Maſſulæ ejus effodiuntur varia figura, ſtriarum ſcil. globorum, virgularum, prout Agricola teſtatur. Clariſſimus Wormius profitetur, ſe *ex Oſterdalenſibus Norvegiæ finibus tenere æs, quod maſſularum ſive laminarum planarum ex minutiſſimis quaſi granulis conflatarum figuram obtineat colore rubicundo & de cætero admodum fragile ſit.* Et huic valdè affine eſſe credit illud, quod Andreas Chioccus verum æris florem vocat ac his verbis deſcribit. *Æris flos verus ac legitimus gravis, friabilis & ſaporis adſtringentis, colore modicè ſplendente ruffeſcens ex propria æris minera, in minutiſſima granula papaveris erratici ſemina magnitudine exprimentia, efflorescens.*

§. 4. Æs rude diximus eſſe iſtud, quod latet in mineris æris: quæ quidem variæ ſunt eædemque frequenter pulcherrimis expictæ coloribus. Experientisſimus Borrichius in Docimaſtice Metallica §. 41. p. 37. dividit eas, in *mites & rebelles*, hoc eſt, in *tractabiles & duras intractabileſque.* Mitium ſpecies recenſentur ab eo ſex. (1) ex *cinereo ſubcœrulea* Kupffer Glaß-Ertz artificibus (2) *cyanea ſive Lazurina ex cœruleo hinc inde ſubviridis* Lazur-Ertz *appellata* (3) *ſubfuſca* (4) *ſubflava* (5) *innata lapidi fuſili Mansfeldico* (6) *variorum colorum, ſed à pyrite, antimonio & Arſenici mixtura libera.* Rebelles ei ſunt, *quæ pyritem* (frequenter verò is in cupri fodinis occurrit) vel *ſulphur, talcum, arſenicum*, & ad ſummam, quæcunque orichalci more nitent, vehunt. Hujus non eſt loci recenſere, quomodo tam mites quàm rebelles mineræ explorentur. Quod ſi alicui hoc cognoſcere volupe eſt, is adeat prælaudatum Borrichium l. c. ubi perquam diligenter luculenteque hoc eſt executus. Hoc unicum hic opportunè monendum, mineras affricare nomen æri partim à *Dominis*, in quorum poſſeſſione ſunt, partim *à loco*, in quo effodiuntur, deſumpta. Hinc apud antiquos invenias celebrari æs Saluſtianum, Livianum, Marianum, quod ex Mineris Saluſtii, Livii, Marii eruebatur: & ut Cordubenſe Ægineticum Corinthiacum taceam; hodiè audias paſſim nominari Anglicanum, quod ex Minera æris Anglica (conſtanti ex lapide

nigro & duro, cui hinc indè aureus intermicat color) præparatur. Illud æs rude in mineris & recónditum certum eſt varias ſubire differentias, *ratione coloris ratione matricis, conſiſtentiæ, bonitatis &c.* Adduco verba curioſiſſimi Wormii : *Inter tredecim peculiares ſpecies ex pyrite granulato ortas, ratione bonitatis & fertilitatis diſcrimen maximum reperio. Unum enim genus hujus pyritæ aurei planè ſterile eſt, nihil æris ſuppeditans, quando coquitur, duo ſunt, quorum centum pondo unam æris præbent libram; aliud libram unam ſemis; aliud libras quatuor cum dimidia, aliud libras quatuor cum tribus quartis, aliud ſex cum dimidia, aliud novem ſemis, aliud novem cum tribus quartis, aliud decem, aliud quatuordecim cum dimidia, aliud libras quindecim, denique aliud ſedecim, quod ſummum eſt. H. I.*

§. 5. Priuſquam æris minera in æs purum evadat, multas neceſſariò mutationes ſubit. Ii qui hiſce rebus operam impenderunt, affirmant (1) neceſſariam eſſe mineræ per quatuordecim pluresve dies uſtionem, qua maſſa reddatur ærosa, nigricans, ex qua viride æs effloreſcit; (2) coctæ ita mineræ fuſionem & in laminas craſſas reductionem, quas Germani Kupfferſtein vocant (3) Laminarum harum in alias fornaces tranſportationem & vel octies repetitam in furnis uſtionem, donec rubicundum acquirant colorem, quo obtento Kupffer-Werck ſalutantur. (4) ajunt maſſam eam coqui in ſpongioſam ac levem materiam, nigram, poroſam, æris crudi (Roh-Kupffer) nomine venientem (5) hanc denuò volunt fundi ac tum demùm evadere in æs purum aptum uſibus quod Gar-Kupffer vocatur. Cavendum verò, ne in æs fuſum aqua infundatur, nam edito maximo ſtrepitu ex vaſe erumpit; quia enim æs accenſum multas ignis partes collectas habet, aqua igne gravior facile per ignem penetrat, propter maximam caloris vim illico ipſa aqua rareſcit, rarefacta autem majus deſiderat ſpatium, quod cum non inveniat, erumpit cum ſtrepitu quaſi per exploſionem & carcerem ſuum excutit non ſine maxima vi, cujus impetu æs ipſum ejicitur. Ejuſmodi operationes prout feliciùs his aliiſque ſuccedunt, vel majus vel minus pretium æri conciliant. Certè olim laudatum fuit, propter officinæ artificium felicemque præparationem Corinthium, quod in ejus urbis conflagratione repertum eſt elegantisſimè præparatum abſque humana induſtria. Artifices fortuitam æris depurationem ſucceſſu felici adminiculo artis imitati ſunt & ſplendidisſimum colorem & hinc reſultantem aliquam nobilitatem ei conciliarunt. Sanè fermè exciderat, monere lectorem de ære, quod Caldarium vocant. Id hanc ſortitur à reliquis differentiam quod tantùm fuſile, ſed malleo non extenſibile, ſi enim malleis tractatur, finditur. Aliàs vox Caldarium ſcriptoribus à puritate & nitore latini ſermonis longiùs deflectentibus videtur ſignificare idem quod calefactorium.

In

In fœminino adhibita legitur apud Gregorium Turonenſem de gloria Confeſſor. cap. 98. in ſeq. verbis, *accenſoque foco ponit caldariam ligneam ſuper ignem impletam aqua cum oleribus; urgenſque ignem &c. vehementer fervere coëgit, ut putaretur ænea eſſe.* Floruit is, ut notum eſt, ſec. 6. poſt Chriſt. natum ejuſque honorifica mentio eſt facta ab Hincmaro præfat. in vitam Remigii. Eadem in notione uſus voce Cæſarius lib. IV. Miraculor. cap. 65. & leges quoque Longobard. lib I. Tit. XXX. leg. I. Matthæus Pariſ. aliique plures in hoc ſignificatu adhibuerunt.

§. 6. Cæterùm breviter perſtringamus æris proprietates. Imo æs grave ita eſt, ut medium, quantum ad gravitatem, inter metalla tueatur locum, nam auro, argento & plumbo gravitate cedit, ferrum autem & ſtannum ſuperat, illud quidem ferrum ob majorem humoris & fortaſſis terræ copiam, hoc ſtannum vero, quia poris exilioribus eſt præditum; viciſſim plumbum & argentum graviora ſunt ære, quia plus humoris habent & minùs ignis. Aurum autem æri præponderat, quia hoc plus terræ & humoris itemque poros minores habet: Is, quem in hac proprietate explicanda ſequimur, Honoratus ita calculum ſubduxit, ut æris puri gravitatem dicat eam quæ eſt 47. $\frac{1}{3}$. ad 100. Nolumus hic Carteſii ſolicitare cauſam gravitatis corporum terreſtrium, quam confert in *motum globulorum ſecundi Elementi*, meritus quicquid eſt doctiſſimæ cenſuræ Sveſſionenſis Præſulis l. c. c. 7. p. 91. & ſeqq. Nec Epicuri ſcrinia excutimus, qui certum eſſe vult, Gaſſendo mentis ejus interprete, pondus ſeu motricem facultatem. quæ unicuique rei ineſt, non aliundè oriri, *quam à pondere ſeu mobilitate atomorum, quæ omnes graves ſint, ut inde omne corpus neceſſe ſit eſſe grave;* qualis enim evolutio proprietatis noſtræ inde ſperanda ſit, non poteſt non eſſe manifeſtiſſimum. Inficetum etiam eſſet Hobbeſii ſententiam prolixè ventilare, utpotè qui vix quicquam de ſuo rei phyſicæ addidit, ſed Epicureorum veſtigiis inſiſtens varios modos explicuit, quibus corpora diverſos induant ſenſibiles ſtatus. Nec aliter decebat, quàm ut Hobbeſius eum in Philoſophia ſequeretur ducem & tàm crudè ac liberè loqueretur aut ſcriberet etiam de ipſa anima hominum tanquam corporea, qui à vera pietate & chriſtiana religione, ſi ſcriptoribus & conterraneis Britannis credere fas èſt, remotiſſimus erat.

§. 7. Ulteriùs æs ſatis *ductile* eſt, ſive in longum duci poteſt, non quidem per ſimplicem tractionem vel preſſionem, ut pix, viſcum ducuntur in longum, ſed *malleo*: Nec minùs etiam *lævigabile* id eſt, *ejus partes in ſuperficie ita convenire poſſunt, ut nulla ſenſibiliter ſupra aliam extat*, ſive *affrictu ita lævigari poteſt, ut partes quæ exſtant, atterantur.* Ultimi hujus πάθȣς

 ratio

ratio petenda eſt, ab exilitate pororum, & eorum, quæ ingrediuntur halitum, ex quo formatur æs. In lævigatione iſta ſolet adhiberi oleum ad temperandam aſperitatem æris & ipſius cotis, cujus denticulis extantes partes eroduntur. Ductilitas autem illa eſt *à tenacitate partium*, quæ *ratione ignis faciliimè inter ſe implicantur & ratione humoris facilè ſeparantur & in omnem figuram aguntur*; probavimus verò in antecedentibus, quod æs ſatis ignis & humoris poſſideat. Porrò æs tendi poteſt, ſive, quia tenſio fit per majorem extenſionem, extendi poteſt, (quemadmodum patet ex proprietatibus extenſi explicatis à Bonarte p. 6.) ut teſtatur ſonus chordæ æreæ pulſatæ, quæ ſonum non ingratum edit. In hac ultima proprietate æs convenit cum ferro, quod itidem durum & ſonorum eſt. Ariſt. in problem. Sect. XI. problem. 8. ſatagit reddere rationem his verbis: *Concava omnia magis ſonant & æs quoque ob eam rem ſonitum præcipuè omnium reddit.*

§. 8. Æs pice liquida perunctum diu conſervari poteſt; *oleoſa enim & bituminoſa quæque conſervant corpora, quia obſtruunt meatus, ne erumpere poſſint halitus; deinde pix ſua tenacitate & viſcoſitate humorem omnem extrinſecùs accedentem arcet, ac materiam halituum intra ſe continet, atque hinc prohibet reſolutionem.* Atque hæc fortè cauſa eſt, cur Imperatorum numiſmata è terra eruantur illæſa, cum aliàs cuprum facile aliquod damnum ſentiat.

§. 9. Ærugo, quam etiam viride æris vocant ἰὸς Græcè, quamvis etiam ad aliorum metallorum excrementa ſeſe extendat Græci vocabuli uſus, *nihil aliud eſt, quàm rubigo æri adnaſcens*, quæ cum fuligine ſimilitudinem quandam habet; certum autem videtur eſſe, quod procedat ab *halitu avolante ac pedem figente in humido ambiente*; cùm verò in ære ſit modicus humor, multa terra, & parùm ignis, mirum non eſt, quod copioſè erumpere poſſint halitus, qui in humido ambiente ſiſtuntur, nihil enim magis ad halitum requiritur, ut in fuligine cernere licèt; *humidum* autem aliquod in ſuperficie neceſſarium eſt, ne *halitus avolet*; hinc æs aqua politum vel ſanguine madefactum citiùs æruginat, imò ſale vel aceto vel urina pueri aſperſum, ſtatim mutatur in viridem æruginem, eò quòd poros faciant humida hæc laxiores: Meatus hi magis patentes cauſa etiam ſunt, cur æs terſum faciliùs æruginem contrahat, quàm non terſum, quia iſtud, ut innui, poros habet apertiores, quibus aura humida faciliùs admovetur, quæ cum quadam difficultate in ſalebras aſperi & non politi ſeſe inſinuat. In eo verò æs cum ferro convenit, quod ambo fuiliginem hanc expirent. Id adhuc noto quod Metallurgis fodinæ æris indicium ſit fuligo illa.

§. 10. Cum

§. 10. Cùm verò æs & ferrum ſint *odorabilia* juxta Ariſt. lib. de ſenſu & ſenſibili c. 1. *odor æris fœtidus admodum eſt*, manus æs diutiùs attrectans naribus gravis exiſtit. Nullum verò eſt dubiū, quin arcenlenda ſit cauſa ab æruginis corpuſculis, quæ cum halitu avolant, majori ex parte ſulphureis; plerique enim Phyſici & Medici in hanc conceſſere ſententiam, odorem produci ab effluviis rerum ſulphureis & oleoſis: Nam *ſi olea*, inquiunt, *ſeparentur extemplo odores præprimis graveolentes tolluntur*: fac, ajunt, *admove manum* & ex ſpiritu Tartari & Cornu Cervi ſepara particulas ſulphureas empyrevmaticas oleum ejus conſtituentes, illicò odor antea ſatis teter ex liquore faceſſet. Crediderim tamen facilè hoſce viros à ſulphureis illis partibus non unicè (excluſis cæteris omnibus) multò minus ab illis, qua talibus non reſolutis odoris originem petere, quod ſi enim ita ſuam explicaverint ſententiam, gaudebunt ſuffragio famigeratiſſimi Bohnii in Circ. Anatom. Phyſiol. progymnaſ. XV. ut alios modò non nominem. Porrò etiam verisſimum eſt, quod annotavit nunquam ſinè laude à me nominandus, Excellent. D. Bruno hoſpes meus ad breve tempus quidem, ſed gratioſisſimus in abſolutisſimo lexico, quod Ærugo *acrem guſtantibus qualitatem offerat*; certè ſapor, quem cibis vas æreum conciliat, ſatis amarus eſt; hinc abdicantur ænea vaſa, tum ad eſculenta, tum ad potulenta, niſi illita fuerint ſtanno; nam per æruginem, quam fundunt, apta ſunt producere magnos in corpore noſtro tumultus & morbos, & Cæſalpini judicio quidem, Elephantiaſin, Cancrum, dolorem jecinoris & lienis, præſertim ſi ænea vaſa illa acidos ſuccos contineant aut vina dulcia, eoque magis, ſi moram in illis traxerint. Teſtantur etiam Arabes, quod ſi vas æneum ſuperponatur, piſcibus frixis adhuc calentibus, eouſque eos infici, ut inſtar veneni lethales reddantur. Certum verò eſt, ſaporem æris, quem ærugo indicat, oriri à corpuſculis illis, quæ ſenſim in ſuperficie concreſcunt, fortaſſis ſalinis, receptum enim ferè communi conſenſu ſal eſſe primum ſapidum, & claſſes ſaporum claſsibus quoque ſalium reſpondere, *alcalinis quidem amarum & acre, acidis, acidum, acerbum, auſterum, ſalſum ferè medium eſſe*, quem ſequitur etiam celeberrimi nominis Doct. Wedel. in amœnit. mat. Med. lib. I. ſect. I. cap. VI. utut adhuc res nobis videatur ſatis obſcura & dubia; qua de re alibi.

§. XI. Jam ad colorem ejus progredimur: ſimplex æs depuratum ſui coloris, artis opera ab argento & ſcoriis omnibus liberatum, *coloris, eſt purpurei & ſanguinei ad flavedinem tendentis* in laminas fuſum. Apud Ariſtotel. in libell. de admir. non adeò procul ab initio dicitur, apud *Indos æs adeo ſplendidum, puram ſincerumque reperiri, ut colore & ſpecie, nequaquam diſcerni ab auro queat*. Non ingredior diſputationem, unde ille color oriatur, quia

id non fieri commodè poteſt, antequàm expeditum fuerit luculentè; num color nihil aliud ſit quam lux quædam imbecillis & quaſi igniculus, quam opinionem ſequitur Grandorgæus; an verò colorum cauſa è qualitate & diverſa ſuperficiei textura petenda ſit, aut num colores in corporibus excitati nihil aliud ſint quàm gradus ſeu menſura aduſtionis & coctionis, ita ut â fotu caloris omne corpus, quod in prima origine pellucidum ſit, pro vario ordine & menſura admittat colores, quæ quidem eſt Iſaaci Voſſij ſententia; at verò nimis longè extra eam, quam carpimus viam, nobis eſſet exſpatiandum. Non aberravit à vero Scaliger Exercit. 325. Sect. 1. ſcribens: Sunt coloris cauſſæ atque eſſentiæ tàm controverſæ atque obſcuræ intellectui, quam ſunt ipſi viſui manifeſti. Nec nobis vacat, ut excutiamus ea, quæ habet Daniel Sennert. lib. de conſenſ. c. XI. & Vidus Antonius Scarmilionius Fulginas nec non Petrus Maria Caneparius lib. de atramentis. Fortaſſis tamen à terra & modico humore eundem convenienter noſtris hypotheſibus peteremus. Clariſſ. Wormius optimè monet, æs nigrum arte depuratum à priori non differre, niſi ſolo colore quod in ſuperficie nigricet. Robertus Boyle lib. de colorib. benè obſervavit cuprum eſſe metallum, in quod tàm facilè agunt diverſorum generum liquores, ut vìx ullum ſit minerale, quod natum ſit per ſuum cum aliis concurſum tam varios colores ac cuprum, ſive in ſpiritu aceti ſive aqua forti, ſive regis, Spiritu nitri, ſive urinæ, fuliginis, ſive tandem in oleis diverſorum generum. Dn. D. Joh. Sigiſm. Elsholtius in deſtillatoria curioſa addit novum aliquod experimentum nondum Boylio obſervatum; ſi, inquit, cupro ſuperfunditur Johannis Polemanni Spiritus duplicatus ex lapide ſcilicet hæmatite & Sale Armoniaco paratus, liquor tranſit viridiſſimus & cryſtalli prorsùs virides adhærent.

§ 12. Quid verò dicendum de eo, quod legimus in lib. de mirabilibus auſcultat. l. c. qui falsò Ariſtot. adſcribitur, χαλκὸν, quod male ferrum vertit Interpres, *in minuta fruſta conciſum ſeri in Cypro circa Thyriam, deinde aqua perfuſum augeri & ſurgere, ut, poſtquam ad juſtam maturitatem adoleverit*, colligi queat? Numquid fortè non majorem id meretur fidem, quam quod refert Andreas Libavius olim narratum eſſe, ad *vallum Erfurdicum occaſione valli in altiorem molem attollendi carnis crudæ haud exigua eruta fruſta fuiſſe, illamque muſculoſam bubulæ quàm ſimillimam fuiſſe* Hubnerus in epiſtola ad eum data affirmat; idem autor auſcult. ad mirab. refert æs natans ſtagno paſſibus duobus in mare porrecto. Numquid hic locum habent illa Syneſii in Calvitii encomio: *quod intellectu faciſſimum eſt, deſpicitur à plebe, prodigioſæ narrationes adhibeantur oportet.* Interim tamen negandum non videtur, imbribus augeri poſſe metallla, de plumbo experimento id compro-

proba-

probatum, eſſe dicit Cæſalpin. lib. III. de metall. c. 7. ubi ad templa plumbea *provocat; quæ reſarciri* ait. Galenus quoque lib. 9. de ſimpl. Medic. facult. teſtatur, *plumbea ſtatuarum vincula creviſſe, & quædam adeo intumuiſſe, ut ex lapidibus dependerent inſtar glaciei.* De æquivoca hac vegetatione metall. Dec. Ephem. Germ. I. Anno I. p. 255. 257. à Doctore Philippo Jacobo Sachs à Levvenheim in hanc rem egregia adducuntur exempla, & in rationem ſolerter inquiritur; rem verò acu tetigit Magnificus Academiæ noſtræ Præſes in Scholio ad obſervationem trigeſimam nonam Decur. I. Anni II. Ephemer. Germ. exiſtimans, quod *ſuccus metallicus in minera ſilicia mollis ex eadem tanquam tubulo ſenſim à novo ſuccedente ſucco protrahatur, extra uterum verò hunc ſuum delatus, indureſcat & figuram fili* (fortè etiam plantarum) *repræſentet.* Atque hinc phænomenων ratio dari poteſt variorum quæ circa metalla ſeſe offerunt, e. g. exponi poterit, cur Marcaſita, quam Doct. Hermannus Nicol. Grimm. promontorium bonæ ſpei tranſiens, invenit, extùs rubra & flava, intùs verò pulchrè virideſcentibus cœruleiſque floribus conſita fuerit, ita tamen ut non ſit neceſsè ad internum aliquod nutritionis principium confugere, quod Burrhi rejectam ſapit hypotheſin.

§. 13. De æris & reliquorum metallorum transmutatione res eſt longè incertiſſima, quicquid etiam Raymundum Lullium, Arnoldum de Villa nova, & Joannis Andreæ JCti teſtimonium crepent Chymici. Nec temerè adjungo fidem hiſtoriis Hogelandæis de nobili Scoto aliiſque, quæ vulgò circumferuntur. Novi duos, quos eventus deſtituit, & irritus labor fefellit, ac temeritas in paupertatem præcipitavit. De ſepia refert Plinius lib. 9. c. 24. quod ubi ſenſerit *ſeſe apprehendi, affuſo atramento infuſcata aqua abſcondatur*, ſimiliter & Athen. lib. 7. Dipnoſophiſt. c. 21. narrat, *quod fugiens ſepia atramentum ſpargat & in eo abſcondatur, ſimulans fugere antrorſum,* quod & a Cicer. obſervat. lib. 2. de nat. Deorum. Vir longè doctiſſimus Johan. Anton. van der Linden in exerc. ad ſelecta med. p. 115. ait: *Sepiam eſſe nobile emblema Alchimiſtæ auri plauſtra promittentis & decocto quod emunxit, atro ſe fumo involventis ac per caminum evolantis atque evadentis occultè relicto nimium credulis fœtore laboratorii ac dolore conſcientiæ ob decocta ſibi ſuisque neceſſaria ad vivendum pudoreque magno apud conſcios vaniſſimæ ſpei & certæ avaritiæ.* Doct. Brovvn in ſupplemento Act. Lipſ. p. 342. famoſos duos fontes ad oppidum Herrngrund non procul ab urbe Neiſol ſcaturientes examinavit, ac per diverſa tentamina *comperit eos ferrum injectum non incruſtare nudè ſed reverâ transformare in cuprum vulgari etiam præſtantius magisque & malleabile.* Chymici quoque ex ferro vitriolum extrahunt, ex quo Cuprum conflari creditur. Modum ex ſcriptoribus illis explicat du Hamel

de foſ-

de foſſil. lib. 2. c. 10. p. 253. *Heliophilus* (inquit) *laminulas chalybis aquæ & oleo ſulphuris per campanam extracto immergit; duplo plùs aquæ quàm olei apponit: vaſe occluſo ſex horarum ſpatio aquam fervere ſinit; vitriolum ſplendens, & viride in ſuperiorem vaſis partem elatum colligit: recenti aqua ſolutum, excoquit, donec appareat cuticula; tum chalybis laminulas ſupponit, quibus æris ramenta adhæreſcunt, collecta in cuprum funduntur.* Idem compendioſiore via aggreditur: *ſcobem ferri cum triti ſulfuris æquali pondere calcinat & reverberat, quouſque ſulphur comburatur, quod reliquum eſt in ferventem aquam conjicit, cui laminulæ chalybis impoſitæ, multum æris ſtatim colligunt, quod deterſum liquatur in cuprum.* Zapata *autor non infimæ notæ vitriolum in aqua decoquit, cum efferveſcit, tùm chalybis laminas injicit, quæ eductæ non parum æris contrahunt; hoc abraſo laminas iterùm immittit, donec totæ in cuprum abierint.* Pene exciderat; celeberrimum Wedelium ex D. Waldmanni relatione de mutatione Martis in Venerem obſervatione 120. Anno 6. & 7timo Ephemer. Germ. tractare, & deſcriptionem adducere, quomodo ferrum mutetur in Cuprum, quam Sereniſſ. Princeps Erneſtus una cum particula aquæ tranſmutantis & cupri & ferro facti portione à Comite acceperat. Ambigo verò, an rectè in obſervatione 119. vir mea laude major ſtatuat folia quercus in æs mutata, niſi enim me omnia fallunt, probationes deſunt, quibus evincat, terminum à quo mutationis, eſſe quercum; ego potius ad naturæ luſus & principia mechanica hic confugiendum arbitror, cum non ſequatur, hoc refert figuram quercus E. quercus mutata eſt in hoc ipſum, inſtantiæ enim à ſimili ubivis obviæ ſunt.

§. 14. Æs commixtum cum aliis colorem induit alium, imò & cum alio colore, aliud nomen: Nam ſi *admiſceatur Cadmia* (hoc eſt lapis ærarius, cui aliquid æris imperfecti ineſt, cujus quondam magna celebritas in Aſia, deinde etiam repertus eſt in Campania, ſecutis temporibus quoque in Bergomatum agro extrema parte Italiæ ac tandem in Germania) *flaveſcit æs & vocatur Orichalcum* q. d. æs montanum, Germanis appellatur Meſſing. Non vacat, ut omnes, quibus conficitur, modos, ex Agricolæ lib. 9. c. 1. enarremus. In frequenti uſu apud Septentrionales ſequens eſt. *Æris optimi & Cadmiæ fragmenta alterna in oblongas ollas imponuntur, quæ ſic ære & Cadmia repletæ in fornaces ſubtus excavatas mittuntur, ignisque accenditur, in quibuſdam quaſi cuniculus, cum ſimul liquefacta fuerint, æs auri colore tinctum mutatur in Orichalcum.* Franciſcus Joël Gryphiswaldenſis quondam Profeſſor celebris Tom. 5. oper. edit. Amſtelod. Sect. 3. p. 102. innuit, *orichalcum præparari admiſcendo æri crebriùs liquefacto lapidem calaminarem ſive ut ut alii loquun-*

loquuntur pulverem lapidis calaminaris ſive Cadmiæ. Obiter moneo, cum erratum videam ab aliis, quod differentia ſit inter Cadmiam & Chalcitin: *Illa ſuper terram ex ſubdialibus petris cæditur, hæc vero ex petris terra obrutis, ac præterea mollis atque friabilis exiſtit.* An credendum ſit, quòd Plinius aſſeverat, olim orichalcum effoſſum fuiſſe & diu præcipuam obtinuiſſe bonitatem neſcio. Hodiè certe nunquam ex terræ penetralibus eruitur. Si ſtannum in exigua ſolùm portione admiſcetur æri, album ei conciliat colorem, ut etiam olim advertit Ariſtoteles; habet ſcilicet ſtannum tenuiſſimas particulas, quæ per magnam æris molem diffunduntur. Præcipuè autem ea admixtio fit, quando opera fuſoria præparantur, quia tum faciliùs ſigna recipit. Imo præter ſtanni portionem etiam ſtibium admiſcetur ad ſonum temperandum. Æs ſpeciem argenti mentitur, quando tingitur argento vivo aut arſenico aut etiam talco. Cæteroquin videntur de ære eſſe veriſſima, quæ habet Hippocrates lib. 1. de Diæt. n. 24. p. 201. edit. Lind. Tom. 1. Æs molliſſimum ac rariſſimum plurimum temperamentum ſuſcipit ac optimum evadit. Hæc de Ære ſufficiant. Nunc ad uſum æris varium deſcendimus; & quia Medicina cum Phyſica maximè cohæret, videbimus, quemnam uſum æs nobis præſtet in Medicina. Dixi nos velle uſus æris explicare: credibile enim eſt, ſimul ac metalla fuere inventa (hoc tum contigiſſe ſuſpicatur Gaſſendus in ſyntagmate Philoſophiæ Epicuri parte 2. ſect. 3. c. 5. *cum ſylvæ ſive fulmine accenſæ ſeu igne aliunde excitato inductove arſerunt, & facto radicitùs incendio cohærentia radicibus metalla fuere liquefacta ac tùm ſui nitore perſtrinxerunt oculos, tum eadem figura obſervata fuere, qua ipſæ lacunæ, in quas fluentia fuerant excepta; atque tum conjecturam exinde duxiſſe mortales autumat quod eadem vi ignis liquefacta in figuram quamlibet etiam acutam & tenuem formari & ob reſumptam ſoliditatem ad perforandum ad cædendum & ad alios uſus accommoda fieri poſſint*, quòd humana ratio ad varia emolumenta ea traxerit ſatis citò: Quod ut de omnibus eſt veriſſimum, ita præprimis de ære, quod auctore eodem Gaſſendo, præ reliquis in pretio fuit, quando neglectiora tum jacebant aurum, ac argentum ac plumbum. Etſi vero tempore priores ſunt æris uſus in aliis artibus quam in Medicina, hic tamen potior ratio habenda videtur methodi. Intimè autem cohærent explicatio naturæ æris phyſica & uſus ejuſdem medicinalis. Eſto ergo.

CAPUT TERTIUM.

De
Uſu æris in Medicina.

§. I.

ANtiquiſſimis temporibus æs ad res medicas adhibitum eſt. Citra dubium inter primos ſcriptores, qui adhuc ſuperſunt ex profanis referendus eſt Homerus, quem Suidas ex Porphyrii Philoſophica hiſtoria refert ante primam olympiadem vixiſſe 130. annis, quicquid etiam contradicat Tatianus in orat. ad Græcos quem deinde citavit Euſeb. lib. 10. de præparat. Evangel. Is igitur quem dixi Homerus, Æs εὐήνορα & νώροπα vocavit, ſi inquiras in rationem, jam tempore Plutarchi non defuerunt, qui cauſam ejus denominationis explicare ſategerunt, id fieri ſcilicet hoc ex capite, quia viſui hominis prodeſſe jam tum creditum fuit apud Plutarchum lib. III. Sympoſiac. in ſ. Tom. 2. oper. Gr. lat. p. 659. Et quid ſibi volunt hæc Homeri: & *gelido dentes defixit in ære,* explicatum invenies in probl. ſect. 9. probl. 9. Hippocrat. lib. 2. de morbis num. 33. agens de Polypo qui fiat in naſo deque modo extrahendi, tandem adjicit ſequentia: *poſtquam verò ipſum extraxeris, & ſanguis fluere deſierit, ſiccum linimentum ſpecillo obvolutum indito* καὶ τὸ λοίπον ἀναλέσῃ τῦ ἄνθυς ἐν μέλιτι καὶ χελίων τὸν μότον προσιθέναι ἐς τὴν ῥῖνα h. e. & *de cetero flore* (æris) *in melle coćto linimentum illine atque ſic in naſum inde.* Senex noſter ſimpliciter vocat ἄνθος in eodem Tom. 2. lib. 2. præced. num. 30. p. 58. edit. Linden. erudienſque nos de tonſillis hæc ſcripſerat; *cum ſic habuerit immiſſo digito tonſillas protrudito ad gurgulionem* autem προχρίειν ἄνθος χαλκῦ ξηρόν h. e. *illinito florem æris ſiccum.* Hinc non omnimode fallitur Schrœderus in Pharm. Medico Chymica lib. 3. cap. 12. ſcribens: *Æs Hippocrati præter reliqua in frequentiſſimo uſu fuiſſe.* Ex ſtemmate Hippocratico ſanguinem hauſit Ariſtot. videamus ergò, num etiam in ejus ſcriptis veſtigia uſus medici æris ſuperſint. In ſcripto illo exoterico problematum plus ſimplici vice vim medicinalem æri tribuit: In ſect. I. problema 35. hoc eſt: cur, *ſi quis ære inciſus ſit faciliùs, quam ſi ferro, ſaneſcat?* propoſita, una reſponſione á lævitate æris petita, adjicit alteram quaſi huic diffidens; eam autem his verbis concipit: *An verò æs medicamenti vim obtinet & principium quodcunque pars potiſſima rei eſt?* Quod igitur æs ſimulac fuerit inciſum, medicamento præſentiſſimo adeſt, facit ut vulnus celerius coeat. Noſtro aſſerto fidem facit etiam ſectionis 9. probl. 6. in in quo docet vibices diſcuti ab ære, *quoniam rubiginem præ ſe fert, quæ pro medicamento ac-*

to accipi poteſt, & in eadem ſect. probl. 19. iterum quærit, cur *æneis quibusdam admotis, ut cyathis aliiſque generis ejusdem vibices reprimi reſolvique poſſint?* & reſpondet, *An quoniam æs natura frigidum eſt? ergò calorem effluere vetat è ſanguine quem ictus collegit? Eo namque per ſumma corporis exhauſto vibex exiſtit. Itaque celeriter admovendum eſt antequam geletur.* Ut jam aliorum locorum mentionem non faciam, Plutarchus loco proximè citato de ære: φαίνεται ἔχων καὶ στυπτικὸν ἐν ἀυτῷ: quod ita vertit Xylander fortè non ſatis feliciter: *videbitur hoc fieri ob inſitam æri facultatem adſtringendi.* De Medicis ſui temporis ita porrò refert: *Ærugine ad tales caſus utuntur Medici loco medicamenti: & eos, qui commorantur in ſecturis ærariis ajunt lippitudine ſolvi ac ſi cilia amiſerint ea denuò iis enaſci.*

§. 2. Ex his colligitur, Veteres partim in ſubſtantia uſos ære citra præparationem, quò pertinent, quæ ex problematibus Ariſtot. à nobis adducta ſunt, partim verò adhibuiſſe æs præparatum: ſicuti fidem faciunt Hippocratica à nobis laudata. Non temere vero definivero, an tempore Hippocratis æris flores fuerint ſquamæ ita præparatæ, quemadmodum ſeculo eo, quo Plinius florebat, factum eſt: Plinii tempore enim *ſquamæ ex ære fuſo & in alias fornaces translato flatu crebriori excutiebantur*, ut docuit Plinius lib. 34. H. N. Cap. I. Fortaſſis verò non adeò diſſimili modo Hippocratis tempore flores hoſce fecerunt erumpere. Creditum fuiſſe, æruginem vi medica pollere tempore Plutarchi & Ariſtot. ac à medentibus non raró ægris applicatum id itidem antecedentia declaraverunt. Galenus æris uſti mentionem facit lib. 9. de ſimpl. facultatibus, eique tribuit *vim adſtringendi & cicatricem inducendi.* Quod verò illis diebus diverſimodè æs fuerit uſtum Dioſcorides non ſinit nos ignorare lib. 5. c. 42. ſcilicet urebatur tum æs aut per *ſe ſolùm*, aut cum *ſulphure tantùm*, aut cum *ſulphure & ſale* addito pro re nata interdum etiam *alumine.* Perſuaſi vero erant optimum æs uſtum confici in Ægypto, cui proximum dignitate eſſet Cyprium, ſignum habebatur bene uſti rubedo per attritum expreſſioque coloris Cinnabarini. Superiori ſeculo hoc nomine inclyta erat Hiſpania, enim vero nigrum erat ac nigredine inficiebat. Præprimis ejus uſus eſt *in ſanandis ulceribus & cicatricibus inducendis*, ſi lotum fuerit. Præterea etiam Cadmia, Pompholyx, ex ære originem habent. Perquam egregiè Wormius in Muſeo hæc deſcribit c. 15. lib. 1. ſect. 3. verba ejus adſcribo: *Cadmia Fornacum* Mittel und ober Ofenbruch *in primis oritur fornacibus, in quibus venæ æris aut argenti coquuntur, eſtque ſubſtantia lapidoſa, agglutinata ſecundum cruſtas aut racematim, quæ dum venæ coquuntur, flammarum ac flatuum vi ad parietes & tectum elevatur. Optima cenſetur quæ in ærariis fit officinis ex Pyrite & Cadmia metallica foſſili. Ejus*

li. Ejus quatuor inveniuntur ſpecies; prima πλακίτες, *quæ fit, quando craſſior materiæ pars egreditur, & poſt Diphrygen parietibus fornacum inſidens, in corpus concreſcit; pars egeſta multa ſi fuerit, cruſta fit craſſior, ſin pauca, tenuior. Quot autem vicibus fit excoctio, tot oriuntur cruſtæ; illam eſſe puto, quæ Germanis* Mitte Ofenbruch *dicitur. Secunda illa eſt in quibus Zonæ apparent* ζωνῖτις: *Tertia, quibus venæ Onychis,* ὀνυχῖτις *Quarta* ὀστρακίτης, *quæ nomen à teſta mutuatur, è craſſa materia orta, tenuis plerumque eſt & nigra. Hanc eſſe puto, quam titulo* Uber Ofenbruch *ex Norvegia accepi. Plerumque in iis fornacibus reperitur, in quibus Pyrites æroſus non excoquitur. Hæ ſpecies craſſiori conſtant ſubſtantia &c. Pompholyx differt à Cadmia, quod non in ſolidum corpus condenſetur, ſed tenuis farinæ modo parietibus adhæreat. Fit ex eadem materia, cum æs ex lapidis partibus coquitur torrefactis, aut cum ſeparatum ab argento in ſui generis formam perficitur, tum favilla ſurſum fertur & evolat in ſuperiorem domicilii ærarii partem, adhærens ejus parietibus & tecti laqueario, quæ primùm in bullas ut aqua tumet, mox majore accedente incremento, lanarum penicillis aſſimilatur, quandoque, ærei coloris, quandoque in candido cinerea, qualis noſtras Germani* weiſſer Hütten-Rauch übern Schmeltz Ofen *vocant. Hoc pacto ſponte fit; ſed cum cura quomodo præparetur fuſius vide apud Agricolam. Et hæc præſtantior habetur, utpote candidiſſima & leviſſima, a quibus oritur NIL ALBUM dictum; Communior præparandi modus eſt hic. Æs & Cadmiam foſſilem alternis in ollas ponunt, ut ex illis fiat Orichalcum; favilla, quæ ex ære reſoluta, fertur ſurſum in operculi cavitatem, eamque implet Pompholyge. Si operculo tecta non fuerit olla & favilla cum ligno aut cinere in ſublime ſublata parietibus fornacum adhæreat, Spodon conſtituit. Pompholyx tenuium eſt partium, quæ ſi lavetur, teſte Galeno, fit Medicina omnium præſtantiſſima, citrà morſum exſiccandi vim habens; quocirca in cancroſis & malignis ulceribus ejus uſus eſt. Additur Collyriis, quæ oculorum fluxionibus puſtulis* φλυκταίναι *dictis adhibentur, ad ani & pudendorum ulcera etiam commendatur*, hæc ille, quem paulò prolixius citavimus, quia auctor eſt, non ubivis obvius & egregiè totum negotium declaravit uſumque brevibus perſtrinxit. Nec temerè in Arabibus eorumque Antidotariis vel diſpenſatoriis, qualia reliquerunt Avicenna, Rhaſes, Abenzoar Serapion, Meſue, &c. legas facilè, quod in alios uſus medicos æs verterint, aut quòd ex ære alia fuerint elaborata.

§. 3. A ſeculo 16to magnam ſubiit mutationem ratio præparandi ſimplicia. Videamus ergò an majores noſtri alia via aggreſſi ſint ποίησιν æris uſti, quod à Chymicis *Crocus Veneris* ſalutatur, deinde *florum* ac *æruginis*

de

de Cadmia enim & Pompholyge quid habendum, ex Wormii adductis; liquet. Quantum igitur ad æs uſtum, prout ex ſcriptoribus ejus ſeculi apparet, iſtud ſequenti ratione parabatur: *Sumebantur laminæ Cupri & linimento ex ſale & aceto obducebantur bracteæ. hæ exſiccatæ in tegula aurificum con:r mabantur & candentes eximebantur, in aceto acerrimo exſtinguebantur & iterum ungebantur & urebantur, ita tamen, ne in igne cupri laminæ liquefierent, donec in pulverem redigi poſſent. Pulvis in aqua calida crebro elotus omnem acrimoniam erodentem tandem deponebat. Modum autem metallicorum lavandorum præclarè docet Ludovicus Septalius lib. 9. animad. & caution.* medicar. num. 16. p. 95. etſi Zwelferus hunc damnet, ut *ſtupiditatem.* Non poſſum, quin adſcribam, quomodo Collegium Medicum Auguſt. voluerit æs uri. In claſſe vigeſima eſt præparatio illa ſecunda: Æris uſtio. *Æris bracteæ in fictile immittantur, interpoſito inter ſingulas lamellas ſalis communis aut ſulphuris pulvere, atque ſic ſtratum ſuper ſtratum paretur, quod igne uratur ad ſufficientiam, cinis relictus aqva calida ſæpius affuſa dulcoretur &c.* vide Pharm. Auguſt. p. 42. Zwelferus annotat, inſigniter diſcrepare uſtiones æris *peractas cum ſale vel nitro ab his, quæ cum ſulphure fiunt; laminas æris cum æquali vel duplo pondere ſulphuris triti uſtas ad omnimodam deflagrationem verè calcinari & fragiles evadere, ut in Pulverem totaliter tundi poſſit, qui tandem in crocum rubicundum* juxta morem ab eo proſcriptum, *redigatur vel affuſione aquæ & iterata extractione in vitriolum* Veneris *cœruleum elaboretur.* Eam autem æris uſtionem, quæ addito ſale vel nitro fit, cenſet *tantum aliqualem* eſſe ejus *calcinationem.* Priorem rationem præfert poſteriori. Vide tamẽ quæ Ill. ac Magnif. Dn. D. Schröck Acad. noſt. Præſes in lotionis hujus defenſionẽ in Phar. Aug. reſtituta adduxit. Æruginis modũ præparandi excelentiſſimũ vult Joel ſect. 3. p. 107. eum, qui ſequitur: *Fiat unguentũ* inquit, *craſſiuſculũ ex melle, ſale aceto probè inter ſe mixtis quod bracteis ſive laminis cupri inungitur, & in ollam nondum coctam imponantur & in figulina fornace exurantur, donec fictilia vaſa ſunt decocta: quæ materia nigricans excipitur & ſub dio collocatur; per noctem enim mutatur color niger in æruginem & colorem viridem venuſtiſſimum.* Magnus eſt æruginis uſus in curationibus chirurgicis: ulcera enim ſordida egregiè mundificat, oriſque ac gingivæ ulcera perſanat, ſuperfluas excreſcentias carnis in ulceribus tollit. Ideò & Emplaſtro & Gargariſmo admiſcetur. De floribus æris Honoratus Faber p. 173. Tom. 4. Phyſ. dicit *florem æris eſſe particulas quasdam, ex ære fuſo, quaſi ſcintillas avolantes, ſubrufas exiguas quaſi granulis diſtinctas, ab halitu ſurſum elatas, tùm deinde decidentes,* nec modus parandi multum videtur variare, communis autem unicuique notus exiſtit.

§. 4. Infiniti inutiliſque laboris res foret, omnes medicamentorum formulas, quas ingrediuntur ex Venere parata recenſere, ſuffecerit, ſi quaſdam longa experientia rerum comprobatas adjecero, in collyriis inſignem præſtant operam æs uſtum, viride æris, Tutia, Pompholyx. In ungue oculorum, quem Græci πτερύγιον vocant, cum ſucceſſu novimus in diverſis ſubjectis exhibita Joelis ſeqq. ex p. 209.

℞. Æruginis ʒiß
Æris uſti ℥iij
Auripigmenti rubei, Salis nitri aa. ℥ß
Sal. ammoniaci ℈j
Gummi armoniaci in ſucco Rutæ ſoluti ℥j.

Reliquis omnibus tenuiſſimè pulveratis, commiſceantur, & cum ſufficiente quant. ſucci chelidoniæ, fiat Collyrium, quod angulis oculorum ſingulis diebus bis inungatur.

aliud

℞. Cadmiæ pptæ id eſt uſtæ & in vino extinctæ,
Tutiæ pptæ an. ℥ß
Macis, camphoræ an. ℈j
Caryophyllorum ℥j
Zinziberis, galangæ an. ℥ß
Vitrioli albi, fellis vitri, an ʒij
Vini Cretenſis ſeu malvatici lib. j.

Pulveriſata commiſceantur, & decoquantur in duplici vaſe, quod eſt præſtantiſſimum collyrium, & ad ungues, & ad alias affectiones oculorum.

In lachrymis invitè manantibus levamen ſenſere, qui ſequens medicamentum ex p. 232. adhibuerunt,

℞. Squamæ æris Kupfferſchlag ℥j
Atramenti ſutorii, hellebori nigri an. ʒiij
Sandaracæ ʒij.

Fiat pulvis ſubtiliſſimus & naribus inſuffletur, aut

℞. Mellis cocti & à ſpuma defecati,
Æruginis tenuiſſimè pulveratæ an ℥ß

Sarcocollæ, gummi armoniaci in aceto acri liquefacti, ac colati ʒß. commixta rursùs coquantur ſimul in formam linimenti, quod affectæ nari molli lana exceptum ſingulis diebus bis indatur.

In ſuffuſione oculorum ſuadet Doct. Michaël hoc

℞. Aquæ chelidon. ℥j
Vitriol. albi

Tutiæ

Tutiæ pptæ an. ℈ß
Sacchari candi ʒß
Vitri Antimonii tenuiſſime pulveriſ. gr. vj.
aliud
℞. Tutiæ præparat. ʒij.

Igniatur cum cochleari chalybeato & extinguatur in Malvatico decies. Poſtea pulveriſetur, fiat alcohol, adde Sacch. partem æqualem.

In Ophthalmia præſcribit:

℞. Aq. album. ovorum
Euphrag.
Veronic.
Roſar. alb.
Fœniculi
Plantag. ana. ℥j
Sacchar. candi
Succini albi ana ʒiij.
Aloës
Tutiæ
Camphoræ an. ℈ß
Laudan. opiat. gr. ij.
Magiſt. perlar.
Lapid. calamin. ʒj
M.

In debilitate oculorum hanc formulam præſcribit,

℞. Aq. Majoran.
Euphrag.
Chelidon.
Fœniculi
Rutæ an. ℥j.
Tut. pptæ ʒj
Camphor. gr. iij.
Margarit. pptæ gr. vj.
M.

Et in Burneti Medicina pract. p. 340. Tom. 2. ſequens in Ophthalmia commendatur.

℞. Aloes opt. & Tutiæ pptæ an. ʒvj
Sacchar. albiſſ. ℥j

Aq.

Aq. roſar. & vini albi non acidi an. ℥vj.

Infunde in ampulla vitrea bene clauſa ad ſolem per quadraginta dies, hujus aquæ non colatæ inſtillentur guttæ aliquot in oculum.

In forma unguenti, ſi formulam deſideres, aliqua reperitur apud Junckenium part. 2. ſect. 1. cap. 8. Medici præſenti ſeculo accomod. p. 558.

℞. Butyr. recent. aq. roſac. opt. loti ℥j
Tutiæ pptæ ℈j
Vitrioli albi gr. xx.
Sacchar. Saturn. gr. xv.
Camphor. ʒij
Sacchar. candi ℈j
M. F. Unguentum.

Barbette, aquam hanc ophthalmicam admodum celebrat:

℞. Aq. Euphraſ.
Fœniculi aa. ℔j.
Sal. communis ʒvj.
Vitrioli albi
Tutiæ pptæ aa. ℥ß.

Ebulliant parum & colatura detur uſui.

In ſuffuſione Riverius lib. 2. Prax. Med. cap. IV. p. 202. col. 1. formulas ſequentes præſcribit:

℞. Aloes ʒiij. rutæ, fœniculi, betonicæ an. mij. Verbenæ, Tormentillæ an. mj.
Sarcocollæ ʒiij. Spumæ nitri ʒijß
Sacchari candi ℥iij. Syrup. roſac. ℥iv. urinæ pueri impuberis ℔ß. ſtercoris lacerti ʒiij. Marrubii miij. euphraſiæ mjß. Zinzib. ſpicæ, nardi, piperis longi, caryophyll. Tutiæ an. ʒij balſami ʒiij. mellis roſati ℥j virid. æris ʒj. licij ℈ij. fol. raphani mj. pulveranda pulverentur, miſceantur omnia & infundantur in vino albo generoſo, in vaſe deſtillatorio; addita quarta parte mellis optimi decem dierum ſpatio, dummodo quotidie agitentur & deſtillentur deindè, & aqua quæ exierit, reſervetur. aliud

℞. Ol. roſac. ʒiij. aq roſac. ℥ix. Camphoræ ʒj. Tutiæ ℈j mellis ℥ij. fellis hirci ʒß. farinæ lupinorum ʒß aloes ſocotrinæ ʒj. Sacchari candi ʒß. Succi marrubii, fœniculi, rutæ an. ʒß. myrrhæ ℈j. amoniaci ʒß. Sarcocollæ ʒiß. Pulverata pulveranda miſce, & lento igne

igne coque modicè & cum pinguedine hircina & arietina, & momento ceræ, f. ſec. a. unguent.

Pag. 208. & 209. col. 2. ſequentes refert: in Ophthalmia.

℞. Mucilagin. ſemin. fœnugr. & cydon: extractæ aqua roſar. & euphraſ. an. ℥iß trochiſcor. albor. Rhaſis ſine opio, ʒj. Tutiæ pptæ ʒß. F. collyr.

℞. Flor. chamomill; melil. roſar. rubr. an. p. 1. ſem. fœnugr. optimè mundati ʒj. coquantur in aqua Plantaginis. In colaturæ ℥iij. ſolve ſarcocollæ nutritæ ʒj. tutiæ pptæ & trochiſcor. alb. Rhaſis ſine opio, an. ʒß. F. collyr.

℞. Boli armenæ aqua roſar. lotæ ℥j. lapid. calaminaris aqua Euphraſ. abluti, tutiæ pptæ an. ℥ij margaritar: tenuiſſime lævigatar ʒß. Camphor. ℈ß. opii gran. v. butyri q. ſ. F. Ungv.

℞. Tutiæ pptæ ℥iß. Camphor. ʒj virid. æris gr. XII. Tutiam cum Camphora contere in mortario æneo ſeorſim, omnia verò ad pulveris impalpabilis conſiſtentiam. Tum ℞. Butyri recentis ℥j. aq. roſar. ʒj. Bulliant leniter ſimul, & ab igne remotis, primùm tutiam cum camphora, deinde æris viridi ſenſim immiſce, agitato optimè, & in vaſe vitreo reconde. F. U. quod per ſericum transcoletur. aliàs

℞. Sarcocollæ nutritiæ ʒiß
Tutiæ præpar. ʒiß Aloës ℈j myrrh. ℈ß
Mucil. ſem. fœnugr. ℥ß aqua verbenæ & chelidoniæ an. ℥ß.
F. Coll.

℞. Aloes opt. & tutiæ præpar. an. ʒvj. Sacchari albiſſ. ℥j. aq. roſar. & vini albi non acidi an. ℥vj. Infundantur in ampulla vitrea bene clauſa ad ſolem per 40. dies.

℞. Vini albi ℔. iij, aq. roſar. ℔ß tutiæ præparatæ ʒiij Garyophyl. pulver. ʒj. camphor. ʒß.

Miſceantur omnia in vaſe vitreo bene clauſo & agitentur per duas horas, ac ſoli exponantur per menſem integrum, ea cautione, ut ſingulis diebus ante ſolis occaſum ab aere removeantur, nec illi unquam; niſi à ſole illuminato exponantur. H. I. Ophthalmicum admirandarum virium Ang. Sala in ſeptem planet. terr. Spagyr. recenſ. in opp. p. 211. tradit, unde excerpſit Wedel. in amœnit. mat. med. p. 131. his verbis *Ang. Sala deſcribit & experimento comprobatum* (ophthalmicum) *exhibet ex Venere bracteat.* ℥iij. *Vini malvatici* ℥xviij. ſeu ℔jß. *circulentur ad ſolem vitrò bene clauſo, donec liquor viridis transparens inſtar Smaragdi fiat. Qui uſum noverit,*

præter alia, miranda efficiet; Imo ut ex hiſtoria addita patet, humores reſtituit. Anno 1610. ait, *Noribergæ Juvenis quidam Lithotomus ex urbe Baſilea luſu gladiatorio ſerio oculum dextrum effoſſum habuit, ita ut ex capſula ad longitudinem nucis propenderet. Concionatoris uxor in locum repoſuit oculum propendulum, & talis adjumento liquoris fixum reddidit & ſanum intra 14. dies, viſum tamen amiſit, nam ex ictu exciderat pupilla.*

§. 5. Frequentiſſimus præparatorum ex ære uſus eſt, ad ulcera putrida mundificanda. In unguento Ægyptiaco tam ſimplici quam compoſito Magiſteriali, ut vocant, conſtituit baſin, & ultimo hoc feliciter ſe uſum teſtis eſt Fabricius Chirurgus in tract. de Gangr. & ſphacel. utriuſque deſcriptio invenitur cum animadverſione Zvvelf. in Pharm. Auguſt claſſ. 17. p. 334 & 335. In unguento Apoſtol. Avicennæ itidem locum invenit ærugo; quamvis non ignarus ſim, quod florem æris poſuerit, communis tamen eſt ſententia, eum intelligere æruginem, ſic Matth. lib. 5. c. 48. ſic Deſſenius, Sylvius, Cordus, ſic alii: Unguentum de tutia Gabrielis Fallopii in ulcere ſimplici ſequens eſt:

℞. Ol. roſar. omphac. an. ℥vj ol. myrtin. unguenti popul. an. ℥iij. fol. plantag. ſolan. hortenſ. an. mij. inciſis herbis omnia miſceantur per octo dies, & quotidie agitentur: hoc facto, colentur, & colaturæ adde ceræ, ℥iv. miſce

ſuper ignem, donec liqueſcant, poſtea baculo miſce, & cum tepidum eſt, adde lithargyr. auri vel argenti ℥vj. Ceruſſæ ℥ij tutiæ præp. ʒij. plumbi uſt. ʒiß ducantur in mortario plumbeo per duas horas.

In ulcere virulento corroſivo Carpus ſequenti utebatur

℞. Tutiæ præp. plumbi uſti antimon. an. ʒij. pulveriza ſubtiliſſimè & cum oleo myrtino F. Unguent.

Applicari etiam ſolet emplaſtrum de ærugine, quod in hunc modum concinnari poſſe autumat Joel Tom. 6. oper. p. 205.

℞. Ceræ novæ, Terebinth. an. ℥iiij. quæ ſimul ſenſim liquefiant ad lentum ignem, eisdemque admiſce Ærug. tenuiſſ. pul. ac per noctem in aceto roſac. maceratæ, rurſumque pulveriſatæ ℥j. & ubi calor rerum liquefactar. remiſit, tandem admiſc. & ſeq. tenuiſſ. pul. Thuris & maſtic. an. ℥ß. Quibus omnibus probè commixtis, in aquam frigidiſſ. imponantur, & ambabus manibus diu multumque ſubigantur, donec elegantem acquirat & tractabilem ſubſtantiæ æqualitatem. In forma pulveris, Petrus Foreſtus lib. 7. obſervat chirurg. in ulcere cum oſſis corruptione, ut ſquamæ exſiccarentur, & exciderent oſſium cortices, & ut bona caro naſceretur, cum aliis ingredientibus etiam ſcorias æris voluit porrigi: formula ſequens eſt:

℞. Ari-

℞. Ariſtoloch. rotund.
Ireos
Aloes combuſt.
Rad. Peucedan.
Scoriar. æris,
Cortic. pini an. p. æqual. F. P.
Cui deinde mel eſt adjectum, ut fieret emplaſtr.

Celeberrimus Willis Pharmaceut. ration. ſect. 3. de medicament. operat. c. 5. in quo ſolicitus eſt de affectibus cutaneis, ad maculas cutis diſcutiendas earumque materiam repellendam ac intus adigendam præparari vult medicamentum ſeq. ratione:

℞. Virid. æris ℥iv.
Affunde aceti vini albi ℔ij, cucurbitæ vitreæ indita deſtill. in calore arenæ, phlegma primò extillans ad uſum ſervetur, quò facies illinatur bis in die. Non eſt, cur nos defatigemus in explicandi ratione, qua virtute agant ex ære parata, manifeſtum enim nimis eſt, pollere vi quadam exſiccandi & extenuandi ut & adſtringendi propter mordacitatem & acrimoniam ſalinam corpuſculorum ab effluviis partis ſubjectæ calefactorum, adeoque ad vires ſuas exerendas incitatorum. Præterquam quod vis illa terrea, quæ in eis eſt, ſine dubio multum ſiccet. Et hactenus de medicamentis ex ære paratis externi uſus, requirente methodo, ut notiora nobis præmittantur.

§. 6. Ad internos uſus multa ex ære parantur: quemadmodum multos lib. 5. Pharm. Schrœderus cap. 12. enumerat proceſſus. Vitrioli Veneris præparationem Crollius in ſua baſilica chymica cum notis Hartmanni p. 294. perſpicuè docet, hoc vulgò inſervit pro ***vomitorio***, dùm ***hujus particula in Aquæ quantitatem effunditur***; cum vero vomitus ille cum magna conjunctus ſit vehementia, & alia tutiora præſtent emetica, præprimis Tartar. Emet. Ludovicianus, quid opus eſt frugibus jam inventis veſci adhuc glandibus? Ad hæc Vitriol. Veneris, ut ait Helmontius lib. de Lithiaſi c. 8. t. 16. longè in medendo ignavius vulgari. Jünckenius p. 436. & ſeq. in Med. ſequenti ſeculo accomod. hæc tamen de eo refert: ***Hujus vitrioli inſignes vires etiam ita crude adhibiti confirmat Marcus Marci à Kronland, qui refert, quod tunc temporis, ex quo illo uti ceperit, Arthritis ſenſim remiſerit, ut poſtmodum ab ea immunis vixerit: ut adeò veriſſimum ſit, hoc vi pacandi Archeum præditum vitriolum, ad multos graves valere morbos imò ad vitam ipſam prolongandam.*** H. I.

Ex eo paratur Spiritus Vitrioli Veneris, cujus modum parandi docet

Zwelfer. in mantiſſ. Spagyr. p. 1. c. 4. pag. 342. in hypochondriorum & uteri affectibus multùm laudatur ad ℈ß. cum aq. polychreſta aſſumptus. De croco & Sale ex Vitriolo Veneris vide ſis Zwelf. l. c. in Spir. Veneris ſeu viridis æris ſimplici & ex cryſtallis ejuſdem vires in medico uſu proficuæ magni æſtimantur ab illis, qui veneri metallicæ ſacra faciunt. Cerebri patrocinio favere ajunt in *inſultibus Apoplecticis & epilepticis.* In ſimplici cordiales vires à quibuſdam agnoſcuntur. Præclarè verò Rolfinc. in Chim. in art. form. redacta lib. 3. ſect. 1. art. 4. c. 2. p. 158 *qui ingredientia & parandi modum quemcunque in viridi æris expendit, nihil horum videt.* Celeberrimus Wedel. edocens proceſſum parandi Spiritum viridis æris cryſt. in proceſſ. chemicis manuſcriptis externè etiam hunc *convenire in virium debilitatione ac reſolutione, ubi acidis uti commodum eſt.* Quod non negaverim. Iſtud adeò decantatum in forma olei Sulphur dulce & viride *e ſpiritu viridi vitrioli per repetitam cobobationem ultima ignis tortura expreſſo & inſigniter volatili fieri & coagulari* debere contendit Joh. Helfric. Juncken in Med. præſenti ſec. accommod. ſect. 5. cap. 7. Extollit verò vires ejus, ſupra omnem fidem ita ſcribens: p. 440. in fine: *Ei correcto & jam perfecto tota morborum cohors auſcultat, dum radiis ſuis confortat & excitat vel pacat archeum ac in ipſa animæ ſede* &c. Non tamen ſum neſcius, experientiſſimos Medicos etiam poſt tam inſolitas laudes uſum ex Venere paratorum medicamentorum internum habere ſuſpectum, iiſque in animo verſari illud: *non credere mentis nervus eſt.*

CAPUT QUARTUM.

De

Uſu æris vario.

§. 1.

AB antiquiſſimis temporibus etiam ad alios uſus tractum fuit æs: Indubitata Scriptorum Moſis antiquitas eſt, cui nullum aliud ſcriptum poſſit contendere atque in cap. 4. Gen. 22. Tubalcain tanquam *Malleator & faber celebratur in cuncta opera æris & ferri.* Sive juxta Hebraicam veritatem ex verſione Santis Pagnini, *acuens omne opificium æris & ferri*, evidenti argumento, ab illo tempore æs in variis profuiſſe. Cum verò ſacra dignitate reliquis præeant, agedum conſideremus, an in iis aliquis fuerit æris uſus. Ne verò incerta adducamus, Exod. 27. v. 2. jubet Deus *altare de lignis ſetim operiri ære, ne ab igne læderetur,* ſermo autem hic eſt de altari holocauſto-

cauſtorum, non autem Thymiamatis, ſicuti octo rationibus probat Cornel. à Lap. in comment. in Pent. p. 531. Ære verò obducebatur, quia æs ſonorum ſignificabat prædicationem crucis Chriſti, quam denotabat ipſum altare v. 3. & 4. c. c. ſequentia habentur: *faciesque in uſus ejus lebetes ad ſuſcipiendos cineres & forcipes atque fuſcinulas & ignium receptacula, omnia vaſa ex ære fabricabis, craticulam in modum retis æneam* v. 6. *Facies & vectes altaris de lignis ſetim duos* quos operies laminis æneis. v. 10. & *columnas viginti cum baſibus itidem æneis* Conf. v. 11. & 17. verſ. 19. ita habet: *cuncta vaſa tabernaculi in omnes uſus & ceremonias tàm paxillos ejus quam atrii ex ære facies.* Cap. 38. divinus Scriptor narrat, quomodò Hebræi juſſa divini Numinis impleverint, & ex ære fecerint oblatis ad hunc uſum, ſi præſtantiſſimos Interpretes audis, *duobus talentorum millibus & ſeptuaginta cum* 400. *ſiclis* (h. e. juxta computationem aliorum 258766. libris) Noſtri vero otii res non eſt exegeſi verborum ſacrorum inhærere, quod à multis cum æterna nominis ſui laude factum eſt. Ad exornandum Salomonis templum æs adhibitum legimus lib. 3. Reg cap. 7 v. 15. de Hiram dicitur: *finxit duas columnas æreas* v. 16. *duo quoque capitella fecit, quæ ponerentur ſuper capita columnarum fuſilia ex ære.* v. 45. *& lebetes & ſcutras & hamulos omnia vaſa quæ fecit Hiram Regi Salomoni in domo Domini, de Aurichalco erant.* v. 47. *poſuit Salomon omnia vaſa: propter multitudinem autem nimiam non erat pondus æris.*

§. 2. In arca fœderis locum non inveniebat æs, ſicuti divinæ paginæ fidem facient. Fuere verò etiam aliis gentibus in uſu ejusmodi ciſtæ. Ægyptios ciſtam talem fabricaſſe, Apulejus teſtis eſt, de aſino aureo lib. 2. De Trojanis, idem refert Pauſanias lib. 7. p. 435. ubi ita *liberi Patris ſignum in arca inventum eſt, quod à Vulcano fabricatum putabant, dono vero à Jove Dardano datum* Hetruſci arcam religioni ſacram habebant & ciſtam in Bacchi myſteriis colere tenebantur, conf. Clement. Alex. in Protrep. p. 12. Euſeb. de præp. Evangel. lib. 2. c. 3. Phœnices in *Cabirorum ceremoniis ciſtam myſticam habuiſſe* refert. Inter cultus ſui ornamenta numerabant Græci, ſicuti indicant Theocriti verba in Bacc. idyl. 26. *& ſacra è ciſta inſtructa manibus capientes*: In denſis autem tenebris ſepultum jacet, an æris quædam fuerint munera in iis; ſignum illud à Vulcano fabricatum, cujus Pauſanias meminit, metallicum opus ſonare videtur. Ovidius conjunxit certè æra cava cum ciſtis à Romanis in myſteria receptis ita canens:

Condita ſi non ſunt Veneris myſteria ciſtis
Nec cava veſanis ictibus æra ſonant;

Attamen inter nos medio verſantur in uſu,
Sed ſic inter nos, ut latuiſſe velint.

Illud certius, quòd inter foſſilia poſt ſaxa ac lapides nullum æquè ac æs cultui gentilium inſerviverit. In templis ex ære valvas parabant. Hac de re Voſſium audiamus lib. VI. de Theol. gentili cap. 41. Tales (æneæ) *olim Panthei valvæ in æde Saturni, quæ nunc S. Mariæ rotundæ.* Item *Saturni, quæ nunc divi Hadriani. Ad hæc Caſtoris & Pollucis, quæ nunc Coſmæ & Damiani. Præterea Bacchi, quæ hodie B. Agnetis extra Viminalem in via Numetana* H. I. de Romanis. Græcos quod concernit, novimus æneum Palladis templũ apud Lacedæmonios fuiſſe Conf. Nicolaus Leonicus Thomæus vir latinè græceque eruditus lib. 2. var. hiſt. c. 15. Delphicum templum itidem fuiſſe Æneum nemo eſt, qui ignorat ex Cœlio Rhodig. lib. 19. Antiq. lect. c. 8. Ad hæc vaſa multa templorum ex ære fuerunt, ut Romæ candelabra in Bacchi templo, quæ inde in ædem B. Agnetis translata. Inſtrumenta in ſacris apud Græcos recenſet Julius Pollux lib. 1. Onomaſt. p. 10. his verbis: *quæ ad Sacrificiorum adminiſtrationem faciunt, hæc ſunt, pyræ, cultri, mucrones, bipennes, veru, vanni, caniſtra, gutturnia, vel lebetes, quorum* quædam fuiſſe ex ære nullum dubium. Æs porrò inſervit perſonis ſacris, hoc eſt Sacerdotibus & eorum miniſtris: Salii ex *Numæ inſtituto ſuper tunicam pictam gerebant æneum pectoris tegmen, item geſtabant ſcuta ærea, quæ quia ex utroque latere erant reciſa atque eo ancilia, quaſi utrinque anciſa dicebantur ſymbolum protectionis Martis, cujus* Salii fuere Sacerdotes.

§. 3. In luſtrando & expiando nullius metalli æquè ac æris uſus fuit. Euſtathius annotavit cur Homerus ἤνοπα id eſt ἔνοπα, quod eſt vocale, χαλκὸν dixerit. Ex *inanimis*, inquit, *ſolum videtur habere vocem, ac Pythagoræi ajunt, æs omni diviniori ſpiritui concinere. Propterea æreus Apollini tripus erat conſecratus.* Et *aëre tranquillo ſæpè cæteris ſilentibus cavi lebetes moveri videntur.* Scholiaſtes ad Theocriti Idyllio B: *Dea eſt in triviis:* Vas *æneum quàm primùm pulſa, ita ſcribit: Æs* ait, *pulſantes accinuere in deliquiis lunaribus, atque item ſi quis vita abiret. Videlicet quia æs purum credebatur & utile adverſus pollutiones. Idcirco eò utebantur in omnibus conſecrationibus & expiationibus,* ut ait Apollodorus lib. de Diis. Non tantum apud Romanos & Græcos ita uſu veniſſe credo in templorum exſtructionibus, ſed apud gentes antiquiores Ægyptios puta; de quibus Herodotus in Euterp. c. 4. teſtis eſt, quod *primi Diis & aras & ſimulacra & templa ſtatuerint;* cui conſentit etiam Lucianus Deorum hominumque irriſor de Dea Syria p. 1057. Conf. etiam Euſeb. de præp. Evangel. lib. 9. c. 27. ubi Artabani

kani teſtimonium adducitur, quamvis non uſque adeò conſtet, quid æs ad eorum conſtructionem & exornationem contulerit.

§. 4. Chriſtiani etiam in templis & baſilicis ſuis æs adhibuerunt. Templum B. Petri recentes ex ære valvas habet. Florentiæ quoque Sacellum B. Johannis, quod Baptiſterium vocatur, ternas habet æneas valvas, easque inauratas. Præprimis verò à longo tempore campanæ ex ære fuſæ inter Chriſtianos obtinuere ad convocandam plebem potiſſimum; Nam earum jam meminit Beda lib. 4. hiſtor. Angl. c. 23. In capitulari Caroli M. appellantur Clocæ undè germanica vox Glocken. Ut taceam Walafridum Strabonem de rebus Eccleſ. c. 5. Concil. Cabilonenſis can. ſolent de conſecrat. diſtinct. 1. cap. 1. Alcuin. de divinis offic. cap. quid ſignificent veſtimenta, Amat. Fortunat. lib. 3. de Eccleſ. off. c. 1. alioſque Polydorus Virgilius lib. de inventoribus rerum inventionem Campanarum *Sabiniano Pontifici adſcribit, qui Gregorio Magno ſucceſſit. De eodem Onuphrius Panvinius in epitome ſummorum Pontificum ſic ſcribit; Hic Papa campanarum uſum invenit, juſſitq; ut ad horas canonicas, & Miſſarum ſacrificia pulſarentur in Eccleſia. Sed Anaſtaſius in ejus vita nihil de campanis ab eo inventis dicit, nec ſcio, a quo hos didicerint Panvinius & Polydorus. Angelus Roccha in comment. de campanis c. 1. à S. Hieronymo, qui ducentis circiter annis ante Sabinianum vixit, campanarum mentionem factam credidit* cap. 33. & 39. *regulæ Monacharum, ejuſdem regulæ perperam Hieronymo tributæ falſa inſcriptone deceptus.* Quæ habet Cardinalis Bona lib. 1. rerum liturgicarum cap. XXII, §. 3. Ab his non multum abeunt nolæ, incertum, an à civitate Nola in Campania ita dictæ. Crediderim nolas habuiſſe cum tintinnabulis ab Apulejo lib. 10 de aſino aureo deſcriptis ſimilitudinem. Succeſſu temporis ad horas canonicas perſolvendas ejuſmodi nolis ſive campanis convocati fuere Religioſi. Inſtitutionem hujus rei Martinus Polonus ad Sabinianum Pontificem retulit Conf. lib. ord. Rom. c, 1. de officiis Cuſtod. & Faſcicul. temporum. Perquam verò utiles fuere ad admonendum populum, tempus inſtare, quo ſacris vacandum eſſet, campanæ, utpotè, quæ conſtant ex ære ſonoro durabilique metallo; Græci ſub jugo Turcico gementes carent campanis; Cuſpinianus de Religione Turcarum Auctor eſt, eos campanarum uſum averſari. Campanas quoque Saraceni captis Hieroſolymis è turribus dejecere: teſte Platina de vitis Pontif. in Urbano tertio. Niſi fallor, quod de Græcis dixi, confirmabit Chriſtophorus Angelus Græcus latina veſte indutus à Fhelavio, & Cruſii Turco Græcia, quò lectorem remitto.

§. 5. Quia verò rituum divinorum Interpretes campanarum originem referunt ad tubas juſſu Dei fabricandas, avet animus explorare, nùm & hæ tubæ ex ære

ex ære fuerint fabrefactæ apud Gentes antiquas. Quod populum Hebraicum concernit, de eo nos non ſinit fluctuare Moſes Num. c. 10. edocens, quod non ex ære, ſed ex argento elaboratæ fuerint. In proclivi verò eſt conjicere, quod apud alios populos argentea non ſtatim obtinuerint; Nam ſi conſideramus, quibus prophani Scriptores tribuant inventionem tubarum, non fallemur certè, dicentes eas ex ære fui[illegible] conflatas, cùm conſtet aliunde alia metalla neglecta jacuiſſe, ære primatum obtinente, & quaſi ubivis dominanti. Plinius lib. 7. c. 56. Piſeo tribuit Tyrrheno inventum hoc, & Diodorus Siculus 5. bibliothecæ Tyrrhænis. Unde Virgilius lib. 8. *Tyrrhænusque tubæ mugire per æthera clangor viſus.* Acron in Horat. de arte Poetica, Dircæum alii Tyrtæum vocant, refert in bello Meſſenico primum Lacædemoniis tradidiſſe tubam, vel tubarum potiùs monſtraſſe modulos & cantum, quarum inaudito territi clangore Meſſenii in fugam acti ſint, Spartani autem victoria potiti, à quibus fortaſsè Græci, quemadmodum à Piſeo Itali, aliæ aliunde gentes tubarum uſum accepere. Quis verò hiſce tribuat tubas argenteas.

§. 6. Inſolitus tubarum ænearum clangor nos invitat ad arma luſtranda. Extra controverſiam verò eſt, primitùs æneis armis uſos eſſe bellatores juxta illud Heſiodi χαλκῷ δὲ εἰργάζοντο, *ære operabantur*, & quemadmodum addit, *nigri ferri haud uſus*, nam hoc *per Dabas & Chalybes erutum & domitum primitùs eſt*, ut habet Ammian. lib. 22. Hinc Poetæ cum Herculis clavam aliaque heroum arma deſcribunt, *ærea* dicunt non ferrea. Pectoralia; ocreas, galeas ex ære antiquitùs factas innuit locis infinitis Virgilius, Servius Grammaticus & ipſe Plinius lib. 34. cap. 7. Polybii in Caſtrametatione Livii ſunt ſequentia: *Arma his imperata galea, clypeus, ocreæ, lorica omnia ex ære.* Conf. Naudæus de arte militari; quanquam non ignoremus, Homerum aſſerere in Odyſſ. in arca Ulyſſis *magnam fuiſſe copiam æris & ferri.* In Germania idem olim obtinuiſſe, loquuntur thoraces, enſes ænei, frameæ ex ære atque calcaria, cultri &c. qui effodiuntur. Ex his igitur non ſtat quantus fuerit æris uſus tempore belli?

§. 7. Præter tempus belli eſt tempus pacis; utrumque ſine pecunia & nummis infelix eſt. Tametſi verò primi mortalium ipſis rebus nundinarentur, importunior tamen ad vitam civilem ea mercandi, quibus eges, ratio meritò viſa eſt, cùm non ſtatim iis, quibus abundas, indigeat alter, cui in copia adeſt, quod ipſe deſideras. Hinc introductus nummus, quem Lydi primum aliqua figura ſignaverunt, ſi credere tutò liceat Herodoto lib. 1. At verò apud Græcos pariter & Romanos nummi ærei fuerunt in uſu Athenæus lib. XV. Dipnſoph. c. 3. p. 669. de Dionyſio Rhetore & Poeta refert, *ei nomen* χαλκοῦς *inditum* διὰ τὸ συμβουλεῦσαι Ἀθηναίοις χαλκῷ νομίσματι χρήσασθαι,

quod

quod æreo uti nummo Athenienſibus primus oratione ſuaſerit. Licet verò rariùs Athenienſes æreos nummos cuderint, Conf. Ariſtophanem, concionantibus & ejus Scholia; fuere tamen apud eos in uſu κόλλιβοι & στίλαι & κερμάτιλλοι, qui omnes ex ære fuerunt, ſicuti ex comœdiis conjicere licet. Ejuſmodi pecuniam nomine χαλκῶν inſignit Theophraſt in charact. c. 12. his verbis agens de homine impuris moribus prædito: *Si quos pueri nummos æreos, ut ſit, in via reperierint* εὑρισκομένων χαλκῶν, *partem inde ſibi poſcet, illud uſurpans Mercurium eſſe communem.* Ex quibus colligere licet, χαλκοῦς reſpondiſſe lupinis, & plumbeis illis nummis apud Romanos de quibus apud Plautum & Martialem lib. 10. Epigr. 74. mentio fit. Theophraſtus c. 7. de vecordia ſive perdita audacia agens, inter alia talem hominem vecordem his verbis deſcribit: *Non pudebit eum, ſaltare cordacem etiam ſobrium, & in comico choro perſonatum: & cum præſtigiæ ſpectantur, ad quemque ſpectantium adire & ſtipem exigere* χαλκοῦς ἐκλέγειν: ex quibus prone concludas, vilem fuiſſe eam pecuniam. Ab ea, cum hi & alii Agyrtæ, qui ſimilibus artibus ſtipem in circulis corrogabant, χαλκολόγοι nominabantur, h. e. juxta gloſſarium vetus, *nummularii, æſculatores.* Apud Romanos ſimiliter ænea pecunia in uſu fuit; Plinium audiamus lib. 33. Hiſtor. Nat. c. 3. *Servius Rex apud Romanos primus ſignavit æs. Antea rudi uſos Romæ Timæus tradit. Signatum eſt nota pecudum, unde & pecunia appellata.* Nummum quem accipiebat miles, tributim à ſingulis pro ratione cenſus exactum, appellabant æs militare; hinc Plautus; *cedit miles æs* petit: Ab ære, quibus attributa erat pecunia, ut militi redderent, tribuni ærarii dicti, & milites quoque ipſi ærarii nominabantur, quod ſtipendia facerent. Conf. Varro de ling. lat. lib. 4. ſub f. p. m. 30. Ære *verò diruti illi milites* appellabantur, *quibus propter ignominiam ſtipendium ſubtrahebatur*; teſtis eſt Crinit. lib. XVIII. de honeſta diſcipl. c 6. p. 436. Succeſſu temporis (nam volvenda ætas commutat tempora rerum) æra nummi parvi pretii nominati ſunt: Martial. lib. XI. Epigr. 28.

Et centum aureolas ſic velut æra rogat.

S. Hieronymos illa duo λέπτα viduæ muliérculæ, cujus fit mentio in Evangel. S. Marci c. 12. com. 42. *æra* interpretatur. Quod Apulejus lib. 8. Metamorph. *ſtipes æreas* vocat, id alibi *exiguam ſtipem* & Ovid. 1. de Ponto *ſtipis æra.* Maximus Tyrius Philoſophus Platonicus, δύο ὀβολοὺς appellat: Ita videmus eſſe verum, quod vulgò dicitur: *Quod fuit in pretio, fit denique nullo in honore.* Atque olim Tiberio Graccho rem agenti publicam extra urbem ſumptum diurnum aſſignarunt novem obolis conſtantem Auctore Plutarcho, quemadmodum Græci olim, ut colligere eſt ex Ariſtoph. Achar-

nenſibus Act. 1. Scen. 11. v. 23. duabus inſtructum drachmis ſtipendio diurno miſerunt ad Regem è ſuis civem aliquem. Antiquis temporibus æra vocarunt articulos in rationum libris. Cic. Hortenſio apud Nonium: *quid tu, inquam ſoles, cùm rationem à diſpenſatore accipis, ſi æra ſingula probaſti, ſummam, quæ ex his confecta ſit, non probare?* Apulejus de Deo Socratis: *igitur quotidiana eorum æra diſpungas: invenies rationibus multa prodigè profuſa & in ſemet nihil.* Nonius, *breviter æra numeri nota.* Lucil. lib. 29. *Hæc eſt ratio; perverſa æra: ſumma ſubducta improbè*, ut locum emendavit Caſaubonus: Ita iam comperimus rectè ſcripſiſſe Iſidor. lib. 16. orig c. 19. in principio: *Ære certamina belli gerebant, eratque in pretio magis æs: aurum verò & argentum propter utilitatem rejiciebantur.* Tandem etiam in portis urbium eminuit æs, ut loqvuntur portæ Babylonis. Non memoro, quòd inaudita Phalaridis crudelitas æs ad inauditum tormenti genus fabricando bovem traxerit. Quam tyrannidem Poëtæ mordaci carmine ulti ſunt.

§. 8. Quæſitu dignum eſt, num etiam ſtatuæ condi ceptæ à Seruch quodam ex Japheti poſteris, ut aſſerit Johannes Antiochenus inter collectanea Conſtantini Porphyrogenetæ ab Heinrico Valeſio edita p. 779. quem totidem verbis exſcripſit Suidas in voce Seruch & Abrah. f. 14. fuerint ex ære. Quod antequam doceamus, notari volumus, quòd animi ſenſa veteres voluerint ſignare quibusdam columnis. Cùm enim certa conſuetudo ferret, apud Phœnices & Ægyptios, ut docet Herodot. lib. 2. c. 102. 103. Strabo lib. 17. Lucan. lib. 3. Plin. lib. 6. c. 28. Tacit. Annnal. lib. 11. c. 14. Proclus in Timæum, multa ſaxis inſcribere, in eundem uſum varii generis columnæ & ſtatuæ introductæ. Ex duabis illis columnis, quibus Sethi poſteri Aſtronomicæ doctrinæ præcepta, teſte Joſeph. lib. 1. Antiq. c 3. ut Epiphan. in primo Panarii, Auguſt. lib. 18. de civit. DEI, Caſſian. coll. 8. c. 2. taceam, altera lapidea, altera lateritia fuit. Tales etiam fuiſſe credibile eſt, quæ ad Iſidis & Oſyridis ſepulchra ſacris literis à Diodoro feruntur ſignata. Ex auro & argento conflatas fuiſſe ſcribit Philoſtratus columnas iſtas Gadibus poſitas, quas in domo Parcarum ignotis vulgò literis inſcriptas eſſe ab Hercule, ut ſuum ordinem elementa ſervarent, dicebat Apollon. Tyanæus lib. 5. c. 1. quaſque à columnis illis Herculis vulgò notis diſtinguit Strabo lib. 3. Aurea fuit Panchaica illa in Jovis Triphylii templo columna, in qua Cœli Saturni & Jovis deſcripta panchaicis literis fuiſſe facinora narrant ex Euhemero Meſſenio Diod. lib. 6. apud Euſeb. de præp. Evang. l. 2. 2. c. 2. & Lactant. lib. 1. divin. inſtitut. c. 11. Nec verò ambigimus, quin etiam æneæ fuerint aliquæ columnæ, quibus notatu digniora inſcribebantur. Nam ut mittamus roſtratas illas Duillii &

Appii

Appii Claudii ac Trajani & Antonini, nec numeremus eas, quibus leges fœderis Romanos inter & Latinos icti Servius Tullius impreſſit & Amarynthiam Straboni memoratam, in qua Eretrienſes & Chalcidenſes deſignaverant genera armorum, quibus de compacto uterentur, denique etiam iſtos, quibus Alexandri fœdus cum Mitylenæis inſculptum; has inquam, omnes omittamus, de materia enim earum, aut prorsùs tacent, autd ubiè ſcribunt, auctores vel diſſonantia loqvuntur. Sanè Græci pariter ac Latini leges incidebant tabulis æneis, ſicuti Gatakerus in Cinno annotavit, & teſtimoniis probavit. Teſtis inſuper Cicero eſt Philipp. his verbis: *Quod erit ita geſtum, lex erit, & in æs incidi jubebitur. Alludit* eò Ovid. lib. 1. Metam. *Nec verba minantia fixo ære ligabantur,* Auguſtus Æreæ tabulæ *ad æternam cuſtodiam anni ordinem inciſione mandavit.* teſte Macrob. lib. 1. c. 14. Præterea columnæ ponebantur ad regionum fines determinandos, quales fuerunt illæ, quas ad ſignandos terrarum à ſe domitarum limites adſcriptis titulis ſtatuit Seſoſtris: Num & illæ æreæ? Crebra apud autores mentio ſtatuarum talium ſed non exprimunt, ex qua fuerint materia: En Exemplum: Plutarchus in Theſeo Tom. 1. oper. p. m. II. Edit. Gr. lat. refert, quod hic *celebrem collocarit in Iſthmo pilam, & inſcripſerit ad determinandum agrum epigramma duobus trimetris* &c. altum tamen ſilentium, ex qua materia fuerint illæ pilæ. Certiora ſunt documenta, quod æneæ ſtatuæ in honorem de Republica benè meritorum virorum fuerint erectæ, pariter apud Græcos quàm Latinos: Antiphon, *cùm apud Dionyſium quæreretur, ac diſputaretur, quodnam æs optimum eſſet, id pronunciavit omnibus præſtare, ex quo Athenienſis Harmodii ac Ariſtogitonis ſtatuas paraſſent* apud Plutarch. T. 2. de Adul. & amici diſcrim. p. 68. Agedum, pauca exempla ex Plutarcho, omiſſis de induſtria multis, colligamus. In Numa p. 65. D. hæc habet Plutarch. *Nos Romæ ex multis accepimus, cùm narrarent ex oraculo, quod olim juſſerat Romanis, ut ſapientiſſimo & fortiſſimo inter Græcos ſtatuas apud ſe locarent, duas æneas in foro poſuiſſe unam Alcibiadis, alteram Pythagoræ* H. I. ipſe tamen hæc judicat ambiguitatis eſſe plena. Forte etiam ærea fuit illa Cæſaris in templo victoriæ Trallibus collocata, *ad cujus baſin ex ſolo lapide duro in ſuperficie conſtrato referunt palmam victoriæ contra Pompejum prænunciam erupiſſe,* apud Plutarchum in Cajo Cæſare p. m. 730. B. Marco Bruto ſtatuam æream Mediolani in Gallia Ciſalpina poſitam p. m. 1011. in fine vitæ ejus refert. *Populus Athenienſis habens honorem Demoſtheni ſtatuam ex ære poſuit cum hac inſcriptione,*

Menti, Demoſthenes, par ſi tu robur haberes:
Non erat Ematbiæ Græcia victa manu.

in vita Demoſthenis ſub f. p. 860. C. Non poſſum, quin addam adhuc ver-

ba Ulpiani in enarrat. in orat. adverſus Leptin. in Demoſth. & Æſch. operibus Græco-lat. Ed. Francofurt. p. 567. in fine: *Moris fuit apud Athenienſes, ut de Repub. bene meritis varii honores haberentur, ſive ærea ſtatua, ſive victus in curia ſive immunitas.* Crebrò autem triumphales ſtatuæ ex ære factæ videntur: hinc Maro lib. 3. Georg. *Atque hæc undantem bello magnumque fluentem Nilum, ac Navali ſurgentes ære columnas:* Ad hunc locum Servius ita commentatur: *Auguſtus Victor totius Ægypti, quam Cæſar pro parte ſuperaverat, multa de navali certamine ſuſtulit roſtra: quibus conflatis quatuor effecit columnas: quæ poſtea à Domitiano in Capitolio ſunt locata: quas hodieque conſpicimus.* Mirum verò quod Phoenices à Joſua bello ſacro profligati binas in Tingitana provincia olim viſas erexerint columnas Phœnicio ejuſdem ſeculi ſermone inſcriptas verbis ſic græcè ſonantibus: ἡμεῖς ἐσμὲν οἱ φύγοντες ἀπὸ προσώπου Ἰησοῦ τοῦ λῃστοῦ Ναυῆ, ut memorat Procopius in Vandalicis lib. 2. Quomodo Phænices ſcripſerint, per conjecturam ſatagit aſſequi Doctiſſimus Vir. Joh. Seldenus de dijs Syr. Syntagm. 1. cap. 2. p. 18. edit. Germ. obiter moneo, mirandum eſſe neutiquam, quod latronem appellarint Joſuam, inoleverat enim opinio apud gentes obliterato quaſi jure naturæ, licere prædas agere in exteros, Hinc Scholiaſt. Homer. ad lib. 3. odyſſeæ *latrocinari apud antiquos non tantùm infamia carebat, ſed inſuper glorioſum ducebatur.* Clarè etiam Thucid. lib. 1. *nondum infamiam habebat id vitæ genus, quin potius laudi tribuebatur.* Hinc illa apud Homerum, *an prædones eſtis?* amica interrogatio, & in Solonis lege veteri habes, collegi ἐπὶ λείαν ἐρχομένων. Verum obiter hæc de σκυθισμῷ prout vocat Epiphanius. Plurima de ſtatuis à nobis obſervatis adjici poterunt ex Jani Gruteri inſcriptionibus, & marmoribus Oxonienſibus. Verum hæc ſufficiant. Nec deinceps ceſſarunt etiam Chriſtiani ex ære efformare benè meritos viros. De Eraſmo id notum eſt, uti aliunde tùm ex Hugonis Grotii carmine quodam, cujus initium eſt: *Qui gaudes Batavis quod aheneus adſtat Eraſmus, Prœmia ſed meritis iſta minora putas &c.*

§. 9. Verum ſatis de antiquis gentilium ſtatuis honori infeliciter mortuorum hominum conſecratis diximus. Orbi ſpectandam dedit Auguſtiſſimus & Invictiſſimus Imperator Leopoldus M. æneam honori Sanctiſſimæ Triadis ſacram Viennæ, quam non tantum attoniti ſpectavimus, ſed & deſcriptam legimus ab egregio recentioris hiſtoriæ conditore Brewero Thuldeni continuatore. Non ingrediar campum illum, qua ratione æris uſus in ſtructuris ædificiorum præprimis principum tranſierit, ut phraſi utar Iſidori Hiſpalenſis. Hodiè adhuc æs in arce Berolinenſi Sereniſſimi ac Potentiſſimi Electoris Brandenburgici renitet. Non minora commoda ab ære in Oeconomi-

am

am emanant. Mitto inſtrumenta ex ære parata, quibus quotidie in re familiari indigemus. Memorabile; quòd olim Lacedæmonii Crœſum donarint æneo triginta amphorarum cratere. Nec præteriri debet ſpeculum Corinthiurges de quo Ælianus in variis fol. 18. Non adeo obvium eſt, quod olim lugentes etiam mi ſubſellii homines acutos mucrones æreos cadaveribus infixiſſe legamus apud Pierium in Hieroglyph. quales Venetiis imagunculas apud Lauredanum vidit Camerarius horis ſubciſ. cent. I. c. 14. & has ex conditis ſumptas cadaveribus Lauredani affirmavit filius. Quantum etiam aliis artibus non cōmodat æs? In navibus compingendis uſus ejus eximius. Ex eo roſtra fiebant ac naves cum roſtris ejuſmodi Appiano dictæ χαλκέμβολοι Plutarcho χαλκῆρες Virg. lib. 9. Æneid. æratæ. Quod prius æratæ ſteterant ad littora puppes? Flavius Vegetius de re milit. lib. 4. c. 34. p. m. 134. Ed. Veſal. *Ex Cypreſſo*, inquit, *& pinu domeſtica ſive ſylveſtri larice & abiete præcipuè liburna contexitur, utiliùs æreis clavis quàm ferreis confingenda quia, ut in fine capitis habet, ærei etiam in fluctibus propriam ſubſtantiam ſervant?* Ad quem locum God. Stewechius in comment. ita p. m. 470. ſcribit: *de æreis clavis & materia ærea in conſtruendis navibus locum aliquando notavi apud Cæſarem lib. 4 bell. Gall.* ſequent. ſcil. *Quæ graviſſimæ erant naves, earum materia atque ære ad reliquas reficiendas utebatur* Brewerus recentiſſimæ hiſtoriæ, ut diximus, conditor in append. part. ſeptima deſcribens expeditionem Regis Galliæ adverſ. confœderatum Belgium p. 365. *In Galliis*, inquit, *is eſt apparatus, qualis vix aut ne vix quidem ab hominum memoria: naves intertexuntur viminiæ, fabricantur æneæ &c.*

§. 10. Multa etiam rariora ex ære parata fuerunt. Inter ſeptem Mundi miracula numeratus eſt Coloſſus ſolis apud Rhodios ex ære paratus, qui ſeptuaginta cubitorum altitudinis fuit, & poſt quinquageſimum annum terræ motu proſtratus eſt, ita ut jacens multis eſſet miraculo apud Plin. lib. 34. cap. 7. N. H. ut omittam duos Neroni datos equos æneos. Joh. Alphonſus Borellus vir acutiſſimi ingenii machinam urinatoriam excogitavit, qua homo longo tempore non vivere tantùm ſub aqua, ſed & progredi, quo velit, ac natare piſcium inſtar, aut inſtar cancri repere poſſit. In hunc uſum machinam dictam ex ære ſeu etiam ſtanno parari voluit: *Fiat*, inquit, *vas, ſeu veſica ænea, ſeu ſtannea B. M. H. C. diametro duorum pedum, quæ caput A. hominis continere poſſit ad inſtar galeæ, ſeu cubiculi, & ſtrictiori collo B. C. adhæreat ſcapulis, vertici & ſupremo pectori, atque funiculis circa collum æneum B C, ſtrictè alligata veſte pellea caprina non penetrabili ab aqua; tunc homo ſic tectus, ſic intra aquam demergatur, poterit per plures horas vivere, liberè reſpirando aerem intra veſicam æneam B. M. H. C. incluſum, dummo-*

do aer incluſus debitis temporibus renovetur, ut inferius declarabitur. Fieri verò debet fiſtula ænea curva I Q K L, longitudine trium pedum, quæ in inferiori intermedia curva burſam pelleam L annexam habeat & duo extrema fiſtulæ orificia I, & L intra cavitatem veſicæ caput ambientis deſinant, ut in una anteriori I aer inſufflari debeat, altera verò L circa verticem hiet: Nec dubito, quin & vas illud urinatorium, quod in collegio curioſo deſcribit Clariſſ. Sturmius ex ære conformari poſſit. Quis ignorat inſtrumenta, quæ ad expediendam ritè anatomen neceſſaria ſunt, olim ex ære fuiſſe conformata. Id in prolivi eſt probare ex ipſo Galeno cujus hæc ſunt lib. 6. anatom. adminiſtrat: *injiciens laminam æream aut ferream aut argenteam aut ligneam. Solent autem Anatomici laminas appellare communi vocabulo hujusmodi inſtrumenta ſpecilla, ſpathomelas, amphimelas ſpecilla auricularia* &c. Sed de his & aliis legi poterit Excell. Dnus Doct. Hartmannus in diſquiſit. hiſtor. de re anatomica veterum eruditiſſimis. Hodiè etiam curioſis Medicis ſerviunt ad animi oblectationem & experimenta facienda ex ære parata, quod colligere licet ex metamorphoſi quam Celeberr. Doct. Major lib. de chirurgia infuſoria dubio 9. propoſuit in hunc ſenſum: *Aquam Sapphirinam ope ſpirit. ſal. armoniaci in ænea pelvi factam vitro infundito bene tranſparenti: poſtea clyſſum Antimonii communem addito & mixtura actutum evadet limpida.* Quod ſi porro oleum Tart. ſuperaddis priſtina redibit coëruleſcentia. Servitia æris, quæ præſtat Mathematicis, omnibus nota ſunt.

Soli DEO Gloria.

MEMORIA
MENTZELIANA.

VItam aggredior ſcribere B. CHRISTIANI MENZELII, Sereniſſimi olim FRIDERICI WILHELMI Electoris Brandenburgici, nec non FRIDERICI, Potentiſſimi Boruſſiæ Regis, Conſiliarii & Archiatri meritiſſimi, Medici experientiſſimi, Societatis Naturæ Curioſorum magni Apollonis, Senis denique Venerabilis. Antequam verò eandem enarrare incipiam, de eo ſaltem Lectorem Benevolum monitum velim, nullum me huc conquiſiturum adſcititium eloquentiæ ornatum, cum per ſe magis pulchra appareat nuda rerum veritas, nec indigere encomio noſtro Virum, quem totus eruditus Orbis, quinquaginta abhinc annis & amplius loquitur.

Tantummodo, prout tres ſunt præcipuè vitæ humanæ periodi, prima, qua hominis natalia, pueri educationem, juvenilia ſtudia, peregrinationes quoque complectimur; ſecundam viriles honores, labores, res præclarè geſtæ nec non matrimonia abſolvunt: Tertiam Senectus & vitæ exitus claudit: ita quoque totidem nunc Memoriæ MENTZELIANÆ faciam paginas.

Ergo de Vitæ, ejus Orgine hæc primùm habeto. Natale ſolum habuit Marchiam, Urbemque Patriam Furſtenwal-

diam Meſo-Marchiæ non ignobilem, medio ferè Berolinum inter & Francofurtum tractu, ad præterfluentem Spream ſitum. Familiam ducit ex honeſtiſſima MENTZELIORUM gente, Patre genitus Chriſtophoro, Viro Conſulari deque Civitate Fürſtenwaldienſi meritiſſimo, Matre Maria Felbingeria; Johannis Felbingeri Norimbergenſis, ejuſdemque Urbis Furſtenwaldienſis Senatoris graviſſimi, filia, Avum habuit Paterni Stemmatis itidem Chriſtophorum, Reipublicæ Lipſienſis Quæſtorem ſpectatiſſimum.

Reliquam proſapiam vix attinet enumerare, quicquid fecerint Majores Pro-Avi & nos non fecimus ipſi, vix ea noſtra puto.

Noſtrum nunc dico MENTZELIUM natum die 15. Junii Anni 1622. domi primum ingenuè educatum à Parentibus, Scholaque patria quantum ferebat imbecilla ætas, primis literarum nec non Religionis Chriſtianæ elementis imbutum, puerumque octennem factum, ſtatim trivio exemptum, miſſumque ad florentiſſimum vicinæ Vallis Joachimicæ Electorale Gymnaſium, ubi Latini ſermonis artiumque quas liberaliores vocant, rudimenta quadriennio diligenter addidicit.

Quemadmodum autem nubila tunc erant tempora Muſisque inprimis inimica, tricennalis belli Germanici flamma jam undique flagrante, ita quoq; accidit, ut ſchola hæc illuſtris, olim à Joachimo Friederico Brandenburg. Electore Anno 1607. inſtituta, à victorioſo nunc milite Svevico diriperetur, Muſæque triſte in exilium abire juberentur. Rediit ad tempus in Urbem Patriam, cum verò & illa Victricibus GUSTAVI ADOLPHI armis iterumque à Cæſareanis expugnaretur, Berolinum ex Parentum mandato receſſit, in Gymnaſio ibidem Colonienſi egregios in ſtudiis progreſſus faciens, ad Annum uſque 37. quo ecce aliam experitur calamitatem publicam, peſtis quippe epidemica quæ univerſam

Mar-

Marchiam devaſtabat, Patrias repetere ædes coegit, cumque nec ibi inter tot cadavera & ſubitas mortalium ſtrages tuto eſſe liceret, una cum Parentibus liberiori ruris aeri vitam credere.

Nulla autem calamitas ſola! Vix ceſſante Anno 39. virulentiſſimæ Peſtis ſævitia, Pater Ejus dilectiſſimus, diem obiit ſupremum.

Poſt hæc Patris fata, iterum Berolinum adiit Scholæque, quam Senatus Berolinenſis inſtituit, ſe adjunxit, tanta uſus ſolertia, ut poſt quadriennium dignus judicaretur, qui ad Academica admitteretur ſtudia.

Cumque ex omni diſciplinarum genere, certa aliqua ſcientia, quam tota profiteretur vita, eligenda eſſet; præ omnibus Medica ipſi arridebant ſtudia, peſtis fortè edoctus experientia, quàm ſalubris ſit humano generi medendi peritia, quantumque in tanta neceſſitate honoretur Medicus.

Hoc itaque conſilio Francofurtanam acceſſit Academiam, clarentibus ibi Poliſio & Urſino, magnis inter Medicos iſtius ævi, nominibus, quorum tam publica quam privata uſus inſtitutione, multam rei notitiam & Theoriam acquirere cœpit.

Biennio poſtquam hic ſubſtitiſſet, magna ipſum invaſit libido, patrios ad tempus ac fines dulcia linquere arva, quidque extra patriam ageretur, percontari.

Boruſſiæ hinc Regiomontanam petiit Academiam, ſtudiaque medica, aliis ſub Præceptoribus, Beckero nempe & Tinctorio proſecutus eſt. Magnorum ſimul Virorum gratiæ amicitiæque ſibi comparandæ, hæc fecit initia. Mitrebatur Anno 1647. Perſtrenuus Generoſſiſimusque Dominus Creitzius à Potentisſ. BRANDENB. ELECTORE ad Comitia Warſovienſia, Cracoviamque ad Johannem Caſimirum Polonorum Regen, infelici Regiminis eventu ſatis no-

tum; comes datur Domino Ablegato MENTZELIUS noſter, & inter cæteros ad Regiæ manus oſculum admittitur, tandemque in ejuſdem Comitatu Regiomontum rediit.

Anno ſubſecuto 48. à Celeberrimo tunc Polyglotto Viro, Chriſtiano Ravio Berlinate, adeoque Conterraneo ſuo, Gedanum invidatur, ut Ipſi in erudienda Nobili Juventute opem ferret. Non poſſum præterire B. L. quin de Magno illo Ravio, MENTZELII noſtri amico, verbum hic interſeram. Peragraverat nimirum homo ille linguarum Orientalium amore captus, magnam Orientis partem, inprimis verò Byzantii tempus aliquod degerat, ſpoliumque inde 300. plus minus librorum Arabicorum Europæ intulit, quorum etiamnum non contemenda pars, in Regia Berolinenſi exſtat Bibliotheca, variis deinde locis Oxoniæ, Upſaliæ, Ultrajecti, Chilonii & ad finem vitæ, Francofurti ad Oderam (ubi etiam ſepultus jacet) linguas Orientales docuerat.

Hoc autem circa tempus Dantiſci morabatur Ravius, ludumque aperuerat Nobilium & Magnatum filiis, quo nova quadam methodo omnigena ſcientiarum eruditione imbuerentur, cumque judicaſſet Ravius inter cætera ſtudia etiam Rei Herbariæ nec non Anatomices Juveni Nobili comparandam eſſe notitiam, ad id MENTZELII noſtri jam tum Botanices & Anatomiæ peritiſſimi, uti voluit opera.

Nec recuſavit hanc ſibi oblatam obire ſpartam, quin potiùs fideliter magnaque cum induſtria ornavit; teſtor, primum ejus ſcriptum, Plantarum nempe circa Gedanum ſpontè naſcentium Catalogum Anno 1649. Gedani editum.

Annum integrum poſtquam Gedani exegiſſet, nec amplius inveniret, quod animo omnigenæ ſcientiæ & experientiæ cupido, ſatisfaceret, Gedanum, amicumque Ravium Anno 1650. relinquens, Patriam iterum pertranſire, ſalutaturus amicos, voluit.

Hinc

Hinc Hamburgum properat, navique per mare Germanicum Amſtelodamum delatus, Lugdunum Batavorum, ipſas Apollinis Æſculapiique ſedes progreditur, iterumque poſt menſes aliquot Amſtelodamum revertitur.

Plus ultra tendebat animus, magnoque auſu Italiam adire, itinere maritimo conſtituit, Amſtelodamo ſolvens, littoraque legens Gallica, Hiſpanica, Luſitanica, immenſum Atlantici Oceani æquor emetitur, per Fretum Herculeum, Mare mediterraneum, Adriaticumque Venetias tendit: quo antequam perveniret Alicantam vino generoſo notiſſimam Valenciæ Urbem vidit, Inſulas, Majoricam, Corſicam, Sardiniamque appulit; Genuam deinde Superbam, Portum Liburnum & Portolongum ingreſſus, inter Vulcani Inſulas Strongylen præternavigans, Fretumque intrans Siculum portentoſos luſus, Scyllæ ſcopulum periculoſiſſimum, immanemque Charybdis verticem cominùs contemplatus eſt, ipſumque fumigantem Ætnam eminus conſpexit, ſuperatoque Siciliæ freto ad celeberrimas Mediterranei maris Inſulas, Maltam puta, Candiam, Corcyramque navigavit Poſtremum Ulyſſea quaſi navigatione defatigatus, Italiæ continentem recuperat quacunque patet perluſtrans, quicquid habet Itala tellus, antiquitatum reliquias, naturæ portenta, ingeniorum artiumve miracula, oculis uſurpavit: Venetiarum vidit opulentias & ſplendorem, Paduæ ſtudia, Bononiæ fertilitatem, Piſæ, Senæ, Florentiæ pulchritudines, Romam quoque, Neapolimque nobilem; ignivomum Veſuvii montem ſuis emetitus eſt pedibus, ſolitoque peregrinis ſtupore admiratus. Reliquis autem Italia urbibus perluſtratis Paduā rediit, eo animo ſtudia Medica novo quodam reſumpturus ſpiritu, ſummoſque in Medicina honores meriturus.

Quod ipſum ex voto ſuo ceſſit, Anno nimirum 1654. à facultate Medica Doctoris Titulum inſignia & privilegia nactus eſt.

Ex hoc tempore viſus fuit ſentire
qua natale ſolum dulcedine cunctos
Trahat, & immemorem non ſinat eſſe ſui.

Muſis Paduanis valedicit, perque Veronam, Vincentiam, Tridentum, Inſprugum, Auguſtam Vindelicorum, Norimbergam, Jenam, Lipſiam, repatriavit.

Dixi hactenus B. L. quàm multa noſter tulit, fecitque puer, per quos caſus & diſcrimina rerum adoleverit, donec roborata virum fecit ætas.

Munia nunc porro Virilis ætatis, labores, honores, res bene geſtas, memoriæ prodam. Patriæ ſervire & Principi ante omnia pia mente conſtituit. Quapropter in ipſa Civitate Patria & circumjacentibus Nobilium arcibus, familiisque, quin etiam ipſa Urbe Berolinenſi, praxin Medicam exercere cœpit, ſucceſſu adeò felici, ut mox Principibus placuiſſe viris, Ipſique Aulæ Brandenburgicæ innotuiſſe, non ultima laus ſit.

Anno videlicet 58 Potentiſſimo Brandenb. Electore FRIDERICO WILHELMO, in Holſatiam, expeditionem faciente, Aulam caſtraque Ejus ſequi juſſus, titulo Aulici, Caſtrenſisque Medici, ſummis ſemper Militiæ Præfectis, Ipſi quoque SERENISSIMO Copiarum Duci, ab ope medica eſſe; tantaque nunc apud Magnum Principem valere gratia, ut perpetuus poſtea omnium Itinerum comes Ipſi à latere viſus fuerit.

Expeditione Holſatica feliciter peracta, cum laudatiſſimo Principe excurrit Cliviam, indeque quacunque patent vaſtiſſimæ Regiones Brandenburgicæ per 200. ultra milliaria Regiomontum itur, ubi non ſolum ſtudiorum olim exercitia meminiſſe juvabat, ſed & nova nunc & ſuprema honorum incrementa ab Indulgentiſſimi Principis clementia capiebat, Conſiliarius, & PERSONÆ SERENISSIMÆ Medicus

renun-

renuntiatus ; Hæc circa annum ſeculi ſexageſimum geſta ſunt. Anno deinceps 65. ELECTOREM SERENISSIMUM iteratò Cliviam ſnam repetentem ſecutus eſt.

Circa idem tempus cum Princeps Juventutis Marchio FRIDERICUS (qui nunc DEI providentia REX eſt BORUSSIÆ) ob infirmam valetudinem in Hollandiam ſecederet, Noſter Ipſi à conſiliis Medicis fuit, Eundemque ni fallor per Trajectum ad Moſam ad Thermas Aquigranenſes, acidulaſque Spadanas deduxit.

Abſoluto & hoc itinere, Berolinoque recuperato, triſte nuntium accipit ELECTOR SERENISSIMUS, magnum illud domus Auraufionenſis decus, Suaviſſimam Conjugem Loyſam, Phthiſi laborare, atque Hagæ Comitum decumbere, ſtatim in mandatis datur MENTZELIO, denuò iter in Hollandiam ut pararet, confeſtim Noſter ad ægram pertingit Principem, lentis diurnis itineribus Berolinum lectica vehi curat, omnemque impendit medendi peritiam, ſed eheu! non erat in Medico Noſtro relevetur ut ægra: fruſtra Medicina paratur, ubi ſuprema imminet mortalium hora! ſic erat in fatis, ut die 8. Junii Anno 1667. magno SERENISSIMI Mariti & univerſi Populi Brandenburgici mœrore, piam animam Creatori reddere debuerit.

Anno deinde 72. magnis Gallorum motibus memorabili, cum Potentiſſimo ELECTORE BRANDENB. Galli militis audaciam ad Rhenum repreſſuro, ſecundam expeditionem fecit, aliquamdiu Francofurti ad Mœnum & vicinis locis moratus, iterumque Anno 74. circa Colmariam in Alſatia.

Hic rurſus annus fatalis Domui BRANDENBURICÆ, emortualisque fuit. Carolus Æmilius tantæ ſpei Princeps, Electoratus Hæres, Argentorati febri ardente corripitur, MENTZELIUS omnem movet lapidem, ſi qua poſſet mortis fau-

faucibus eripere; ſed & tunc ſupremo vitæ largitori aliter viſum fuit, 27. Novembris luce incomparabilis Heros, & Princeps magnæ ſpei, fortiſſimam in flore juventutis exſpiravit animam.

Paulo poſt Magnanimo ELECTORI, filii adhuc funera lugenti, nuncius advolat, Suecos Gallorum conſiliis & corruptionibus motos diverſionem in Marchia tentare, & tantùm non nefario & inimico auſu univerſam jam devâſtare; Imperator conſilium in arena capiens ſolo equitatu ex improviſo ſuccurrit, velut alter Hannibal ante portas Ratenovienſes adeſt, palantesque Suecos mira velocitate oppreſſit, profligavit. Ecce hic iterum MENTZELIUM Noſtrum Victori Principi fidum & indivulſum Comitem, ſimiliterque ſubſequentibus annis, ſecunda tertiaque expeditione Pomeranica.

Poſtrema tandem itinera, Cliviam Anno 77. cum Principe triumphatore, confecit.

Tot jam fugacibus elapſis annis, tot itinerum exantlatis moleſtiis, deficientis paulatim naturæ imbecillitatem ſentiens, jamque ſaxagenario major ultimam vitæ periodum haud procul abeſſe, facili conjectura divinabatur.

Ne Te pigeat B. L. hanc poſtremam quoque memoriæ Ejus abſolvere paginam, utpote cujus non ſolum Virilis ætatis, ſed & de crepitæ Senectutis, præclara exſtant ingenii documenta, quæ dignum laude virum vetant mori. Aulæ nunc rumoribus ſe ſubducere, & lubricos linquere gradus inanimũ induxerit, cũ ipſa divina ſic diſponente providentia, voti ſui compos redditur, ineunte A. 88. FRIDERICO WILHELMO MAGNO glorioſiſſimæ vitæ Regiminisque finem faciente. Facilius tunc impetravit à SERENISSIMO Hærede FRIDERICO III. ut honeſto domi otio frui, ſibi porro Muſisque canere liceret, nulla omninò dimiſſus offenſa, nulla excidit gratia, cujus vel hoc unicũ ſufficit teſtimonium, quod Clemen-

mentiſſimus Princeps ſingulis ferè ſeptimanis, per pediſſequum de Senis valetudine percontari juſſerit, nec non ampliſſimo annuô ſtipendiô ad extremum usque vitæ halitum ſuſtentaverit.

Veriſſimè dixerim nunquam *minùs otioſum*, quam in hoc extremo otio MENTZELIUM fuiſſe; taceo nunc quotquot ex morientis usque ore Conſilia Medica avidiſſimè excepta ſunt, ea tantum relaturus ſenilia; quibus parem habuit neminem. Innotuerat ſat multis Ingenii fœtibus, omnigenam ſibi acquiſiverat ſcientiam, nec ut vulgus Medicaſtrorum ſolet, ſoliûs lucri inexplebili cupiditate, elegantiora contempſerat ſtudia, varias & exoticas jam dudum callebat linguas, abſolutiſſimô illô Plantarum Indice polyglottô teſte irrefragabili (imò Geneſeos principia Hebraicè recitantem mihi Senem memini) verum enim verò quantumcuncque habebat Europa Literarum, non amplius ſufficiebant πολυδιδάκτῳ indefeſſo; quærendum nunc erat ſub alio ſole, quod diſcendi cupiditati ſatisfaceret, ad Garamantas & Indos imò ultra eos, Chinenſes & Japonenſes tendebat animus, Antipodum quoque rimaturus myſteria. Jam Braſiliæ perſcrutatus erat naturalia, dū Picturas & effigies MAURITII NASSOVIÆ PRINCIPIS ob res præclarè in Braſilia geſtas, ſatis noti, curâ factas, juxta ordinem Piſonis & Marggrafii in 4. Tomos, quos etiamnum oſtendit Bibliotheca Regia Berolini, diſtribueret; remotiſſimorum nunc Orientis Populorum, Chinenſium & Japonenſium, linguam, ſapientiam, Hiſtoriam & naturæ miracula indagare volupe fuit. Quô inprimis invitabatur literis amicorum, quos per Europam non ſolum, ſed & Moſcoviam, alteroque ſub axe, Indiam Orientalem, Chinam & Japoniam habebat; quos inter, duo ſaltem honoris cauſa nominandi, Ampliſſimus nempe & Experientiſſimus

ANDREAS CLEYERUS, Societatis Indicæ in Batavia Medicus primùm, deinde Senator graviſſimus & Legatus ad Imperatorem Japonenſium meritiſſimus; Alter Nobiliſſimus & Doctiſſimus EBERHARDUS RUMPHIUS in arce Victoria quæ eſt in Inſula Amboina Senator ſpectatiſſimus, qui quot annis ferè aliquid ex animali & vegetabili trans æquatorem Regno, vel librorum Chinenſium Japonenſiumque ad Ipſum mittere ſolebant. Iucundum ſanè erat, viro interdum adſtare ſeptuagenario, Eundemque Linguæ Chinenſis ἀναλφαβήτε rudimenta ferè Magica, Characteresque Oedipo inſolubiles, ad octuagies millena (uti ferunt) plusquam juvenili fervore & diligentiâ addiſcentem conſpicere: Si verum foret quod Chinenſes proverbio jactare ſolent, ſe ſolos inter mundi Incolas duobus videre oculis, Europæos tantum unô, & quod reliquum eſt gentium cœcutire; ego certè de Noſtro affirmare auſim, trinô ipſum vidiſſe oculô, Europæo ſuo lumine & utroque Sinenſium, poſtquam eorum Linguam & Hiſtoriam eatenus perſpectam haberet, ut primus fortè Sinenſes Germanicè loqui fecerit, edita Anno 69. (adeoque ætatis 74. Chronologiâ Chinenſium, ex Ipſiſſimis eorum fontibus & Annalibus, quos Regia Bibliotheca ſervat authenticis congeſtâ.

Quinimo Lexicon Sinicum ex India Orientali nactus, artificioſiſſimo inventô in fruſtula minuta diſſecuit, noſtræque agglutinavit chartæ, pronunciationem noſtris literis, ipſamque radicum ſeu primitivorum interpretationem Latinam addidit, opere X. voluminum manu factô, quod Regia quoque Bibliotheca inter pretioſiſſima oſtendit κειμήλια Floram Japonicam elegantiſſimis incolarum picturis, quas indefeſſo ſtudio & labore non contemnendo D. ANDR. CLEYERUS in Japonia cum ibi Legatum ageret pingi curaverat,

verat, & poſtea Noſtro dono dederat, appoſitis à MENTZELIO, noſtræ pronunciationis literis, ibidem repoſitam videbis.

Inter eadem quoque ſtudia, multos magnorum in hoc genere virorum, Martinii, Kircheri, Coupletii, Molleri errores & ἀβλεψίας detexit, Ipſum credo Confutium & Mentium, maxima Chinenſium oracula poſt Coupletium emendatiores nobis edere potuiſſe, niſi poſtrema Senectutis imbecillitas, atque mors, Eruditis ſemper præmatura, ſtudia ejus Chinenſia abrupiſſet. Ingenioſiſſimè in hæc ſtudia Ejus Chinenſia luſit Vir magni ingenii & facundiæ, MENTZELIIQUE Amicus dexterrimus Dominus *Antonius Brunſenius* Aulæ olim BRANDENBURGICÆ à Sacris, vario nominis Anagrammatiſmo, ad Syllogen minutiarum Lexici Sinici, Latino-Sinico-characteriſtici à MENTZELIO editam, alludens: quem hîc apponendum eſſe, non dubitavi

CHRISTIANUS MENCELIUS

Sylloge

Recluſit hac Sinenſium
E clauſtris Chinenſium
Et hic clarus Sinenſium

ad Syllogen.

Hic lucet ars Sinenſium
Ritus, ſecla, Chinenſium
Eris, ut lac Chinenſium

Clues ratis Chinenſium
Situ clares Chinenſium

Si ponatur (MENZELIUS)

Zelus artis Chinenſium, &c.

Sed ut ad extrema ejus tandem deveniam, vitæque quem habuerit exitum, enarrem, à tribus circiter luſtris paralyſin chronicam atque lentam, perpetuô cum membrorum, manuum inprimis, pedumque tremore, paſſus eſt, totnamque itinerum, terra marique devoratis moleſtiis, fallor, an & Chymicorum experimentorum, quibus multum lucubraverat, ſulphureis exhalationibus, artus nervosque pedetentim debilitatos, facile credideris.

Multis abhinc annis (prout Chriſtianum decet) ultimæ horæ ſingulis memor erat, multis inde in pietatis exercitiis, ſacras ſcripturas ſibi prælegenti auſcultari, ardentes fundere preces, peccatorem ſe agnoſcere, confiteri, ſeriò de cunctis vitæ lapſibus pœnitere, fidem quoque & ſpem firmam in benigniſſimum humani generis redemptorem reponere, appropinquantia cœleſtis vitæ gaudia meditari, diſſolutionem multis cupere ſuſpiriis, quotidianum erat; Decima ſeptima fuit Januarii dies Anni 1701, qua fidelis animam in cœlum migratura, emaciati diuturnô morbô corpuſculi exuvias reliquit, annos poſtquam vixit 78, menſes 7. & biduum. En vobis iterum unum, PRÆCLARISSIMA SOCIETATIS MEMBRA, NATURÆ CURIOSUM, Naturæ debitum perſolventem, mox omnes mortibus veſtris tranſeuntis Rerum Naturæ experimenta facturi!

Sed

Sed antequam manum de hâc Tabula retraham verbum de *Beati* Mentzelii re familiari, conjugio & poſteritate addendum videtur, cum Ipſi non ſolum benè naſci & benè mori, ſed & benè nubere contigerit, quæ tria juxta Majorum effata, terrenam hominis felicitatem abſolvunt. Anno nuperrimi ſeculi 58. thori vitæque ſociam ſibi adſcivit, ANNAM EVAM FALCKENHAGIAM, Johannis Falkenhagii, redituum Urbis Berolinenſis Quæſtoris, vel ſi mavis, ærarii Præfecti, filiam natu majorem, virginem tunc venuſtiſſimam reique Oeconomicæ peritiſſimam, quâ cum per 43. integros annos, conſortiô tranquilliſſimo & intemeratô amore vixit; quinque ex eadem genuit liberos, quorum binos Ludovicum filium, filiolamque Mariam Loyſam in ipſa infantia mors atra è medio tulit, tres autem Filios, CHRISTOPHORUM FRIDERICUM, JOHANNEM CHRISTIANUM & CAROLUM, etiamnum ſuperſtites, cum aliquot ex iisdem nepotibus habet; Inter Filios autem ſecundo genitus, JOHANNES CHRISTIANUS, Magni hujus Apollinis, non degener, non impar fiilius Æſculapius, Paternæ virtutis, Peritiæ, honorum quoque & dignitatum apud POTENTISSIMUM BORUSSIÆ REGEM, Conſilarii nempe & Archiatri, pretioſi denique Cimeliarchii ex aſſe hæres fuit.

Corporis hæc inclita progenies; ingenii nunc omnes quos reliquit fœtus recenſebo, ut cum alia Memoriæ Mentzelianæ nequeam ponere Marmora, hoc ipſi maneat

Monumentum ære perennius
Regalique ſitu pyramidum altius

Quod nec Imber edax nec aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries & fuga temporum.

1.

Catalogus plantarum circa Gedanum ſpontè naſcentium Anno 1649. in 4.

2.

Lapis Bononienſis in obſcuro lucens collatus cum Phoſphoro Hermetico Chriſtiani Adolphi Balduini, Bilefeldiæ 1675. in 12. qui etiam in Ephem. Germ. N. C. Dec. 1. Ann. 4. & 5. exſtat.

3.

Sylloge minutiarum Lexici latino-Sinico-characteriſtici in 4. quæ etiam exſtat in Eph. G. N. C. Dec. 2. an. 3.

4.

Index nominum plantarum univerſarſalis multilinguis Berolini 1682. in fol.

5.

Idem auctior Corollario ex varius Auctoribus poſt editionem priorem enatus, cum novis plantis & lingua Muſcovitica Berolini 1696.

6. Kurtze

6.

Kurtze Chineeſiſche Chronologia oder Zeit-Regiſter aller Chineſiſchen Kayſer/ von ihren alſo vermeinten Anfang der Welt biß hieher zu unſern Zeiten des nach Chriſti unſers Seeligmachers gebuhrt 1696. Jahres in 4. Berlin.

7.

Rerum naturalium Braſiliæ, ab Illuſtriſſ. Principe Mauritio Naſſoviæ in ipſa Braſilia collectarum & coloribus oleagineis depictarum, Tomi 4. in fol. regali, in ordinem redacti & juxta ordinem Piſonis & Marggravii diſpoſiti. Opera merè ſcripta; Sunt in Bibliotheca Regia Berolinenſi.

8.

Decem volumina in folio Manu-facta ex Lexico Sinico çu guey dicto, artificioſiſſimô inventô in fruſtula minuta diſſecto & chartæ noſtræ rurſus agglutinata cum interpretatione latina. Quæ volumina etiam in Bibliotheca Regia Berolinenſi aſſervantur.

9.

Flora Japonica, ſive Flores Herbarum & Arborum præcipui, totius vaſti Inſularum Imperii Aſiatici Japan dicti ab ipſis Barbaris incolis ad viva florum exemplaria coloribus ſuis nativis penicillô depicti, appoſitis Japa-

Japanenſium Characteribus & nominibus: Opus raritate incomporabile in formam Europæorum librorum redactum & in duos Tomos diviſum; Aſſervatur etiam in Bibliotheca Regia Beriolinenſi.



INDEX

INDEX
EPHEMERIDUM
Academiæ Cæſareo-Leopoldinæ Natur. Curioſ.
Decuriæ III. Ann. VII. & VIII.

A.

ABietis anatome. p. 3. app.
Abortus feliciter inhibitus. p. 223.
Abſceſſu ventris defuncti anatome. 261
Acinorum Zibebarum Smirnæarum uſus. 9
Acidulæ hydropem accelerare poſſunt. 76. ap.
Aëris mutatione febris quartana curata. 35
Aëris mutatio ad morbos curandos plurimum confert. 36
Æris natura. 159. ap.
Æris ſchediaſma. 145. ap.
Æris uſus in Medicina. 170. ap.
Æris uſus varius. 180. ap.
Æthiops mineralis auro illuſtratus & nobilitatus. 173
Alvi dejectio magna lapillorum copia ſtipata. 71. ap.
Amor an faſcinatione extorqueri poſſit. 111.
Amor herba Flavia conciliatur. 114
Apoplexia bis curata & tandem lethalis. 322.
Apoſtema internum curatum. 91.
Apum ictus curioſorum ſymptomatum cauſa. 314.
Anatome Abietis. 3. ap.
 Abſceſſu ventriculi defuncti. 261
 Arthritide diu laborantis. 265.
 Cholera defuncti. 299
 Dyſuria extincti. 50
 Gangræna inteſtinorum defuncti. 263
 Hydropicæ. 305
 Hydropici. 275
 Hydropici puelli. 276
 Partu defunctæ. 275
 Phocæ. 17. ap.
 Phtiſici. 276.
 Piceæ. 3. ap. Pini. 11. ap.
 Pleuritide demortui. 264
 Sarcomate ſuffocati. 262.
 Tumoris Axillæ cancroſi. 30
 Vomitorio ſublati. 262

Antimonialium medicamentorum uſus. 140. ap.
Antipathia proprium nomen averſans. 125. ap.
Antipathiæ variæ curioſæ. 170
Aquæ frigidæ potu largiſſimo exitioſus aquæ ſtygiæ hauſtus, curatus. 296
Aquæ ligni fraxini uſus. 210
Aquæ ſtygiæ hauſtus exitioſus remediis domeſticis curatus. 290
Aranearum telæ contra febrim tertianam. 77. ap.
Arteriæ magnæ in abdomine, vulnus lethale. 282
tracheæ vulnus lethale. 283
Arteriotomiæ uſus. 132. ap.
Arthritici dolores venæſectione mitigati. 14.
Arthritidis curatio. 16
per contagium contracta. 212
Attmella Lithontriptica. 356
Aſparagus laticaulis. 31
Atrophia à calculo & ulcere renum. 290.
Aures inperforatæ. 139. ap.
Auri tincturam conficiendi ſexaginta proceſſus. 30. ap.
Aurum potabile. 183
conficiendi proceſſus. 30. ap.
BArometri ſtationes ſub eclipſibus. 151
Bufonis lotium ophthalmicum. 97
Butyrum mortis cauſa. 106
CAlculi remedium ſingulare. 176.
remedia. 187
Calculi renum comminutio. 186
Calculorum generatio. 135. ap.
Calculùs in pericardio. 119
Calculus monſtroſus. 72. ap.
Calvus poſt triginta annorum comatus. 191.
Capillorum caſus unde. 192
Capitis dolor periodicus. 74. ap.
Capitis dolor hirudinum applicatione curatus. 122. ap.
Capitis podagra. 361
Caput ſupra ſiniſtrum hypochondrium propendens. 39.
Cardialgiæ ex ſupresſione menſium 120. ap.
Carnium vomitus. 129. ap.
Catalepſis admiranda in agone. 197.
Catechu uſus in continuo urinæ profluvio. 72. ap.
Cœcitas ex intempeſtiva venæſectione. 117
Cœcitas poſt venæſectionem. 71.
Ceraſi nucleus cum urina redditus. 80
Creuſſæ præparatio. 234
Cervi venter ſalva vita globo trajectus. 73.
Ciborum coctorum in vaſe æneo noxa. 169
Cinabaris ſolaris. 173
Clavorum pedum certa cura. 172
Clyſter inoxiè per os rejectus. 62
Colicæ cura. 142. ap.
Colica hyſterica. 130. ap.
Colica periodica. 59.
Colocynthidis infuſum lethalem hypercatharſin ſuſcitans. 297

Con-

Conſtitutio epidemica Auguſtana. p. 87. ap.
epidemica Baſilienſis. 101. ap.
Berolinenſis. 94. ap.
Mansfeldiana. 105. ap.
Tubingenſis. 102. ap.
Contabeſcentia à faſcino mira & mirabilis. 123
Convulſio rarior. 326
Cranii fractura nullo callo vel cranio clauſa vel munita, ſed omni munimento orbata, ſalvo interim & incolumi puero. 313.
Cuneus metallicus & ſaxeus. 188.
Cuticula intra menſem ter depoſita ſalvis unguibus & capillis. 99

D.

DEglutionis vitium ex apoplexia reſiduum. 129. ap.
Delirium amaroſum. 235
Delirium cum ferocia à Baccis ſolani. 295
Dentis molaris é cavitate largior hæmorrhagia. 300
Dentium dolor nive appoſita ablutus. 117
Dentium ordo duplex in infante. 169.
Diaſcordium lumbricos pellit. 178
Dorſi rigiditas. 84
Dyſenteria à muſcis cobalto enectis & inopinato epotis. 292
Dyſuriæ extincti Anatome. 50.

E.

EBor foſſile in colle repertum. 294
Eclypſis ſolaris. 163
Elephantis ſceleton in colle ſabuloſo repertum. 294
Epilepſia chronica cum febre Epidemica maligna curata. 298
Epilepſia duorum annorum virgis curata. 306.
Epilepſia ex philtro per ſalivationem mercurialem curata. 288
Epilepſia horrenda & contumax. 172
Epilepſia periodica. 71. ap.
Epileptica parturiens curata. 206
Eryſipelas zonale. 73. ap.
Exanthemata minus periculoſa ſunt papulis. 344.
Exanthematum origo. 344

F.

FÆcum alvinarum excretio per ſinum muliebre. 360
Farina mineralis. 353
Faſcinationes an naturali modo contingant. 111
quomodo á Diabolo producantur. 115
ſideritide curatæ. 131
Febrifugus pulvis. 118
Febris miliaris maligna. 341
ab injectione decocti frigidi in fauces. 156
lentæ curatio. 285
petechialis cura. 216
petechialis maligna ab olfactis

factis floribus, quibus cadaver pueruli febre acuta defuncti ornatum erat. 312
Febris quartana Borea vento flante curata. 79
quartana mutatione aëris curata. 35
ſcorbutica. 333
tertiana intermittens maligna. 94
tertiana lacte recocto ſubla. 73
Febrium intermittentium cauſa. 35.
remedium novum. 76. ap.
Ferri mutatio in cuprum quomodo fiat. 136. ap.
Fiſtula lumbaris è rene dextro calculoſo ſcaturiens. 23
Flabia herba qualis. 114
herba amorem conciliat. 114
Flatus fœtus loco excluſus. 56
furioſus lactis uſu curatus. 37
Floſculi candidi foliorum ſambuci ſuperficiei adhærentes. 258
Fœcunditas, in muliere per totam vitam nunquam menſes paſſa, non impedita. 38
ſine menſtruis. 65
Fœtus numeroſus. 363
phantaſiæ imperio ſubjectus. 87
in utero mortuus feliciter extractus. 115
in utero exſiccatus. 40.
Fœtus in utero materno mirabiliter conſervatus. 85
Fractura oſſium cruralium multiplex curata. 20.
Fraxini ligni aquæ uſus. 210
Fulminum miri effectus. 69. ap.

G.

GEnitalia vitulæ monſtroſa. 59
Gigartorum uſus. 9
Glacies pentecoſtalis. 8
Granula miliformia cum pluvia dejecta. 132
Gravitatio ex flatibus. 56
Gulæ coalitus à variolis Lucanica ſublatus. 72

H.

HÆmorrhagia largior è cavitate dentis molaris. 300
narium paroxyſmi inſtar recurrens. 364
Hæmorrhagiæ curatio. 133. ap.
Hæmoptoſis quomodo dijudicanda. 130. ap.
Hepar in hydrope injuſtè inculpatum. 305
Herpes ſola aqua marina curatus. 116
Hirudinum ſuctibus mors accelerata. 122. ap.
Hordei grana integra per plures dies commeſta per urinam excreta. 1.
Humorum viridium vomitus unde. 133. ap.
ex intempeſtivo thermarum uſu methaſtaſis. 147
Hydatides unde. 344.

Hydrophobia felina ultra annum occultata. 266
Hydrophobicum venenum in quo conſiſtat? ibidem.
Hydropis curatio. 19
Hydrops ex uſu acidularum. 76. ap.
ex uſu thermarum lethalis. 159
tympanitis mictu cruento ſolutus. 391
Hyoſcyami vires. 110
Hyoſcyamum cur Altercum dictum. 109
Hyoſcyamum ſemen rixæ rabioſæ cauſa. 106
Hypercatharſis lethalis infuſo Colocynthidis ſuſcitata. 297

I.

IEcur an per centum annos durare poſſit. 254
Incantatio mirabilis. 41
Injecta. 203
Inſecti minimi & noviſſimi obſervatio. 256
Inundatio autumnalis. 8
Iſchiadicus dolor periodicus, acutiſſimus. 346
Iſchuria oleo ſcorpionum curata. 186
punctura in perinæo curata. 76

L.

LAc in pueris & ſenibus. 149
Lac poſt quatuor ſeptimanas revocatum. 185
Lactis uſu Nakir morbus curatus, 37.
Lapilli aureoli ex veſicis boum. 121
ſubvirides in pericardio reperti. 119
Lapillorum copia per alvum excreta. 71. ap.
Lapis lapidi Bezoardico ſimilis nucleum plumbeum continens. 309
verminoſus. 51
Lienis exſectio. 180
Lignum faginum figuratum. 189
Linguæ paralyſis feliciter curata. 155
Lintea lucida. 157
Lithargyrio vinum fucatum quomodo noceat. 228.
Lochiorum fluxus remedium. 301
Lotio tumoris in capite inſignis cauſa. 116
Lotium Bufonis oculis ſalutare. 97
Lumborum dolores intolerabiles, 185
rigiditas. 84.
Lumbrici Diaſcordio pelluntur. 178
Lumbricus latus & eximiæ longitudinis per virile membrum redditus. 139. ap.
Lux an ſit in concavitatibus corporis noſtri. 44. ap.

M.

MAculæ miræ in cute ſanguineæ. 196
Malacia rara in puella. 148
Mania hæreditaria. 75
Maniacus curatus 32.

Melancholia ex faſtu orta. 75. ap.
Meninx cum cranio nulla. 279
Menſes movendi euporiſton. 69
Menſium fluxu puella primo à nativitate octiduo tentata. 260.
fluxus quarto ætatis anno obſervatus. 267
in muliere per totam vitam ſuam ſuppresſio, nec ſanitati ejus nec fœcunditati noxia. 38
ſuppreſſio à terrore. 56
ſuppresſio dyſenteriæ cauſa. 56
Menſtrua ex ductibus ſalivalibus. 150
Mercurii motus in Tubo Torricelliano. 78. ap.
Mercurius vermium pabulum. 340
Metallicarum rerum ſcriptores. 145. ap.
Metallorum natura in genere. 149. ap.
Mola ex vidua ſexaginaria. 402
Morborum quorundam Endemiorum enarratio. 36
Morbus ex incantatione mirabilis. 41.
Mors peculiari diſſertatione deſcripta. 114. ap.
à butyro. 106
à hirudinum ſuctibus. 122. ap.
à potu frigido. 118
Moxa an & quando adhibenda. 141. ap.
Muſca, compluribus vermiculis fœta. 325

N.

NAkir lactis uſu curatus. 37
morbus à Latinis dicitur flatus furioſus. 37
Nephritici dolores periodici. 308
Nerveus ſuccus datur. 345
Nicotianæ fumo polypus curatus. 214
Nix appoſita, dentium dolorem auferens. 117
Nix canicularis. 8.
Nymphææ radices contra febrim tertianam. 77. ap.

O.

OBeſitas pane augetur. 138. ap.
Oculus Artificialis. 398
Odium an faſcinatione produci poſſit. 110
Odor mortis index. 104
Omenti defectus. 17
Uſus. 338
Ophthalmia deſperata Collyrio tandem curata. 304
Orthopnœa ex vermibus. 307
Osſium cruralium multiplex fractura curata. 20
Ozœna in quatuor fratribus. 318

P.

PAnis obeſitatis cauſa. 138. ap.
Papulæ magis periculoſæ ſunt quam exanthemata. 344.
Papularum origo. 344
Paralyſis curatio. 22.
lateris dextri ſurditatem excipiens. 337

Para-

linguæ curata. 155
Paralyſis univerſalis. 73. ap.
Pareſis ex colica, 77. ap.
Parotis. 331
Parturiens Epileptica curata. 206
Partus in utero materno putrefactus. 53
vermine factus. 53
Partus poſt mortem. 77. ap.
Paſſeres Canarienſes verſicolores. 142. ap.
Pedum clavorum vera cura. 172
Penis monſtroſus. 49.
Pericordium lapillos ſub virides in ſe continens. 119
Petechiæ diſparentes variarum ſymptomatum cauſa. 154
Pediculos fugans remedium. 129.
Phantaſiæ in fœtum imperium. 87
Phthiſis curatio. 19.
ortus, ventriculo frequenter debetur. 120. ap.
Pica in Infante. 63
virorum. 64
Piceæ anatome. 3. ap.
Pilulæ poſt annum integræ rejectæ. 71. ap.
Pini anatome. 11. ap.
Piper locum ubi naſcitur minus ſalutarem reddit. 36.
Piſcis hermaphrodita. 190
Plantarum laticaulium generandi cauſa. 31.
Plicæ cauſa. 58
Plica Judæorum. 57
Suevia. 137. ap.
Plumbi noxa. 75. ap.
Pluviæ rerum variarum. 132
Pluviæ rerum variarum cauſa. 136
Pneumonia ex itinere lethalis. 157
Podagra Capitis. 361
Podagræ cauſa ex nervis fluit. 345
Podagra indolens. 262
Polypus nicotianæ fumo curatus. 214
Potiuncula homicidæ confesſionem extorquens. 39
Potus frigidus mortis cauſa. 118
Potus frigidus vocis privationem cauſans. 74 ap.
Puella primò à nativitate octiduo fluore albo & rubro tentata. 250
Pulvis febrifugus. 118.
Pupilla cordiformis. 39.

R.

RAdix effractoria. 144
quomodo reperiatur. 144
Raucedinis remedium. 76. ap.
Reſpiratio difficilis ex grumo ſanguinis duriore. 210.
Riſus involuntarius. 387

S.

SAlivationis vis purganti enervata. 12.
Salivationis uſus in Arthritide. 13
item in ſcorbuto. 13
Sanguinis nimium profluvium gravidæ mortis cauſa. 120
Sanguinis, poſt quintum diem à morte, fluxus. 176.
Sanguinis ſudor. 123 ap.
Sceleton Elephantis in collo ſabuloſo repertum. 294.
Scirrhus uteri. 70. ap.

Sciu-

Sciurus albus mortis nuncius. 53
Secale temulentum. 52
Secundinarum varietas in partu gemellorum. 70.
Sella curioſa. 174
Serpiginem ad exſtirpandam medicamentum euporiſton. 37
Singultus venæſectione curatus. 134. ap.
Sideritis faſcinum curat. 131
in aqua cocta eam gelatinoſam reddit. 131
Sol ſine veſte. 183
Solani ſomniferi baccarum eſus noxius. 279.
Solani baccæ delirium cum ferocia cauſantes. 295
Solaris ecclypſis 163
effectus. 166
Solſtitia de morborum chronicorum eventu non vanè prædicunt. 395
Somnum conciliandi modus ſuperſtitioſus. 66. ſeq. 67
remedium. 68
Spectra dari probatur. 127. ap.
Spinæ ventoſitas rara. 270. ap.
Spirituum finitorum exiſtentia. 55. ap.
Sprengwurtzel. 144
Sternutationes Apoplecticorum non ſemper ſalutiferæ. 156
Sudor purgans. 153
Sudor ſanguineus. 123. ap.
Surditas poſt paralyſin dextri lateris. 337
Sympathetica Ozæna. 318
Syncopes ſingularis cura. 127
Syrupus Prophylacticus. 18

T.

TAbes dorſalis. 329
Temulentiæ cauſa. 52
Tenebræ an ſint in concavitatibus corporis noſtri. 44. ap.
Termites è naſo excreti. 260
Terror menſium ſuppreſſionis cauſa. 56
Teſticulis tribus juvenis præditus attamen frigidus. 358
Teſticulus ſaltem unus. 38
Thermarum uſus hydropis lethalis cauſa. 159
Tonitru obſtetricans. 243
Tonitru varia phænomena recenſentur. 233. ſeq.
Triorchis juvenis ſed tamen frigidus. 358
Tumor axillæ ſub cavitate ad cubitum uſque tendens, extirpatus. 400
Tumor capitis inſignis à lotione. 116
Tumores Naſi monſtroſi & prægrandes, ſubligato pilo camelino feliciter curati. 303
Tumoris axillæ cancroſi Anatome & curatio. 301

U.

VAriolæ retropulſæ à frigiditate lethales. 161.
Venæſectio intempeſtiva cœcitatis cauſa. 117.
Venæſectione ſingultus curatus. 134. ap.

Venæ-

Venæſectionis uſus in Arthritide. 14
Venæſectionis male adminiſtratæ noxa. 126
Veneficio injecta. 203
quæ videntur injecta quomodo in corpore generari poſſint. 204
Vermiculi per urinam redditi. 139 ap.
Vermes è naribus & ex dorſo erumpentes. 308
orthopnææ cauſa. 307
umbilicales. 268
tuſſi rejecti. 118
in capite. 51
vomitu rejectus. 101
Vermium Mercurius ſtabulum, vel pabulum 340
Vertebræ lumborum ſex in ſceleto virili. 281
Veſicatoriorum uſus in doloribus lumborum 185
Veſiculæ in cute ſanguineæ. 196
Veſpertilio mortis nuncius. 104
Vini lithargyrio fucati noxa. 228
Viſus imbecillitas ob vitium nervi optici. 277
Vita peculiari diſſertatione deſcripta. 114. ap.
Ulceris inguinis ſiniſtri fiſtuloſi curatio. 311.
Ulcus antiquum in meatu urinario feliciter curatum. 27
Ulcus inguinis ſiniſtri fiſtuloſum ex quo vermes prodierunt. 310
Unicornu marinum duplex. 350
Vocis privatio ex potu frigido. 74. ap.
Vomitus carnium 129. ap.
cruentus nihilominus ſalutaris. 359
poſt partum cura. 336
Urina viſcida glutinoſa. 4
Urinæ incontinentia catechu curata. 72. ap.
præternaturalia excreta, per quas vias ad veſicam amandantur. 5
ſuppreſſio in pleuritica quadam ſalutaris. 9.
Urnarum Germanorum conditoria. 102
Uteri virginei rara excreſcentia. 167
Uterus ſcirrhoſus. 70. ap.
Uterus ſteatomaticus 274
Vulva duplicata. 57

Z.

Zibebarum Smirnæarum acinorum uſus. 9.

F I N I S.

Monendus eſt Bibliopega, ut Figuram oculi artificialis agglutinet. pag. 398.

Der Buchbinder wird hiemit erinnert die Figur des künſtlich abgebildeten Augs / dem 398. Blat anzufügen.

BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY